INSTITUTIONES THEOLOGICAE

QUAS

FR. MICHAEL MARCELLIUS

EREMITA AUGUSTINIANUS

AD USUM SCHOLARUM SUI ORDINIS

CONCINNAVIT

TOMUS I.

IN QUO PERTRACTATUR DE SACRAE SCRIPTURAE TEXTU EJUSQUE PRAECIPUIS VERSIONIBUS, DE DIVINA SACRORUM LIBRORUM AUCTORITATE, DE TRADITIONIBUS, DE CONCILIIS, DE ECCLESIA, DE ROMANO PONTIFICE, DENIQUE DE RELIQUIS QUINQUE THEOLOGICIS LOCIS.

EDITIO PRIMA

SUB AUSPICIIS FAUSTISSIMIS

Illmi, ac Rmi D.

FELICISSIMI SALVINI

CAMERTIS ARCHIEPISCOPI

TYPIS AC SUMPTIBUS VULGATA
FRANCISCI XAVERII TOMASSINI
FULGINII 1847.

Illmo ac Rmo Domino

FELICISSIMO SALVINI

CAMERTINO ARCHIEPISCOPO

FRANCISCUS XAVERIUS TOMASSINI

Simul ac Opus hoc quod Institutiones Theologicae *pro titulo in fronte gestat, ex Angelica Bibliotheca in qua jacebat, opera ac diligentia Fr. Michaelis Marcellii eremitae augustiniani concinnatum, de consensu eorumdem inclitae Augustinianae Familiae omni honore omnique observantia dignissimorum Antistitum, primum in lucem edere constitui, illud viro alicui nuncupare qui ecclesiastica dignitate praefulgens, sicuti majore haberet in pretio ita diffusioni ejus studiosius*

intenderet, ratus prophanis sacra dicanda haud decere, in votis ex tunc habui. Tantum de optione anceps haerebat animus, cui nempe inter tot sanctissimos viros qui infulis ecclesiasticisque sceptris incedunt ornati, melius id sacrare deberem. In quo dubietatis statu tandiu suspensus haerebam, donec tui recordatus, Praesul amplissime, merito venerande, omnibusque mihi officiis percolende; illamque recolens amicalem consuetudinem qua me honorare dignatus eras, tum demum omni cunctatione seposita nomini tuo nuncupandum pro firmo habui. Neque ullatenus dubitavi quin benevolo animo esses excepturus, cum jam multo ex tempore magnitudo cordis tui mihi perspecta foret, qua neminem unquam, quem sciam, tristem abire fecisti, qui ad te tuam gratiam tuumque favorem impetraturus accederet. Te itaque inter tot auspicem optimum habere malebam: et nunc de delectu magnopere gaudeo, Deoque gratias ago qui mihi talem apostolicum virum obviare fecit, qui omnium virtutum gemmis exornatus, meritisque plenus, in sanctitatis ac sapientiae semitis adeo in dies profecit, ut oculos ac animum in se converteret illius vere Sanctissimi ac Beatissimi Domini, cujus laus nunquam recedet de ore hominum: qui nedum per Italiae florentissimum agrum, neque per Europam tantum aut apud amicos, bene vero per omnes mundi terras atque insulas, et apud gentes, quod magis est, christiano nomini infensissimas ac barbaras, gloriam nominis sui adeo longe lateque diffudit, ut Legati Romam undi-

que venirent a Regibus missi, quae sunt pacis amicitiaeque comiter humanissimeque expostulantes: illius inquam P. O. M. Pii hujus nominis IX. qui dulcedine amore ac benignissima pietate toto charitatis sinu universos amplectens adeo hominum corda sensusque devicit, ut proxime adimpletum videatur quod praenuntiatum a Christo Domino accipiebamus de cuncto hominum genere, Et fiet unum ovile, et unus pastor. *Huic itaque Beatissimo ac Sanctissimo Papae te talibus virtutibus meritisque fulgentem offerens illius animum ita in pectoribus commovisti, ut ex Principum Apostolorum Sede, ubi vere divinitus sedere positus erat, vel ab exordio Pontificatus sui oculos in te convertens, ad Archiepiscopatus fastigium evehere non dubitaret, et ad majora, haec enim spes affulget nobis, futurum fortasse est ut, placente Deo, imposterum adtollat. Et ideo O quam felicissimus qui amorem tanti Pontificis promereri valuisti! Ex hoc erit ut omnes tibi adgratulentur qui te noverunt, quique nomen tuum audierint ex Ecclesia fideles. Sed prae ceteris mihi est ergo adgratulandi, qui te donante dignus effectus sum ut tibi hoc Opus nuncuparem, quod spero fore ut ea benignitate eoque cordis affectu sis excepturus, ut me felicissimum inter omnes existimem, inviderintque huic claritati meae ex lumine tuo jucundissimo profluenti, quicumque noverint tibi excellentissimo jureque praestantissimo viro Camerti Archiepiscopo hoc Opus theologicum obtulisse dicasse sacrasse. Respice itaque Pastor bone, de illis tui honoris ac potestatis sublimiis*

ad humilitatem servi tui; dum in caelum oculos atque manus adtollens ad Deum orat devotissime, enixeque precatur, ut te tibi tuoque gregi diu incolumem sospitemque conservet; muniat brachio suo potenti atque tueatur inter Archiepiscopatus gravissimas curas solicitudinesque, in animarum salutem, ad magni sacerdotii decus, Ecclesiaeque sanctae munimen ac gloriam.

NOTA. Jam II. III. et V. Tomus fuerat publicatus, cum Illmus ac Rmus D. Salvini ad Archiepiscopatum Camertinum fuit promotus; ideoque in his legitur *Aculae Episcopi*, non *Camertis Archiepiscopi*.

PRAEFATIO

Quod increduli et philosophantes, qui saeculi sapientes haberi volunt, quorumque numerus deploranda hac nostra aetate exiguus certe non est, Theologiae studium irrideant et aspernentur, mirari plane non subit. Quum enim in reprobum sensum a Deo ob eorum scelera traditi, divinam revelationem Scripturis Traditioneque contentam, otiosorum hominum imposturam ad illudendum simplicibus comparatam esse arbitrentur, quam, quaeso, ex rerum illarum studio et meditatione oblectationem percipere possunt? Non est ergo cur de his vel minimam nos insumamus curam; inanis quippe omnis labor noster esset: sed relicti in manu consilii sui, Deo commendandi ut aperiat illis oculos ad videndum, et cor lapideum ab eis auferat ad intelligendum, et det eis cor novum, et spiritum novum ponat in medio eorum, quo mens in omni sensu implicata supernaturali dulcedine perfundatur. Ast quod Catholici, nec omnino improbi homines, qui de divina persuasi sunt revelatione ejusque summa veracitate, rerum theologicarum scientiam et studia iniquis hisce temporibus tamquam inutilia habeant ac supervacanea, hoc porro non admiratione, sed stupore dignum mihi videtur. Neque vero sit, qui haec a me vel ad libitum conficta, vel quoquo modo exaggerata suspicetur. Imo impudentissimus ero, si cuncta quae in hoc genere novi in propatulo ponam. Sed temperare mihi non possum quin unum vel alterum ad acerbitatem liniendam doloris mei libere patefaciam. Ego ipse non semel propriis auribus, licet averso admodum animo, viros audivi etiam ampliori nomine celebratos, declamantes non esse in Theologorum tricis et in tam subtilium rerum investigatione tempus inaniter terendum; sed studiis illis potius ac meditationibus indulgendum, quae aut publico humanae societatis temporali bono, aut propriis cujusque commodis atque fortunae prodesse possint. Alter non verebatur ineptiendo ac veluti jocando repetere, Deum in caelis ridere nimium dum cernit Theologos inter se disputantes in terris, gloriabaturque persaepe committere, ubi posset, sacrae Theologiae magistros ad invicem litigantes, ut ex illorum argumentis animi solatium sibi compararet ad recreationem, uti fieri solet inter scenicos ludos. Nec defuit olim, qui non dubitaverit me redarguere, quod optimae indolis adolescentes, ad reipublicae administrationem aptissimos, in theologicis spinetis et asperitatibus detinerem. Rubore suffundor ne plura similia recenseam. Stulti! qui terrenis cupiditatibus irretiti supernarum veritatum

suavitatem numquam degustarunt! Ergo ne caelestium rerum contemplatio, per quam ad Deum ultimum nostrum finem ascendimus, aut joco erit et ludibrio otiosis hominibus, aut postponenda temporalis vitae solicitudini? Ergo ne Religionis studium, a Deo cuique nostrum ac Ecclesiasticis potissimum tantopere commendatum, sic negligendum erit, ut nullus a mortalibus ei deferatur honos? Miseri! qui, ut inquit Apostolus, quaecumque ignorant blasphemant.

Neque vero quis regerere audeat, nullam theologica exercitamenta afferre voluptatem, sed omnia in illis aspera esse ac taedio plenissima. Nam semel ac de divina persuasi sumus facta a Deo ad mentem et voluntatem suam manifestandam hominibus revelatione, quid jucundius et ad internam animi delectationem comparandam magis accommodatum? Illud unum satis sit animadvertere, hanc solam inter innumeras disciplinas amplissimum mereri verae Sapientiae nomen; quoniam haec sola divinarum humanarumque rerum et caussarum certa est et inconcussa cognitio, utpote quae sola verbo Dei tamquam solidissimo fulcimento innixa sit, indeque proficiscatur. Ast quid dicit de vera Sapientia Propheta? Audiant desides carnalesque Catholici, qui Deum per os sanctorum loquutum fuisse fatentur, et simul divinam ejus scientiam aspernantur aut negligunt. Sapientia, *inquit Baruch cap.* 3. non est audita in Chanaan, neque visa est in Theman. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quae de terra est, negotiatores Merrhae, et Theman, et fabulatores, et exquisitores prudentiae et intelligentiae: viam autem Sapientiae nescierunt, neque commemorati sunt semitas ejus... Sed qui scit universa, novit eam, et adinvenit eam... qui praeparavit terram in aeterno tempore... qui emittit lumen, et vadit... Hic est Deus noster... Hic adinvenit omnem viam disciplinae, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. *A Deo itaque est nostra haec scientia, et nobis, qui quum per Fidem reputemur in semine Abraham filii Jacob ac veri Israelitae sumus, ab eodem Deo pro magnitudine bonitatis suae communicata. Qua ergo fronte quis dixerit omnia in sacris hisce disciplinis obsita esse tribulis ac sentibus, nec afferre hominum animis nisi moerorem et taedium? Melius certe philosophatur Hieronymus dicens:* Omnia hic inveniuntur; hic enim omnis sexus omnisque aetas instruitur. Hic habet infans quid lactet, puer quid laudet, adolescens quid corrigat, juvenis quid sequatur, senior quid precetur. Hic discet foemina pudicitiam; pupilli invenient pietatem, viduae judicem, pauperes protectorem, advenae custodem. Hic invenient reges quid audiant; judices quid timeant. Haec tristem consolatur, laetum temperat, iratum mitigat, pauperem recreat, omnibus se suscipientibus apta medicamenta tribuit; nec peccatorem despicit, sed remedium ei per poenitentiam jungit. Per hanc Deus ostenditur, simulacra irridentur, fides aperitur, perfidia destruitur, justitia ingreditur, prohibetur iniquitas, misericordia laudatur, crudelitas abdicatur, veritas requiritur, mendacium damnatur, dolus accusatur, praedicatur poenitentia, pax sequenda promittitur, spes certa nutritur; et quod in his omnibus est ex-

cellentius, Christi sacramenta laudantur. *Modo Hieronymus. Et nihilominus delectantur homines saecularibus quibusque disciplinis, ad quas assequendas et noctes insomnes, et sine cibo dies crebrerrime transigunt; et rerum sacrarum atque ad Religionem vel fovendam vel propugnandam spectantium studium, non negligunt modo, sed et refugiunt; nec desunt qui velut inutile, ut ab initio dixi, impudenter aspernantur.*

Non is ego sum, qui rerum humanarum omnimodam abjiciendam esse notitiam existimem. Magni facio Philosophiae ac Matheseos cultores, rhetores, atque legum aliarumque scientiarum peritos; et nota mihi sunt nomina Justini martyris, Athenagorae, Origenis, Clementis alexandrini, Hieronymi, Hilarii, Augustini, ac ceterorum qui in omni disciplinarum humanarum genere versatissimi erant. Sed quid sunt haec, si cum sacris studiis nostris comparentur, aut nisi his ancillentur atque subserviant? Egregie S. P. Augustinus lib. 2. De Doctr. Christ. cap. 42. Quantum autem minor est auri, argenti vestisque copia, quam de Ægypto secum ille populus abstulit, in comparatione divitiarum, quas postea Jerosolymae consecutus est, quae maxime in Salomone rege ostenduntur, tanta fit cuncta scientia, quae quidem est utilis, collecta de libris gentium, si divinarum Scripturarum scientiae comparetur. Nam quidquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur; si utile est, ibi invenitur. Et cum ibi quisque invenerit omnia, quae utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea, quae nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine et mirabili humilitate discuntur. *Ita S. Pater. Hinc quaecumque Auctores exotici tradiderunt, non sunt quidem indiscriminatim abjicienda et formidanda, sed ab iis tamquam ab injustis possessoribus sunt in usum nostrum vindicanda: et quae noxia sunt aut inutilia et vana resecanda; quae vero usui veritatis aptiora, veluti proprias aquas in hortus nostros derivanda. Nam sicut Ægyptii non solum idola habebant et onera importabilia, sed vasa quoque et ornamenta de auro et argento, atque vestem, quae populus Israel de Ægypto exiens sibi non auctoritate propria sed praecepto Dei vindicavit; sic liberales disciplinas, quae sunt usui veritatis aptiores et quaedam continent morum praecepta utilissima, debet qui animum ad theologica studia convertit, ad Religionis vel ampliandae vel defendendae usum transferre, quomodo Cyprianum, Victorinum, Optatum, Hilarium, aliosque ex nostris bene multos, ut de Graecis taceam, fecisse novimus; ad imitationem Moysis, de quo scriptum est in Act. Apost. cap. 7. quod eruditus fuerit in omni sapientia Ægyptiorum.*

Quapropter vos oro obtestorque spectatae indolis Juvenes, ut in haec tam praeclara sacrae doctrinae studia toto pectore incumbatis, ejus templa sedesque penetretis, quae ibi recondita sunt et abstrusa perquiratis diligentissime, venatores illos imitantes, qui in indagandis ferarum vestigiis non regrediuntur sed procedunt. In hac enim longe fusior scientiae copia continetur quam in libris qualiumcumque saecularium

disciplinarum. Hic divini Verbi eloquia et mysteria reserantur. Hic Ecclesiae Conciliorumque statuta, et Patrum nostrorum dicta et dogmata intelliguntur. Hic gentilium caecitas, pertinacia judaeorum, ac haereticorum fraudes deteguntur et refutantur; et per singulas mundi aetates ope historiae discurrendo, artisque criticae canones temperanter adhibendo, inexplicabilis illa animi voluptas percipitur, quae arctum habens cum vera virtute commercium, insatiabilem explet cognoscendarum rerum ardorem, et sine qua pietas marcescit atque arescunt germina probitatis. Pro his ergo studiis pugnate, haec studia fovete, quae vestrae eruditioni vestrae Religionis integritati vestraeque sanctitati conducunt. Superest nunc ut methodi rationem quam in his lucubrandis Theologiae institutionibus tenui brevissime exponam.

In primis ergo, universim loquendo, mecum ipse recogitans in ea nos versari aetate, in qua forma disputandi per syllogismorum ac distinctionum ambages juvenum animos a scientiarum studio retrahit atque deterret, (queruntur enim modum illum disserendi inanem esse memoriae defatigationem et ingenio inutile pondus,) probe me facturum existimavi temperanter eam usurpare, ac veterum Scriptorum qui ante Scholasticos floruerunt stilum ex parte sequutus, soluta quadam oratione tum in propositis assertionibus astruendis, tum in refellendis adversantium objectamentis usus sum; ea tamen, ni fallor, dicendi perspicuitate, ut adolescens ipse per se ad scholasticam formam, si velit, singula revocare facile possit. Ad singularia descendens, paullo fusius disserere volui de Locis theologicis, non solum quia fontes sunt unde argumenta ad Fidem tuendam, ad refellendos errantes, ad universam sacram doctrinam illustrandam hauriuntur; sed etiam quia gravissimas continent contra veteres recentioresque haereticos controversias. In ordine autem rerum exponendarum, aliorum imitatus sum Theologorum consuetudinem; nisi quod ubi illi de originali peccato disserere solent in tractatione de peccatis peccatorumque poenis, et quidem merito, peccatum quippe est, ego tyronum consulere studens utilitati, disputare de eo melius arbitratus sum statim post enucleatas de primi hominis innocentia, deque ejus peccati atque poenarum granditate, unde in omnes illius posteros originaria culpa pervasit, controversias; ut ita quae in ea materia reconditiora ac difficillima circa illius praesertim peccati naturam et modum transfusionis occurrunt, minori difficultate percipiant, simulque via illis sternatur ad sublimiora de Incarnatione, et Gratia dogmata assequenda. Cognita namque semel humanae naturae per Adami delictum infirmitate, pronum est intelligere necessariam nobis fuisse Redemptionem per Christum, nec posse quidquam supernaturalis boni fieri absque ejusdem Redemptionis fructu, videlicet absque divinae Gratiae adjutorio. Praeterea, ubi impia haereticorum portenta aggressus sum refutare, singulorum haeresiarcharum aetatem gentem institutum studia falsaque principia, ex quibus nefaria illorum dogmata profluxerunt, conatus sum clare ac dilucide exponere, ratus fa-

cilius hostes superari, quoties perspecta sint arma quibus nos adoriri conantur. Verum de Pelagianorum Semipelagianorumque acturus superbissima haeresi, majoris tyronum utilitatis esse putavi totam haeresis pelagianae historiam integro libro concludere, imitatus in hoc magnum scholae nostrae ornamentum Cardinalem Norisium. Illud postremo loco monitum volo, me a Magni Doctoris Ecclesiae Augustini doctrina, juxta doctissimorum Patrum nostrorum, et praesertim Gregorii ariminensis, Norisii, Bellelli, Berti explicationem, ne latum quidem unguem his in opusculis recessisse; unde si quis me errasse dictitaverit, sciat se erroris insimulare praeclarissimum Ecclesiae Patrem atque Magistrum Augustinum. Manus nunc et mentem, lectissimi Juvenes, ad eumdem Patrem nostrum elevemus, ipsius patrocinium invocantes ut sit nobis dux in via, ne ab ejus doctrina, quae doctrina est Ecclesiae, vel in minimo recedamus, recogitantes a Deo bonorum omnium largitore fuisse in Ecclesia excitatum, ut ignorantes instrueret, errantes corrigeret, devios in viam reduceret veritatis, et in erroribus suis pertinaces confunderet et confutaret. Eja itaque Magne Pater et universalis Ecclesiae lumen fulgidissimum, quoniam filii tui sumus, teque scholarum nostrarum columen atque praesidium esse voluimus, ex illa Beatorum patria, ubi inter Doctores Ecclesiae praefulges sicuti sol inter sidera, radium emitte quo adolescentium theologicis studiis incumbentium mens illustretur et gressus dirigantur, ut tutissimam doctrinam tuam assequuti, de filiorum discipulorumque tuorum praeclaro nomine merito possint gloriari.

FR. PHILIPPUS ANGELUCCI

MATHELICENSIS

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTER, ORDINIS EREMITARUM S. P. AUGUSTINI VICARIUS GENERALIS

Cum opus inscriptum: Institutiones Theologicae etc. *elaboratum ab admodum Reverendo Patre Magistro Fratre Michaele Angelo Marcelli, recognitum et approbatum fuerit a duobus Theologis sacri ejusdem nostri Ordinis a nobis deputatis, tenore præsentium facultatem concedimus ut typis mandari possit, si iis ad quos reliquum spectat, ita videbitur.*

Datum in Conventu nostro S. P. Augustini de Urbe die 28 *Junii* 1844.

Fr. PHILIPPUS ANGELUCCI Vic. Gen.

Loco ✠ Sigilli

Magister Fr. Philippus Cascia *Ordinis Secr.*

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER I.

IN QUO DE SACRAE SCRIPTURAE TEXTU EJUSQUE PRAECIPUIS VERSIONIBUS PERTRACTATUR.

Magna rerum copia quae in theologicis disciplinis occurrit, et summa humani ingenii in iis pertractandis imbecillitas in caussa fuere, cur theologi viri Locos quosdam communes invenerint seu potius assignaverint, ex quibus ad muniendas firmandasque de rebus divinis disputationes erui argumenta possint. Loci autem illi communes appellari *Loci Theologici* consueverunt; ac definiri possunt: *Sedes seu fontes ex quibus Theologi argumentationes rationesque suas eliciunt, sive ad Fidem firmandam sive ad astruendas regulas morum; vel ut tum Fidem tum morum regulas ab haereticorum aut etiam Catholicorum proprio ingenio indulgentium falsa intelligentia vindicent*. Hi autem loci sunt vel a ratione vel ab auctoritate. *Duplex est via*, inquit S. P. Augustinus lib. 2. De Ordine cap. 5. *quam sequimur cum rerum nos obscuritas movet, aut rationem, aut certe auctoritatem*. Locus a ratione ille est ex quo ratiocinatione conclusio theologica infertur. Locus autem ab auctoritate est dum theologica conclusio ex iis quae vel dicta sunt vel scripta deducitur. Et quoniam Theologia circa res altissimas divinasque versatur, primas in ea obtinet Locus ab auctoritate. Quae cum multiplicis generis sit, plures constituit theologicos Locos. Ac primus erit auctoritas divinae Scripturae quae canonicis Libris continetur. Alter erit auctoritas divinarum Traditionum. Tertius auctoritas Conciliorum. Quartus auctoritas Ecclesiae. Quintus auctoritas Romani Pontificis. Sextus auctoritas Sanctorum Patrum. Septimus auctoritas humanae Historiae. Octavus consensus Scholasticorum. Nonus consensus Philosophorum. Decimus ratio naturalis: Hoc in libro agemus de primo Loco theologico, videlicet de Sacra Scriptura.

CAPUT I.

De essentia, variis nominibus, existentia, ac genuinitate sacrae Scripturae.

Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio. Hisce verbis quae in Ep. ad Hebr. cap. 1. habentur, recte intelligitur quid sit sacra Scriptura tam veteris quam novi Testamenti. Scriptum scilicet veteris Testamenti est verbum quod Deus ante Christi adventum loquutus est per Prophetas; novi autem, ejusdem Dei verbum per Christum ejusque discipulos nobis communicatum. Hinc S. P. Augustinus in Ps. 90,

De illa civitate, inquit, *unde peregrinamur*, *hae litterae nobis venerunt*. Et Chrysostomus hom. 2. in Genes. *Humani generis conditor ab initio per seipsum hominibus loquebatur ... et ubi in magnam malitiam hominum natura prolapsa est ... suam erga illos amicitiam renovare volens*, *quasi longe absentibus litteras mittit*. Ex quibus apparet voluisse Deum mentem suam hominibus per Scripturas patefacere. Hinc est quod Theologi a verbo Dei scripto ducunt exordium. Atque in hoc consistit sacrae Scripturae essentia.

Scriptura autem quae litterae et epistola Dei ad creaturas a Sanctis Patribus appellatur, variis aliis nominibus designari vulgo solet. Vocatur nempe *Testamentum*, *Lex divina*, *Biblia*, *Scriptura divina et sacra*, *et Scriptura* simpliciter. Dicitur Testamentum, hoc est, non morientis sed Dei viventis voluntas suprema, ac foedus cum Ecclesia sua initum; unde tria haec, *Testamentum*, *Pactum*, *Foedus* usurpari promiscue solent, juxta illud Jeremiae cap. 31. *Ecce dies venient*, *dicit Dominus*, *et feriam domui Israel*, *et domui Judae foedus novum*: *non secundum pactum*, *quod pepigi cum patribus eorum* etc. Appellatur Lex divina, quatenus leges Judaeis et Christianis a Deo traditas continet. Vocatur vero Biblia, quod scripta et expressa inveniatur in libris, qui cum ceterorum Scriptorum libros dignitate longe antecellant, simpliciter et absque ullo addito Biblia quandoque nuncupatur. Modo dicitur Scriptura divina, quoniam res divinitus revelatas complectitur, ut inquit Apostolus in II. ad Tim. cap. 2. *Omnis Scriptura divinitus inspirata* etc. Quam saepissime dicitur Scriptura sancta vel sacra, quod nihil nisi sanctum sacrumque contineat. Ut plurimum tamen vocatur Scriptura simpliciter et veluti per antonomasiam, quia hoc insignita est a Christo nomine, Johan. cap. 5. *Scrutamini Scripturas*. Matth. cap. 21. *Numquam legistis in Scripturis*, Et cap. seq. *Erratis*, *nescientes Scripturas*. Hactenus de variis sacrorum Librorum nominibus; pauca nunc de illorum existentia.

Deus necessario mentem suam hominibus revelare debuit. Cum enim Deus gratiae et naturae auctor sit, homo operibus suis supremum illius dominium susceptaque ab eo beneficia testari proculdubio debet. Quo ritu autem quave ratione id facere debeat, a Deo ipso fuerat revelandum: alioquin inconstantissimus Dei cultus foret ac incerta religio; immo innumeri in hominum mente circa Dei naturam ejusque attributa orirentur errores, ut exemplo eorum qui divina caruere revelatione demonstrari facile potest. Cumque Deus non amplius nunc per seipsum loquatur hominibus, mentem manifestare debuit suam vel per internum privatumque spiritum, vel per homines specialiter a se delegatos. Primum dici nullo modo potest, quoniam Dei cultus seu Religio quae constans, ut diximus, esse debet, permanens et immutabilis, incerto et sibi ut plurimum contrario principio, ut spiritus privatus est, inniti nequit. Debuit ergo voluntatem suam hominibus per alios a se speciali quodam titulo missos homines patefacere. Sed neque verisimile est eos qui a Deo delegati fuerunt, divinas leges ejusque praecepta adeo neglexisse, ut

nihil mandaverint scripto. Primo, quia cum sapientum hominum dicta magna inveniantur diligentia conscripta, quanto magis in litteras Dei summi sententiae referri debebant? Deinde, quia id divinae repugnaret Providentiae: quae enim oretenus dumtaxat audiuntur, nisi ex parte saltem habeantur scripta, facile e memoria excidunt, ut iis accidit qui ante mosaica tempora floruerunt. Inconcussum itaque manet necessariam fuisse, adeoque existere divinam revelationem. Ubinam autem illam inveniemus nisi in Prophetarum et Apostolorum voluminibus quae prae omnium manibus feruntur? Haec namque scripta characteres continent omnes quibus divina revelatio dignosci potest, ut in subsequentibus demonstrabimus. Haec eadem scripta vulgo sacra Scriptura appellari solent, et hoc revera insignita sunt nomine, et tamquam a Deo revelata habita ab hominibus qui Moysis Prophetarum Apostolorumque tempore floruerunt, quique eamdem tradiderunt per successivas aetates aliis hominibus fidem usque ad haec nostra tempora. Existit igitur aliqua Scriptura, eaque libris continetur Prophetarum et Apostolorum. Pauca haec pro praesenti nostro sufficiant instituto. Reliquum est ut de sacrae Scripturae genuinitate nonnulla universim dicamus; unde sit

CONCLUSIO I.

Libri sacram Scripturam V. Testamenti continentes sunt genuini.

Prob. Ii libri sunt genuini, qui scripti sunt ab iis auctoribus a quibus scripti dicuntur, et iis circiter temporibus quibus scripti feruntur. Qua enim de caussa affirmamus Caesaris Commentarios, Titi Livii Historias, Orationes Ciceronis, aliorumque priscorum Scriptorum opera esse genuina, nisi quia ab illis auctoribus scripta esse constat quibus tribuuntur, iisque circiter temporibus quibus scripta feruntur? Porro hujusmodi sunt libri sacram V. Testamenti Scripturam continentes. Ad quod demonstrandum, ut innumera quae afferri possunt omittam, hoc tantum utar argumento. Artaxersis Longimani tempore omnes omnino Judaei, nemine prorsus excepto, in ea erant constantissima fide ut crederent V. Testamenti libros ab illis fuisse exaratos quibus tribuuntur, ac iis circiter temporibus quibus scripti feruntur. Nam statim post reditum a babylonica captivitate Esdras in lege Domini versatissimus singulos V. Testamenti libros, iis exceptis qui editi adhuc non erant, recognovit, ab erroribus illic temporum injuria irreptis repurgavit, et Ecclesia approbante in sacrarum Canonem retulit Scripturarum, ut suo loco dicemus. Jam ergo ea aetate V. Testamenti libri scripti erant, et ab iis quidem auctoribus exarati censebantur quibus adhuc tribuuntur, cum cuilibet fere volumini proprii auctoris appositum fuerit nomen, et nihil quod sit solidum in contrarium adduci queat. Eadem in judaica gente ab Artaxerse Longimano usque ad Ptolomaei Philadelphi aetatem fides constanter perseveravit. Eo siquidem in Ægypto regnante septuaginta Seniores celeberrimam omnium librorum V. Testamenti,

ne iis quidem exceptis qui tempore Esdrae editi adhuc non erant, graecam adornarunt interpretationem, cuilibet fere volumini et ab ipsis proprii Auctoris addito titulo. Quod si illorum sequaris opinionem, qui graecam septuaginta Interpretum versionem non uno eodemque tempore prodiisse arbitrantur, illud tamen inconcussum semper manet quod longe ante Christi adventum V. Testamenti libri ex hebraica in graecam linguam fuerint translati: atque idcirco ea aetate elucubrati jam habebantur, illorumque Auctorum firmiter credebantur quibus nunc etiam tribuuntur. Nam eam aetatem excepit subinde Christi Apostolorumque tempus, cum in Evangeliis Epistolis et Actibus de illis ubique mentionem fecerint, Moysis Davidis aliorumque Prophetarum nominibus propriis. Apostolis ac Discipulis illorum in suis scriptis concinunt omues omnino Patres, quorum nomina et sententias si adducere vellem, in immensum abiret oratio. Mitto Judaeorum omnium qui post Christi adventum floruerunt, ac cujuscumque aetatis Christianorum unanimem consensum, cum haec per se manifestissima sint. Libri itaque Scripturam sanctam V. Testamenti continentes sunt genuini.

CONCLUSIO II.

Codices N. Testamenti et ipsi genuini sunt.

Prob. 1. Etiam Libri N. Testamenti ab iis Auctoribus scripti sunt a quibus scripti dicuntur, et iis circiter temporibus quibus scripti feruntur. Quod eodem ex Traditione desumpto argumento luculentissime patet. Aut enim omnis fides penitus pereat necesse est, aut ingenue fatendum N. Testamenti volumina ab iis fuisse adornata Scriptoribus quibus tribuuntur, iisque circiter temporibus quibus scripta feruntur. Nullus quippe ex Scriptoribus ecclesiasticis est, incipiendo a Clemente Romano Ignatio Polycarpo atque Papia Apostolorum Discipulorumque coetaneis et auditoribus ad haec usque nostra tempora, qui non fateatur Evangelia Epistolas Actus et Apocalypsim ab Apostolis quibus tribuuntur fuisse elucubrata. Hoc argumentum regulae a Tertulliano traditae lib. 4. adv. Marcionem cap. 5. nititur, ubi sic scribit: *In summa si constat id verius, quod prius, id prius, quod et ab initio, ab initio, quod ab Apostolis; pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum.*

Prob. 2. ex titulis N. Testamenti libris appositis. Juxta Critices regulas libri qui in omnibus codicibus atque editionibus Auctorum nomina praeferunt, ab iis Auctoribus exarati sunt quibus adscribuntur. Ast in omnibus codicibus atque editionibus N. Testamenti libris tituli eorum Auctorum appositi sunt quibus tribuuntur; nec ulla valida ratio est quae contrarium affirmare nos cogat. Et revera in singulis codicibus atque editionibus quatuor Evangelia nomina Matthaei Marci Lucae et Johannis in fronte gerunt; Actus Apostolorum nomen Lucae, quatuordecim Epistolae

illud Pauli, aliae duae Petri, tres Johannis, una Jacobi, una Judae, Apocalypsis ejusdem Johannis; atque hi Auctores sunt quibus N. Testamenti scripta tribuuntur. Nec ulla in contrarium afferri potest ratio. Nam quod Eruditi quamplures, ut Erasmus, Maldonatus, Simonius aliique, arbitrentur istius modi titulos non ab Apostolis et Evangelistis, sed ab aliis libris N. Testamenti fuisse additos pro nihilo est. Primo quoniam innumeri alii Scriptores Apostolos ipsos et Evangelistas propria apposuisse nomina existimant. Deinde quia nemo negare audet hos titulos vetustissimos esse, cum illorum mentionem faciant Tertullianus lib. 4. adv. Marcion. et Justinus martyr in Apologiis. Hi tituli ergo statim post Apostolorum aetatem obtinuerunt: atque adeo universa Ecclesia illa aetate credidit N. Testamenti libros ab iis Auctoribus fuisse scriptos quibus modo tribuuntur.

CAPUT II.

De sacrae Scripturae tam V. quam N. Testamenti integritate.

Antequam perdifficilem aggrediamur controversiam, sedulo animadvertere juvat sacram Scripturam duplici modo intelligi posse integram; quoad partes nimirum substantiales, et quoad partes accidentales. Si quis sibi suadeat sacram Scripturam ita sinceram ad nos pervenisse, ut nec parvi momenti error aut ex amanuensium oscitantia aut ex temporum injuria ortus in eam irrepserit, is profecto sacrae Scripturae defendit integritatem et quoad partes substantiales et quoad partes accidentales. Quod si concedat nonnullis scatere erroribus et mendis, quae tamen rerum ibi contentarum substantiam, fidem videlicet et mores, non labefactent, is porro integritatem admittit sacrae Scripturae quoad substantiales, non quoad accidentales partes.

Plerique Theologi sive catholici sive protestantes existimant V. ac N. Testamenti Scripturas integras esse quoad partes substantiales, licet fateantur nonnulla ibi levioris momenti sphalmata reperiri. Non defuerunt tamen Eruditi nonnulli qui V. Testamentum a Judaeis, novum vero ab haereticis deturpatum fuisse arbitrati sunt. Quoad vetus Testamentum, Judaeos de studiosa hebraici textus corruptione redarguunt ex iis qui ante Tridentinum scripsere Concilium, De-Lyra in Os. cap. 9. Paulus burgensis in Ps. 22.; post Tridentinum vero Concilium, Canus lib. 2. de Locis cap. 13. Leo a Castro Prol. in Is. Serarius, Petrus Annatus, Johannes Morinus, Isaacus Vossius. Qui ante Tridentinum Scriptores floruere, in eam abierunt sententiam decepti forte ex non probe assequuta lectione Justini, Irenaei, Tertulliani, Eusebii, Hieronymi; horum enim auctoritate in opinionis patrocinium utuntur. Ast qui post Tridentinum scripsere sic opinati sunt, vel ut solam latinam Vulgatam authenticam esse propugnarent, ut Canus, Annatus, nonnullique alii fecerunt; vel ut 70. Interpr. versionem nimis extollerent, ut Morinus, et Vossius. Quodnam de sacrae Scripturae integritate nostrum sit judicium sequentes declarabunt propositiones.

CONCLUSIO I.

Sacra V. Testamenti Scriptura integra est quoad partes substantiales.

Prob. 1. Si sacra V. Testamenti Scriptura quoad partes substantiales depravata aliquando fuisset, factum id certe fuisset a Judaeis christianae Religionis hostibus infensissimis. Nam licet ethnici quoque hostes christiani nominis essent, Scripturas tamen in propria non habebant potestate ut in eas temerarias manus conjicere possent. Deinde adversarii quibuscum modo res est, non a Gentilibus, sed a Judaeis eam depravationem inductam fuisse contendunt. Verum Judaei V. Testamenti Scripturam depravare nullo modo voluerunt. Integram enim complectitur illa judaicam Religionem, eorum scilicet leges ritus et caeremonias quibus divinus cultus subsistit; vaticinia de praestolato ab ipsis Messia; momenta quibus patrium jus in Palaestinam sibi vindicant, et alia hujusmodi. Quis autem sibi suadeat voluisse eos codicem haec omnia continentem de industria depravare? Immo superstitiosum quodam modo habuisse illos erga sacra volumina studium colligitur ex Josepho lib. 1. cont. Apionem, Philone apud Eusebium lib. 8. Praep. cap. 6. et 8. scilicet mortem potius subire parati olim erant, quam vel unum apicem sacrarum immutare Litterarum. Quare cum Justinus in dial. cum Tryph. Judaeos nonnullos Scripturarum insimulaverit mutilationis, sic ei Trypho respondit: *Incredibilis videtur res illa, incredibilis, inquam, profecto videtur: horribilius siquidem est vituli fabricatione quam in terra deserta fecere manna expleti, aut liberis mactatis daemonibus, aut Prophetarum ipsorum occisione.*

Prob. 2. Etiamsi Judaei V. Testamenti Scripturam quoad substantiam depravare voluissent, praestare id nihilominus non potuissent. Ut id enim exequutioni mandarent, duo facere debuissent. 1. Universa judaica gens et Sacerdotes et Rabini populique Primores, ut manus in sacra volumina injicerent, conspirare unanimiter debuissent. Quod si restitissent nonnulli, aliorum consilium plane evanuisset. 2. Universos et singulos sacros per orbem dispersos codices violare debuissent. Quod si aliquot incolumes permansissent, ex illis facile depravatorum detecta fuisset malitia. Ast neutrum certe praestare potuissent Judaei etiamsi voluissent, ut attendenti manifestum est. Augustini sunt duo mox allata argumenta: in lib. enim 15. De Civ. Dei cap. 13. ita scribit: *Si quaeram quid sit credibilius, Judaeorum gentem, tam longe lateque diffusam, in hoc conscribendum mendacium uno consilio conspirare potuisse, et dum aliis invident auctoritatem, sibi abstulisse veritatem; an septuaginta homines, qui etiam ipsi Judaei erant, in uno loco positos ... ipsam veritatem gentibus alienigenis invidisse, et communicato istud fecisse consilio: quis non videt quid proclivius faciliusque credatur? Sed absit ut prudens quisquam, vel Judaeos cujuslibet perversitatis atque malitiae tantum potuisse credat in codicibus tam multis et tam longe lateque dispersis; vel Septuaginta illos etc.*

Prob. 3. Quamvis Judaei sacros V. Testamenti codices deturpare aut voluissent aut potuissent, facto tamen constat corruptos revera non fuisse. Haec namque V. Testamenti corruptio si facta fuisset, vel ante vel post Christi Domini adventum accidisset. Neutrum autem dici potest. Non ante. Nam Christus in primis suam ex libris legalibus et Psalmis et Prophetis demonstrat divinitatem. Deinde Pharisaeos et Sacerdotes ad V. Testamenti lectionem crebro remittit dicens Johan. cap. 5. *Scrutamini Scripturas*. Praeterea auditores suos adhortatur ut legem a Scribis et Pharisaeis explicatam adamussim adimpleant: *Super cathedram Moysis sederunt Scribae, et Pharisaei: quaecumque ergo dixerint vobis, servate, et facite*, Matth. cap. 23. Credibile non est voluisse Christum suam ex corruptis Scripturis demonstrare divinitatem, aut Pharisaeos ceterosque auditores ad violatas remittere Scripturas. Sed neque post Christi tempora ea contigit depravatio. Cum enim in N. Testamento innumera a Christo et Apostolis ex veteri excerpta prostent testimonia, et ea apud nos, quomodo et apud Hebraeos, adhuc legantur, dicendum foret Christum et Apostolos eo modo quo falsanda deinceps erant a Judaeis illa laudasse: quod quam ridiculum sit nemo non videt. Hieronymi in cap. 6. Isaiae est argumentum: *Si aliquis dixerit hebraeos libros postea a Judaeis esse falsatos, audiat Origenem quid in octavo volumine explanationum Isaiae huic respondeat quaestiunculae, Quod numquam Dominus et Apostoli, qui certe crimina arguunt in Scribis et Pharisaeis, de hoc crimine quod erat maximum reticuissent. Si autem dixerint post adventum Domini Salvatoris et praedicationem Apostolorum libros hebraeos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero: ut Salvator et Evangelistae et Apostoli ita testimonia protulerint, ut Judaei postea falsaturi erant.*

Prob. ultimo. Si Judaei temerarias in V. Testamenti codices manus aliquando injecissent, ea praecipue loca quibus praeclara de Messia vaticinia continentur deflorassent. Tantum autem abest id ausos fuisse Judaeos, ut plura clarius penes illos quam apud nos legantur, ut pluribus exemplis demonstrari potest. Hinc optime S. P. Augustinus in Ps. 56. num. 9. *Propterea adhuc Judaei sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus Paganis istas litteras. Et ne forte dicant duri ad credendum quia nos illas Christiani composuimus ... eos convincimus, quia omnes ipsae litterae quibus Christus prophetatus est, apud Judaeos sunt ... librarii nostri facti sunt.*

CONCLUSIO II.

Etiam Scripturae N. Testamenti integrae sunt quoad substantiam.

Prob. 1. Si haeretici N. Testamenti Scripturas in iis quae ad Fidem et mores spectant aliquando corrupissent, fecissent id vel antequam sancti Patres scriberent vel dum ipsi scribebant vel postquam scripserunt. Neu-

trum autem horum dici potest. Non primum. Nam antequam sancti Patres scribere coeperunt, Apostoli et Discipuli Domini adhuc in vivis erant, An ne credendum est voluisse illos permittere ut haeretici in sacras Scripturas impune grassarentur? Quod si id accidisset, dicendum foret sanctos Patres desumptas ex N. Testamenti laudasse sententias juxta haereticorum depravationem, quod eorum doctrinae et auctoritati repugnat. Neque dici potest secundum, quoniam si ea aetate qua sancti Patres scribebant, N. Testamentum falsare tentassent haeretici, eorum corruptelae ab ipsis sanctis Patribus detectae statim fuissent, ut Marcioni accidit: qui statim ac in aliqua loca impias manus admovit, acerrimum expertus est reprehensorem S. Epiphanium qui Haer. 42. ita Marcionem alloquitur: *Etsi tu non relinquas Scripturam, quemadmodum a Salvatore pronunciata est, servantur tamen ista loca in Evangelio sanctae Ecclesiae*: et paucis interjectis subdit: *Nihil hoc nobis nocet; etsi enim absciderit illud, non abscidit a nobis, sed se suosque damno affecit; satis enim refutatus est testimoniorum pluralitate*. Idipsum redarguit Ambrosius lib. 3. De Spir. S. cap. 2. in nonnullis Arianis qui ex Johan. cap. 4. verba illa, *Spiritus est Deus*, abradere tentarunt. Igitur sanctorum Patrum aetate non poterant haeretici novum corrumpere Testamentum quin iidem Patres ceterique orthodoxi illorum detegerent illisque exprobrarent malitiam ac fraudem. Tandem N. Testamenti violatio facta non est ab haereticis post aevum sanctorum Patrum. Primo quia neque Catholici neque diversarum sectarum haeretici id tolerassent, cum sacra volumina communia sint omnibus. Rursus quia innumera testimonia ad praecipua Religionis dogmata confirmanda eodem modo nunc in N. Testamento leguntur ac a veteribus Patribus in eorum scriptis laudantur. Remanet itaque ut fateamur numquam N. Testamenti corruptionem in iis quae substantialia sunt accidisse vel accidere potuisse. His accedit derogare quodammodo divinae Providentiae illos qui sic opinantur. Cum enim Deus perpetuo se adfuturum Ecclesiae spoponderit, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, Matth. cap. 18. si in iis quae Fidem moresque respiciunt corrupta aliquando apostolica scripta fuissent, jam Deus sineret Ecclesiam suam a vera Fide deficere.

CONCLUSIO III.

In Scripturam tam V. quam N. Testamenti nonnulla parvi momenti errata tempore procedente irrepserunt.

Prob. 1. Sacra utriusque Testamenti Scriptura cum res ad Religionem spectantes complectatur, tot tantisque propagata est exscriptionibus, ut nullius plane voluminis tot numero extiterint exemplaria. Porro in tam frequentibus exscriptionibus impossibile fuit ut nullus levioris momenti error amanuensium incuria vel ignorantia in sacros irrepserit codices, cum id cujusvis generis scriptis accidisse experientia doceat.

Prob. 2. Dari cum in veteri tum in novo Testamento variantes lectiones apertissime constat ex *Keri et Kethib* Massoretharum; ex collatione discrepantium lectionum orientalium et occidentalium inter opera Ben-Ascher et Ben-Nephtali; ex Roberto Stephano, Theologis lovaniensibus, Ludovico Cappello, Briano Waltono, aliisque doctis viris: qui collatis invicem antiquissimis MSS. et codicibus, hujusmodi variantes lectiones in unum redegere volumen seu catalogum. Variantes vero lectiones quid aliud sunt nisi errores? Sed errores parvi momenti; alioquin liberum non esset lectori ex duabus unam eligere. Qui plura desiderat adeat Waltonum Prol. 7. Simonium lib. 1. cap. 18. et lib. 2. cap. 4. H. C. V. T. Bellarminum De Verbo Dei script. lib. 2. cap. 2.

Respondetur adversariis.

Obj. 1. cum Morino: *Judaei senatum habuerunt Babylone et in Palaestina, cujus decretis universa gens per orbem terrarum diffusa, religionis voto adstricta lubenter obtemperabat. Si quis vero refragaretur, extra synagogam factus est.* Ergo si senatus ille sub specie emendandi libros suos depravasset et sic describendos edixisset, nullus esset Judaeus qui vel unam literam aliter describere ausus sit.

Resp. Impossibile fuisset ut omnes ac singuli de senatu Rabini ad veterem sacrae Scripturae mutandam lectionem in unum convenirent; tanta enim in sacros codices eorum religio erat, ut mortem potius subire parati essent quam vel unicum sacri textus apicem immutare. Hinc forte penes Judaeos mos invaluit tam libere sacras interpretandi litteras, ut ad nugas ineptiasque tandem deflexerint: qui nimio studio et ad superstitionem usque erga Scripturae corticem ferebantur; et aliunde proprio indulgere volentes ingenio, ea libertate quam adhibitis criticcs regulis in textu servando sibi arrogare non audebant, in Scriptura ipsa interpretanda abutebantur. Postremo quamvis eo devenissent audaciae Rabini, nonne sacri codices prae manibus erant omnium Christianorum. Hi ergo fraudem ipsorum detexissent.

Intercedit hic Alphonsus Salmeron: Judaei non modo potuerunt, sed reapse depravarunt sacras V. Testamenti Scripturas. In dubium enim nequit verti quin inter hebraicos graecosque et latinos codices discrimen non minimum intercedat. Nefas autem est affirmare aut septuaginta Seniores, aut auctorem nostrae latinae Vulgatae manus in sacras Scripturas injecisse: adeoque factum id est a Judaeis.

Resp. Discrimen quod inter hebraicos graecos latinosque codices intercedit, non substantialia sed accidentalia dumtaxat respicit: quae parvi momenti errata in latinos ex aequo ac graecos hebraicosque codices irrepere potuerunt. Et quod codicum differentia a Salmerono exaggerata ad substantiam, hoc est, ad Fidem et mores minime pertineat, ex exemplis ab eo allatis apertissime patet. Praecipua autem haec sunt: Gen. cap. 8. Hebraei legunt, *Corvus egrediebatur, et revertebatur*; Graeci vero et La-

tini, *Non revertebatur*. Ibidem cap. 49. graece et latine, *Qui mittendus est*; hebraice vero שילה, *Siloh*, quod nullam habere dicunt significationem. Deut. cap. 32. in textu hebraico integer desideratur versiculus, *Laetamini caeli simul cum eo: et adorate eum omnes Angeli Dei*; qui tamen laudatur ab Apostolo ad Hebraeos cap. 1. In Ps. 19. ubi apud nos et Septuaginta dicitur, *In omnem terram exivit sonus eorum*, habent Hebraei, *Exivit regula, seu funiculum eorum*. Alia affert Salmeron, alia alii: sed haec potiora sunt. Ast haec et similia non ad Fidem moresque spectant sed levissima sunt, ut vel ipsa lectio demonstrat. Et quoad 1. idem prorsus est, *Corvus egrediebatur, et non revertebatur*, ut Graeci et Latini legunt, ac, *Corvus exiit eundo, et redeundo*, ut habent Hebraei; hoc enim postremum verbum non indicat corvum in Arcam introisse, sed circa eam eundo ac redeundo volitasse. Ad 2. dico falsum esse vocem *Siloh*, nihil penes Hebraeos significare; eo quippe vocabulo Messiam intelligunt tum tria Targumim, tum Rabinorum plerique. Ad 3. Laudatum ab Apostolo comma etsi desideretur in cantico Moysis, habetur tamen apud Latinos Graecos et Hebraeos Ps. 99. Ad 4. respondeo voculam hebraicam קום, *kauam*, quae occurrit Ps. 19. v. 5. significare quidem *lineam, delineationem, regulam, amussim, filum mensorium eorum*; sed hoc non impedit quominus קו, *kav*, *sonus* verti possit: idem est enim Apostolos omnem terram delineasse et quasi mensorio filo commensurasse, ac in omnem terram sonitum eorum diffudisse; dimensi sunt enim quodammodo terram dum profecti Evangelium ubique praedicaverunt. Non semper ergo discrepant quae discrepare videntur. Sed quoniam nonnulla adduci possent quae inter se revera dissentiunt, regulam hic ex Hieronymo et Augustino tradam. Si quandoque contingat ut aliud in Vulgata, aliud in hebraicis graecisque codicibus inveniamus, si non contradicant sintque dumtaxat diversa, utraque lectio recipienda et catholico sensu interpretanda est. Si vero sibi contradicant, ut affirmatio et negatio, adhibenda est diligentia si qua ratione possimus ostendere illa in specie tantum et non reipsa sibi adversari. Ubi autem nulla possit iniri concordia, lectioni illi standum est quae praecedentibus et consequentibus consonat; aut quae cum apostolicis et evangelicis magis convenit litteris, aut quae antiquiora et probatiora pro se habet exemplaria, aut quae agnita est a pluribus Patribus et probata, sive hebraea sit sive graeca sive latina.

Obj. 2. Sacra Scriptura depravata videtur etiam in iis quae ad substantiam spectant. Nam 1. in Ps. 13. octo desunt integri versiculi cum apud Hebraeos tum apud septuaginta Interpretes: qui tamen in nostra latina Vulgata leguntur et laudantur ab Apostolo in Ep. ad Rom. cap. 3. Carentia porro haec ad litterae summam spectat. 2. Judaei ipsi denegare non audent eorum Sapientes sexdecim vel octodecim in sacris Scripturis permutasse loca, quas mutationes, correctiones vocant Scribarum. Cumque etiam in nostra latina Vulgata ea loca juxta correctionem Scribarum legantur, consequitur hebraicos latinosque codices esse corruptos. 3. Judaei ut Christianis negarent Christum esse Messiam, sacrae Scripturae Chronologiam ubi-

que inverterunt. Differt enim quam maxime hebraici textus chronotaxis ab ea quae in Septuaginta versione recensetur. 4. Justinus in Dial. cum Tryph. Irenaeus lib. 4. cap. 25. Tertullianus De habit. mul. cap. 3. aliique veteres Judaeos tamquam Scripturae depravatores insimulant.

Respondeo ad 1. Cum laudati octo versiculi non modo in hebraico textu, sed in Septuaginta translatione desiderentur, si mutilationis auctores fuissent Judaei, dicendum foret mutilasse illos etiam graecam versionem, quod a vero alienum esse nemo non videt. Nam horum decurtationem versiculorum factam fuisse autumant adversarii longe post Christi tempora, ut mendacii Apostolum revincerent. At post Christi aetatem graeca versio Christianorum omnium manibus terebatur, qui certe Judaeorum redarguissent audaciam. Dicendum itaque cum Hieronymo est, numquam laudata commata in Ps. 13. extitisse, sed Paulum ea ex variis Scripturae locis laudasse; in aliis quippe inveniuntur Psalmis, et in Isaiae cap. 56. Ab aliquo autem amanuensi in Ps. 13. nostrae Vulgatae conjecta sunt; ibique remanere sinit Ecclesia, quoniam Scripturae verba sunt.

Ad 2. mutationes a sapientibus factas levioris esse momenti: Gen. namque cap. 18. ubi nunc legitur, *Abraham adhuc stabat coram Domino*, olim lectum fuisse ajunt, *Dominus adhuc stabat coram Abraham*. Deinde quamvis mutationes illae spectarent ad substantiam, non a quibuscumque Scribis, sed ab Esdra aliisque Prophetis inductas fuisse Eruditi contendunt: unde Num. 12. in massora marginali legitur, *Locum istum esse unum ex 18. correctionibus Esdrae*. Quare corruptiones dici non possunt. Denique Sixtus senensis, Bellarminus, Bonfrerius, atque Buxtorfius correctionem Scribarum merum esse Rabinorum figmentum arbitrantur.

Ad 3. Ut Vossii argumentum nostram labefactaret sententiam, prius demonstrare deberet septuaginta Interpretum chronologiam adeo esse accuratam, ut ad illam veluti ad lydium lapidem esset confugiendum: quod numquam assequi poterit. An Chronologia quae in hebraico textu et in nostra latina Vulgata prostat, chronologiae septuaginta Interpretum sit praeferenda non est hujus loci disputare. Hoc unum in dubium verti nequit, Hebraeos nempe illam de industria non invertisse. Nam si id facere voluissent, manus certe injecissent suas in prophetiam Danielis, ubi adventus Messiae tempus adeo praecise definitur; ut Judaei ipsi cum adimpletam fuisse negare non possint, ad effugia converterint animum, docentes ob infanda ab eis patrata scelera dilatum esse Messiae adventum. Accedit his, quod cum Samaritani quoque eamdem saltem quoad integram annorum summam habeant cum Judaeis chronologiam, dicendum esset Samaritanos atque Judaeos simul in deturpanda Chronologia conspirasse, quod nemo certe crediderit: tum quia irreconciliabile semper fuit Judaeos inter ac Samaritanos odium: tum etiam quia licet in annorum summa conveniant, discrepant tamen quam maxime in singulis supputandis aetatibus. Hinc veteres Patres, Africanus, Origenes, Justinus, Eusebius, aliique, interpolatae Chronotaxis numquam vel Judaeos vel Samaritanos insimularunt.

Ad 4. Ut veterum Patrum mentem iis in locis ubi violatae Scriptu-

rae accusare videntur Judaeos probe assequamur, animadvertendum sedulo est ex hebraico textu, velut rivulum a fonte, derivasse primitus septuaginta Interpretum versionem. Quae versio penes Judaeos et Christianos ita obtinuit, ut si alia esset Scriptura fere ignoraretur. Cum interim Christianos inter ac Judaeos controversiae de adventu Messiae ab initio exortae quotidie recrudescerent, et ex Prophetarum oraculis juxta 70. Interpr. versionem Judaei caecitatis revincerentur, Aquila, Theodotion, et Symmachus alias aggressi sunt adornare ex hebraico textu versiones, quae quidem quoad singula verba, verborum nexum ac dispositionem, versioni septuaginta Interp. non respondebant; quamvis cum ea convenirent in iis quae ad substantiam pertinent, si nonnulla excipias: quae cum penes Hebraeos ancipitem admittant sensum, sensu Christianis contrario interpretati sunt; atque ad has versiones in controversiis dirimendis Judaei provocabant. Sancti vero Patres diversimode allegari Scripturam ac in Septuaginta habebatur animadvertentes, clamabant Judaeos ad corruptas confugere Scripturas. Haec ita se habere constat legenti veterum Patrum opera, ac Justini praesertim Dialogum cum Tryphone. Quare sancti Patres Judaeos violatae Scripturae insimulantes, Judaeorum nomine, non Synagogam quae in christianae Religionis odium hebraicum fontem vitiaverit, sed Aquilam, Theodotionem, ac Symmacum intelligebant, quos male interpretatos fuisse Scripturam autumabant.

CAPUT III.

Qua lingua libri cum V. tum N. Testamenti scripti primitus fuerint.

Omnes omnino conveniunt Auctores hagiographos in sacris tam veteris quam novi Testamenti concinnandis Scripturis, usurpasse linguas, hebraicam nimirum, chaldaicam, atque graecam; illorum enim opinio qui Evangelium Marci latino sermone exaratum fuisse arbitrantur, a doctis viris tamquam minus probabilis explosa jam est, ut paullo post animadvertemus. Unde suam hebraica lingua ducat originem, incompertum est adhuc apud Theologos. Nonnulli apud Gregorium nyssenum Orat. 12. cont. Eunom. existimant esse quamplurimis aliis recentiorem, utpote quam tunc primum illam loquuti sunt Judaei a Deo per miraculum edocti, cum egressi sunt ex Ægypto. Opinio Judaeorum redolet genium. Autumant alii post Samuelem Bochartum, Danielem Huetium, Simonium, non aliam hebraicam linguam fuisse quam chananaeam; unam ex iis, quae ex babelica ortae sunt confusione. Ad Hebraeos vero transisse per Abraham qui dum Chanaanitidem appulit, regionis perdidicit eloquium. Veteres autem Judaei, Origenes, Augustinus, Hieronymus quos sequuti post sunt Judaei omnes recentiores cunctique fere Christiani, putant Hebraeorum linguam eam esse quam loquutus est olim Adam: et ceteris hominum ortis ad Turrim babelicam linguis, hanc in Semi Heberique familia perseverasse; atque ab iis per Abrahamum ad universam derivasse israeliticam gentem.

Undecumque tamen suam ducat originem, id unum quod ad praesens attinet institutum scire sufficiat, hebraeam videlicet linguam eam esse, quae penes Hebraeos ab Abraham usque ad Moysem, et a Moyse usque ad babylonicam captivitatem in usu erat. Nam captivitatis tempore coeperunt uti Judaei lingua chaldaica quae propria Babyloniis erat, quamque temporis diuturnitate ita didicerant, ut veteri hebraica amissa cujus notitia apud sacerdotes et eruditos dumtaxat remansit, non aliam postea adhibuerint, etiam cum reversi sunt Jerosolymam, nisi chaldaicam, usque ad Christi tempora Apostolorumque aetatem succedentia.

His probe perpensis animadvertendum quoque est chaldaicam linguam, quod illam adsciverint Hebraei, dici quandoque hebraicam. Sed appellari solet etiam aramaea syriaca assyria; quoniam communis his regionibus ex aequo erat, quamvis in paucissimis differrent ad invicem, ut observarunt Gregorius Amira Praelud. Gram. Syr. sive Chal. et Ludovicus de Dieu Praef. Gram. Chal. et Syr.

Ad rerum evitandam confusionem et illud arbitror praenotandum, Hebraeos a tempore quo scribere coeperunt usque ad babylonicam servitutem, litteras perpetuo usurpasse quae nunc samaritanae appellantur sive phoeniciae. Post captivitatem vero adoptasse litteras chaldaicas ad veterem etiam hebraicam linguam exprimendam. Atque has retinent usque ad haec nostra tempora. Pauca haec de hebraica chaldaicaque lingua praemonuisse sufficiat. De graeca enim aliquid adnotare supervacaneum existimo, cum ejus origo sit omnibus manifestissima.

CONCLUSIO I.

Libri V. Testamenti quos in suo Canone recipiunt Judaei, si Danielem excipias, hebraice primitus scripti sunt.

Prob. I. Libri V. Testamenti quos in suo Canone recipiunt Judaei, omnes, excepto Daniele, scripti sunt antequam Esdras Canonem elucubraret sacrae Scripturae. Ast Auctores hagiographi antequam Esdras Canonem clanderet, non alia nisi hebraica utebantur lingua, ut constat ex iis quae praenotavimus quaeque nullam patiuntur difficultatem, nisi respectu libri Esther quem scriptum esse constat post reditum a babylonica captivitate: adeoque tempore quo novam adsciverant Judaei chaldaicam linguam. Sed et quoad hunc librum Esther spectat, tum auctoritate Hieronymi, tum ex quo voluminis auctores fuerint Mardochaeus ipsaque Esther, apparet et illum hebraica lingua fuisse adornatum. II. Recentiores Judaei hac etiam nostra aetate V. Testamenti libros in synagogis legunt hebraica lingua, eademque lingua illos exaratos habent in eorum Bibliis. Rursus ecclesiastici cujuslibet aevi Scriptores fidem faciunt Judaeos in synagogis et Bibliis canonicos libros hebraica lingua conscriptos semper habuisse. III. Accedit his Hieronymi auctoritas cujus sententias superfluum est exscribere, cum in V. Testamenti libros singulis praefationibus id dissertissime affirmet.

CONCLUSIO II.

Liber Danielis chaldaice; alii vero quos Judaeorum Canoni addidit Ecclesia, nonnulli hebraice, aliqui chaldaice, quidam graece fuere exarati.

Prob. per singula volumina excurrendo. De libro Danielis haec habet Hieronymus Praef. in Dan. *Danielem Prophetam juxta Septuaginta interpretes, Domini Salvatoris Ecclesiae non legunt, utentes Theodotionis editione; et hoc cur acciderit, nescio. Sive enim quia sermo chaldaicus est, et quibusdam proprietatibus a nostro eloquio discrepat, noluerunt Septuaginta interpretes easdem linguae lineas in translatione servare, sive sub nomine eorum ab alio nescio quo non satis chaldaeam linguam sciente, editus est liber: sive aliud quid caussae extiterit ignorans*. De lib. Judith Praef. in Judith: *Chaldaeo*, inquit, *sermone conscriptus, inter historias computatur*. Idipsum de lib. Tobiae asserit Praef. in hunc librum: *Mirari non desino exactionis vestrae instantiam, exigitis enim ut librum chaldaeo sermone conscriptum, ad latinum stylum traham, librum utique Tobiae*. Ait quidem Origenes Ep. ad Africanum de Judith ac Tobiae libris: *Nos oportet scire, quod Hebraei Tobia non utuntur, neque Judith. Non enim habent nisi in Apocryphis hebraice, ut ab ipsis discentes cognovimus*. Sed manifestum est Origenem hebraicae linguae nomine linguam intelligere chaldaicam. Hi namque libri et Daniel propheta ea scripti sunt aetate, qua veteri amissa lingua, Judaei chaldaicam loquebantur. Librum Sapientiae hebraico scriptum fuisse idiomate arbitror ex eo, quod major Eruditorum pars a Salomone elucubratum fuisse contendat, cujus aetate nonnisi hebraica lingua penes Judaeos in usu erat. De volumine Ecclesiastici loquens Hieronymus Praef. in lib. Salom. inquit: *Hebraicum reperi, non Ecclesiasticum, ut apud Latinos, sed Parabolas praenotatum*. Nescio tamen num S. Doctor *Hebraicum* atque *Chaldaicum* promiscue usurpet. Chaldaicum namque idioma, quod illud hebraea gens usurparet, hebraicum dici consuevisse jam praemonuimus. Eodem sensu accipienda esse puto ejusdem eximii Doctoris verba, ubi de lib. 1. Mach. in Prol. Gal. disserens, scribit: *Machabaeorum primum librum hebraicum reperi*. Nam primo Machabaeorum tempore jam in usu erat chaldaica lingua. Deinde Origenes apud Euseb. lib. 6. H. E. cap. 25. titulum hujus libri non hebraice, sed chaldaice recitat. De secundo autem Machabaeorum nemini dubium quin graece fuerit concinnatus; unde laudatus saepe Hieronymus in Prol. Gal. inquit, *Secundus*, (Machabaeorum) *graecus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest*.

CONCLUSIO III.

Libri N. Testamenti graece omnes scripti sunt, uno excepto Matthaeo qui syriace sive chaldaice elucubratus est.

Prob. ex Hieronymo, qui praef. in Evang. ad Damasum: *De novo*,

inquit, *nunc loquor Testamento*; *quod graecum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthaeo, qui primus in Judaea Evangelium Christi hebraicis litteris edidit*. Haec S. Doctoris sententia thesim nostram in terminis continet. Asserit quidem Hieronymus Matthaei Evangelium hebraice scriptum fuisse, sed, ut saepe monuimus, hebraice atque chaldaice idem sunt penes ipsum: tum quia vetus hebraica lingua apud Judaeos jam obsoleverat et a paucissimis intelligebatur: tum etiam quia idem Hieronymus de Evangelio loquens quo utebantur Nazaraei, et quod Evangelium ab eo censebatur Matthaei, ita Dial. 3. cont. Pelagian. scribit: *In Evangelio juxta Hebraeos quod chaldaico quidem syroque sermone sed hebraicis litteris scriptum est, quo utuntur usque hodie Nazaraei, secundum Apostolos, sive ut plerique autumant juxta Matthaeum, quod in caesariensi Bibliotheca habetur etc.*

Responsiones ad objecta.

Obj. 1. cont. 2. prop. Liber Sapientiae vel chaldaice primitus scriptus fuit, vel graece. Nam 1. R. Moyses Ben-Nahaman se librum hunc chaldaice scriptum vidisse testatur. II. Hieronymus Praef. in lib. Salom. de libro Sapientiae inquit: *Apud Hebraeos nusquam est, quin et ipse stylus graecam eloquentiam redolet.*

Resp. ad 1. Potuisse Moysem Ben-Nahaman Sapientiae librum chaldaice scriptum videre, quod ex hebraeo vel graeco ab aliquo ex Rabinis fuerit in gratiam gentis suae translatus. Quare R. Azarius Prel. com. in Penth. Rabini Moysis referens verba, inquit: *Si tamen non est translatus.*

Ad 2. Ideo Hieronymus asserit apud Hebraeos Sapientiae librum nusquam extare, quoniam illum Hebraei, utpote post clausum Canonem publicatum, in indice ab Esdra confecto non invenerunt. Quod si graecam, ut Hieronymus inquit, redolet eloquentiam, non id indicium est graece primitus fuisse elaboratum, sed potius nimiae libertatis interpretis in eo vertendo.

Obj. 2. Contra 3. prop. Matthaei autographum scriptum videtur graeca lingua. I. enim in eo Evangelio plura hebraica vocabula occurrunt, puta, *Eli*, *Eli*, *lamasabacthani*, *Haceldama*, *Golgotha*, *Emmanuel* etc. graece interpretata. II. Matthaei Evangelio simile prorsus est Evangelium Marci quod scriptum est graece. III. Nemo idoneus afferri potest testis qui Evangelium illud hebraice scriptum se umquam vidisse affirmet; quod enim Hieronymus de Evangelio Nazaraeorum inquit, nequit de Evangelio Matthaei intelligi. IV. In hoc Evangelio plura ex V. Testamenti juxta versionem septuaginta Interp. excerpta leguntur. V. tandem Hebraei omnes superioribus etiam Christo temporibus in tota Palaestina, non aliter quam graeca lingua fuerunt instructi.

Resp. ad 1. Ergo ne Moyses graece scripsit, quia saepe in libris Legis hebraicorum vocabulorum interpretationes afferuntur, ut Gen. cap. 31 v. 48. *Galaad*, *id est*, *Tumulus testis*; cap. 35. v. 18. *Benoni*, *id est*, *filius do-*

loris mei; Exod. cap. 12. v. 11. *Phase*, id est, *transitus Domini*; et cap. 16. v. 15. *Manhu! quod significat, Quid est hoc?* ut multa alia veteris Testamenti loca praeteream? Haec scilicet omnia primum graecus, postea latinus Interpres explicuit, ne ignoraret lector causam quare ita appellata sint, vel locus vel res vel persona quorum nomina integra retinuerat. Interpretes enim solent illustriora quaedam nomina aut propria aut appellativa non immutare, addita quidem interpretatione, ut Grotius annotationibus in Matthaeum advertit: *Solemne est omnibus scriptoribus etiam interpretibus vocabula peregrina notabiliora servare integra: sed addito interpretamento, quod aliquoties etiam factum videmus a senibus Septuaginta*. Quod ita si est, quid esse credibilius potest quam graecum Matthaei Interpretem nonnullas istiusmodi voces servasse, ut propria nomina cognosceremus personarum et rerum de quibus sermo erat, et praeterea quid valerent significasse? *Emmanuel*, *Golgotha*, *Haceldama* propria sunt nomina et personae et rei; retineri ergo illa debuerunt et explicari. *Eli*, *Eli*, describenda similiter erant, ut deceptos Eliae nomine et similitudine auditores cruci adstantes facile intelligeremus; cum contra tacitis syriacis verbis consequi non potuissemus quomodo vocatum a Christo Eliam credidissent.

Ad 2. Similitudo quae Marcum inter et Matthaeum intercedit, non ex eo ducit originem quod graece uterque scripserit: sed ex eo quod cum ambo Judaei essent, quamvis diverso scripserint eloquio, patrii tamen idiomatis proprietatem retinuerunt. Ita Jacobus Stunica initio Annot. in Erasmum: *Non hoc novum videri debet, si loquendi idiomate omnes conveniant, etiamsi diversis linguis Evangelia scripserint; erant enim ejusdem gentis, hoc est Hebraei ex Hebraeis; et qui graece ex illis scripserunt, patriae linguae proprietatem in graeca scriptione saepissime referunt*. Quod si quis similiora esse contenderet Matthaei ac Marci Evangelia quam hebraeorum hominum indoles postulet, huic responderemus aut graecum Evangelii syriaci Interpretem usum esse graeco Marci Evangelio dum interpretaretur; aut sine ullo exemplo sibi proposito planiora atque usitatiora verba adhibuisse, qualia et Marco in mentem venerunt; aut Marcum ad graecam versionem Evangelii Matthaei Evangelium suum elaborasse, quod quibusdam verisimilius videtur.

Ad 3. Falsum est neminem Evangelium Matthaei chaldaice scriptum vidisse. Qui de illo ex Veteribus loquuntur, adeo certo asserunt hebraice fuisse scriptum, ut non obscure significent propriis oculis eo modo scriptum conspexisse. Papias qui cum Apostolorum discipulis vixit, apud Eusebium lib. 3. Hist. cap. 39. ait: *Matthaeus quidem hebraico sermone divina scripsit oracula; interpretatus est autem unusquisque illa prout potuit*. Irenaeus lib. 3. adver. Haeres. cap. 1. scribit: *Ita Matthaeus in Hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii*. Origenes apud Eusеb. lib. 6. cap. 25. *Primum scilicet Evangelium scriptum esse a Matthaeo, prius quidem pubblicano, postea vero apostolo Jesu Christi, qui illud hebraico sermone conscriptum Judaeis ad fidem conversis publicavit*. Cyrillus hierosolymitanus Catech. 14. *Matthaeus scribens Evangelium*,

lingua hebraica illud scripsit. Quod vero inquiunt, Hieronymum vidisse dumtaxat Evangelium Nazaraeorum, in adversarios retorqnetur; nam Nazaraeorum Evangelinm erat ipsum Matthaei autographum: *Vocatur a plerisque Matthaei authenticum*, inquit S. Doctor com. in cap. 12. Matth. Ast Evangelium Nazaraeorum chaldaice seu syriace scriptum erat.

Ad 4. Decem sunt V. Testamenti loca in Matthaei relata Evangelio ex quibus tamen tria dumtaxat ad septuaginta Interpretum alludere videntur versionem, nempe cap. 3. v. 3. cap. 6. v. 4. et 7. Reliqua vero septem, qnae habentur cap. 1. v. 23. cap. 2. vv. 6. 15. 17. cap. 4. vv. 10. 15. cap. 8. v. 17. non ad litteram, sed ad sensum citantur, et hebraico textui magis quam Septuaginta respondent versioni, ut Hieronymus in Catal. cap. 3. animadvertit, dicens: *In quo animadvertendum, quod Evangelista non sequatur Septuaginta translatorum auctoritatem*. Immo tria illa Prophetarum loca quae ex septuaginta Interpretum versione deprompta videntur, et illa desumpta sunt ex hebraica veritate, quae laudatis in locis versioni Septuaginta respondet adamussim. Quare ex hac similitudine confici nequit Evangelium Matthaei non hebraice sed graece scriptum fuisse.

Ad 5. Nihil est in Scriptnris cum novi tum veteris Testamenti tam clarnm quam Judaeos propriam retinuisse lingnam, eaque diversa ab usu gentium inter qnas versabantur, cum suis colloqnutos. Cap. 7. lib. 2. Machab. mater et septem filii fratres Antiocho Epiphani vim facienti ut a lege recederent, graece respondebant quidem et sermonem ad se invicem habebant patrium, chaldaicum videlicet seu syriacum. De matre ait sacer scriptor v. 21. *Singulos illorum hortabatur voce patria fortiter*; et v. 27. *Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce, Fili mi* etc. Quid est autem haec vox patria nisi sermo Judaeorum proprius qui Jerosolymis vigebat? Non intercidisse vero ibidem Josephi aetate eum loquendi usum, ipsemet praef. in Antiq. Judaic. affirmat inquiens, se propterea diutius gentis suae historiam scribere distulisse quam in eam cogitationem venerat, quod in graeca extranea lingua difficulter sensu suo eloqueretur; et praef. lib. De bello Judaic. cum se hebraica gente Jerosolymis natum dicat ex sacerdotali genere, patriam linguam chaldaicam lingnam nominat. Num vero sive qui volet eam lingnam chaldaicam cum Josepho dicere, per me appellet, licet; sive syriacam appellare malit, non impediam: dummodo non erremus nominis ambiguitate, atque hoc constet, quadam dialecto chaldaica, quali utebantur Syri, hebraicis quibusdam vocabulis intexta tum effari consuevisse, quod Evangelistae omnes exemplis quibusdam relictis notarunt. Lucas enim Act. cap. 1. v. 19. agrum a Judaeis emptum pretio quod Judas projecerat, inquit appellatum *Lingua eorum* Haceldama; sive ut habet graecus textus, *propria dialecto ipsorum*. Vox antem illa syriaca est. Voces quoque *Betzaida*, *Golgotha*, *Gabbata*, *Talita*, quas S. Joannes dicit hebraice Judaeis cogitatas, sunt syriacae. Ex titulo pariter cruci praefixo qui scriptns erat, graece, hebraice, et latine, perspicitur tria haec idiomata in urbe Jerosolyma vulgo in usu fuisse, hebraicum indigenis, advenis graecum et latinum. Item

Christus in cruce expirans syriaca ad Patrem est loquutus, *Eli*, *Eli*, sive ut Marcus refert, *Eloi*, *Eloi*, *lammasabacthani?* Simili modo Paulus Act. cap. 21. v. 40. *Annuit manu ad plebem, et magno silentio facto, allocutus est lingua hebraea*: et v. 2. sequentis capitis: *Cum audissent autem quia hebraea lingua loqueretur ad illos, magis praestiterunt silentium.* Atque ut omnia concludamus, Tribunus Paulum interrogat Act. cap. 21. v. 37. an graecum sermonem calleat: *Graece nosti?* At insulsa fuisset interrogatio, si Hebraei hierosolymitani omnes non aliud quam graecum idioma loquerentur. Quae cum ita sint, satis constare arbitror, cum lingua hebraeis familiari Matthaeus praecepta quae voce dederat scripto relinquere voluerit, syriaca Evangelium suum tractasse.

Obj. 3. advers. camdem thesim. Multa suadent Evangelium Marci latino fuisse idiomate ab Auctore exaratum. I. In Pontificali, quod sub Damasi nomine circumfertur, expresse legitur fuisse latine conscriptum. II. Idipsum in ejusdem Evangelii syriaca versione occurrit ad calcem. III. Dubitari non potest quin Romae et pro Romanis Marcus Evangelium in litteras retulerit, adeoque romana lingua illud scribere debuit. IV. Asservatur Venetiis Evangelii hujus autographum, quod latine scriptum esse Eruditi testantur.

Resp. ad 1. auctoritatem Pontificalis, quod Damaso vulgo tribuitur, dubiam admodum esse apud doctos viros. Neque enim Damasum auctorem habuit, neque cum veteribus hac in caussa sicuti et in multis aliis, convenit Patribus. Nam Tertullianus, Irenaeus, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, uno ore affirmant Marcum graece non latine Evangelium suum edidisse.

Ad 2. et 3. Minoris quoque ponderis est auctoritas quae ex sacrorum Voluminum inscriptionibus versionibus appositis, desumitur; praesertim si de versionibus orientalibus sermo instituatur. Versionis syriacae Auctor forte deceptus est ex eo, quod Marcus Romae Evangelium scripserit ac praedicaverit, non animadvertens opus illud insumpsisse pro Judaeis Romae commorantibus, ut diserte testantur Papias apud Eusebium lib. 3. H. E. Auctor Synopseos inter opera S. Athanasii, Epiphanius haeres. 51. aliique. Judaei autem Romae degentes non latinam, sed graecam linguam quomodo et Romani complures, vulgo loquebantur, ut ex Juvenali satyr. 6., et Martiali Epigr. 68. constat; unde optime Grotius Annot. in Tit. Marci: *Judaei*, inquit, *qui Romae agebant, plerique latini sermonis ignari, longe per Asiam et Graeciam habitatione, graecam linguam didicerant, et Romanorum vix quisquam erat non graece intelligens.*

Ad 4. Pauci admodum sunt, qui sibi suadeant Evangelii codicem qui asservatur Venetiis, esse S. Marci autographum: tum quia hujusmodi fides nonnisi populari traditione, non solido nititur fundamento: tum etiam quoniam pauci hii qui arbitrantur codicem esse S. Marci autographum, putant graecis, non latinis scriptum fuisse litteris; cum revera characteres, etsi vix legi possint, evidenter graeci sint, ut harum rerum testis peritissimus ac judex idoneus cl. Montfauconius Stin. Ital. cap. 4. observavit.

Vide Rich. Simonium hist. cr. N. Testamenti, Ceillerium tom. 1. lib. 2. Hist. Gen.

Obj. 4. Paulum ad Hebraeos hebraico scripsisse sermone, multa suadent. 1. Paulus debuit scribere hanc epistolam hebraice utpote hebraeum Hebraeis, ut illam Hebraei legere et in usum convertere possent. 2. Stilus disertissimus hujus epistolae prae ceteris probat Apostolum patria scripsisse lingua in qua eloquentia facilior evadit. 3. Similitudo quae intercedit inter hujus epistolae stilum et S. Lucae stilum, commonstrat ab ipso fuisse graeco traductam sermone.

Resp. Quamvis multi veteres et recentiores Paulum ad Hebraeos scripsisse hebraice affirmaverint, tamen cum rationes quibus ipsi innituntur, nec tollant dubitationem, nec inducant persuasionem, hinc nobis magis placet sententia contraria, utpote probabilior. Nam si Paulus scripsisset hebraice, autographum hebraicum primis Ecclesiae temporibus debuisset existere. Jam vero nemo vidit illud, nec Clemens alexandrinus, neque Origenes, neque Eusebius, neque Hieronymus, neque Epiphanius, scrutatores diligentissimi antiquitatis; nec Photius qui licet tot libros legerit ecclesiasticos, nullum tamen invenit, qui hoc autographum aliquo modo nominaret. Quod est certum, illud secundo Ecclesiae saeculo non existere; alioquin interpres syriacus in adornanda sua versione usus esset eodem; nec ad textum graecum ut fecit, recurrisset. Deinde si haec epistola lingua scripta esset hebraea, dictionis hebraicae contineret colores; quemadmodum facile deprehenduntur in libri Ecclesiastici versione graeca. Sed e contra non continet nisi characteres graecae eloquentiae. Et sicut Hieronymus hoc medio librum Sapientiae et secundum Machabaeorum graece exaratos fuisse demonstrat, ita similiter nos affirmare possumus de paulina epistola ad Hebraeos. Adde, quod si Paulus epistolam ad Hebraeos hebraice scripsisset, citans Scripturam veteris testamenti, citasset juxta textum hebraeum, et non juxta versionem Septuaginta. Ergo graecus est textus originalis. Quod magis magisque probatur ex eo quod rationes sententiae contrariae nihil conficiant. Et quoad diversitatem stili, facile est determinare caussam ejusdem medio differenti ab illo quod adversarii producunt. Potest tribui, suppositione tota naturali, vel operis naturae, quod cum sit minus epistola quam tractatus ad docendum aptus, debuit subliminiora continere; vel diligentiori Apostoli attentioni, qui cum plus commoditatis haberet, et agere cum personis deberet suae contrariis doctrinae, suum opus majori studio confecit; vel tandem sublimitati subjecti. 2. Ratio quae docet Paulum scribentem ad Hebraeos, hebraice scribere debuisse, nihil probat. Nam Paulus scribere intendebat ad Judaeos Palaestinae: sed pariter intendebat suam scribere epistolam ad Judaeos hellenistas. Hinc graecum debuit adhibere sermonem qui erat vulgaris penes hos postremos Judaeos, et qui intelligebatur etiam a Judaeis Jerusalem, ut Josephus et Talmud testantur. Postrema ratio adversariorum nullius est ponderis; quoniam, ut observavit doctissimus Lardner, adest plus discriminis inter stilum divi Lucae et stilum hujus epistolae, quam inter stilum

hujus epistolae et illum aliarum S. Pauli epistolarum. Adde, hanc similitudinem esse adeo parvam ut multi ex antiquis et recentioribus crediderint in illa deprehendere aliquam affinitatem cum stilo S. Clementis. Quis ignorat discrimen inter Lucae stilum et illum hujus Pontificis?

COROLLARIUM.

Ex iis quae hactenus disputavimus sequitur apertissime turpiter mentiri Spinozam dum asserit V. Testamenti libros quos nunc habemus, recentiores esse; et Pentateuchum ab Esdra, reliquos autem posterioribus saeculis, et paullo ante Christum fuisse compositos. Si namque libri quos in suo Canone recipiunt Judaei, hebraice omnes, uno excepto Daniele, scripti fuerunt; modo quum hebraice exaratos illos adhuc retineant Judaei, conficitur eosdem esse quos ediderunt scriptores quibus tribuuntur, donec a Benedicto Spinoza solidum aliquod afferatur momentum quod contrarium evincat, quodque numquam ab eo afferetur.

CAPUT IV.

De textu samaritano, versionibusque ex eo depromptis; item de versionibus syriacis, arabicis, armenica, cophtica, persica, et chaldaicis paraphrasibus.

Innumera propemodum sunt quae de textu samaritano ejusque versionibus ab Eruditis disputari solent. Nobis pauca de his tradere in animo est; tum quia tyronum memoria multis oneranda non est, tum etiam quia de hoc argumento fuse pertractant Brianus Waltonus in suis Prolegomenis, et Rich. Simonius in Hist. cr. V. Testamenti, quos tyrones consulere poterunt.

Sciendum itaque est Judaeos omnes ab initio usque ad Roboami Salomonis filii regnum, unam fuisse gentem, unamque singulos coluisse religionem. Sub Roboamo facta divisio est: et qui Roboamum ipsum sequuti Jerosolymis remanserunt, Judaei: qui vero abierunt post Jeroboamum, nunc Israelitae nunc Samaritani ab urbe Samaria sunt appellati. Quamvis Israelitae seu Samaritani avitam illico deformaverint religionem, numquam tamen de Pentateucho Moysis abjiciendo cogitarunt; imo eo usi sunt perpetuo usque ad illorum captivitatem quae sub Assaradone ac Salmanassare Assyriorum regibus contigit, ut ex IV. Regum eruitur, ubi tria quoque fuisse narratur Israelitarum genera, nonnullos videlicet optimos, III. Reg. cap. 19; alios imbecilles, ibid cap 18; reliquos demum impios ac scelestissimos, Ezech. cap. 16.

Quando vero Israelitae in trans-euphrataeam asportati sunt regionem, tunc jubente Salmanassare Samariam habitarunt Chutaei ac Babylonii qui ex regione, Samaritanorum nomen et ipsi sortiti sunt. Hi autem, quum a leonibus Deo sic disponente ob avitam quam retinebant idololatriam,

lacerarentur, per sacerdotem israelitam illuc a Salmanassare missum Pentateuchum receperunt, ut ex lib. IV. Reg. cap. 17. apparet, illumque non interrupta serie retinuisse usque ad Alexandri M. tempora ex eo colligitur, quod ab illo facultatem templum aedificandi in monte Garizim, jerosolymitano aemulum, obtinuerint. Sed neque deinceps umquam Pentateuchus samaritanus intercidit, quum omnes fere veteres Patres usque ad Hieronymum mentionem illius fecerint. Post Hieronymi autem aetatem diu in latebris jacuit, quoniam Samaritanorum dumtaxat reliquiae quaedam nobis penitus ignotae in Asia delitescentes eo utebantur; donec ex Oriente in Europam delatum publici juris fecit Johannes Morinus, et nunc typis prostat excusus in Polyglottis parisiensibus et anglicanis.

Pentateuchus hic samaritanus hebraico textui ita respondet, ut pauca admodum sint eaque levissima in quibus dissentiunt: hoc uno dumtaxat inter utrumque intercedente discrimine, quod textus hebraicus litteris chaldaicis sive syriacis; samaritanus autem litteris antiquis, scilicet samaritanis vel phoeniciis seu chananaeis extet exaratus. Hinc recte Pentateuchum hebraicum et samaritanum duo esse ejusdem textus exemplaria dixeris, diversis expressum characteribus; adeoque utrumque ad faciendam fidem valere. Neque enim audiendi sunt qui arbitrantur Pentateuchum samaritanum a Dositheo primum, tum et ab aliis fuisse luxatum; nam quae in hodierno Pentateucho samaritano leguntur, excerptis quae in sanctorum Patrum scriptis occurrunt, mirifice respondent. Haec de textu samaritano. Nunc de illius versionibus.

Pentateuchi samaritani versio samaritana.

Ut versio samaritana quid sit intelligatur, animadvertendum existimo post babylonicam captivitatem plurimos qui veteri hebraica lingua relicta chaldaicam loquebantur, ex illa reduces se adjunxisse Samaritanis. Hinc linguarum facta commixtio, et tertium velut idioma ex veteri hebraico chaldaicoque conflatum ortum est, quod ad usum fuit Samariam incolentium. In hoc ergo idioma Pentateuchus samaritanus translatus est, non immutatis tamen veteribus litteris phoeniciis seu chananaeis, ut videre est in Polyglottis parisiensibus et anglicanis. Hujus versionis auctor penitus ignoratur; adornata autem creditur ante Christi Domini tempora, et post templum in monte Garizim extructum. Moysis dumtaxat continet Pentateuchum, quomodo et textus; nam Samaritani legis libros tantum recipiunt, ut norunt omnes.

Pentateuchi samaritana versio graeca.

Quum graecae versionis textus samaritani nonnisi excerpta quaedam in scriptis veterum Patrum modo existant, jejune admodum de illa loquemur. Adornata fuisse videtur post versionem Sept. interpretum. Incertus est auctor; et incertum quoque an ex versione samaritana, an potius ex samaritano textu fuerit deprompta.

Pentateuchi samaritani versio arabica.

Samaritani arabes libros legis in propriam linguam translatos et ipsi habere voluerunt. Extat haec versio in Polyglottis waltonianis, seu anglicanis cum samariticis nonnullis adnotationibus. Quidam sunt qui eam versionem tribuunt Saadiae, excellens nuncupato; alii autem incerto auctori. Omnes vero consentiunt post Mahumetis aetatem fuisse adornatam.

Versiones syriaçae.

Duplex extat totius V. Testamenti syriaca versio; una quae simplex, altera quae figurata appellatur. Testis est Gregorius abulpharagius, eam quae simplex dicitur, ex hebraico fuisse textu adornatam; et huic textui revera adamussim respondet, ut in Polyglottis parisiensibus et waltonianis videre est. Figuratam vero ajunt juxta Septuaginta versionem fuisse translatam. Prior dicitur simplex, quia verbum verbo fere respondet. Posterior figurata, quoniam paraphrastice, ut plurimum, non litteraliter translata videtur.

Syri nonnulli rerum suarum magis quam par est aestimatores, arbitrantur Pentateuchum, Josue, Judices, Ruth, Samuelem, Davidem, Proverbia, Ecclesiasten, Cantica, et Job, ex hebraeo in syriacum sermonem jam inde a Salomonis tempore in gratiam Hirami Tyriorum regis fuisse conversam. Alii autem integram V. ac N. T. versionem ad tempora regis Abgari, et Taddaei discipuli Domini referunt: Sed neutra sententia aliquo nititur fundamento. Probabilius ergo videtur syriacam V. ac N. Testamenti versionem non esse quidem adeo antiquam ut gens illa jactat, sed adornatam fuisse ante Origenis aetatem, cum illius mentionem faciant vetustissimi Patres. Versio isthaec integra est in iis quae ad fidem et mores pertinent.

Paraphrases chaldaicae.

Paraphrases a Judaeis appellantur *targumim*, ac si dicas, interpretationes, a *targem*, quod est interpretari. Etsi recentiores Judaei chaldaicas paraphrases in maxima habeant aestimatione, penes tamen Christianos nullius fere sunt auctoritatis; non enim de verbo ad verbum textum repraesentant, sed plerumque paraphrastice, hoc est ad sensum, litterae non servata integritate. Christiani nihilominus iis utuntur, tum ad revincendos Judaeos in explicandis vaticiniis, tum ut textui lucem aliquam afferant.

Quinque chaldaicas paraphrases habent Judaei, omnes ex hebraico textu depromptas; videlicet Pentateuchum, Prophetas majores et minores, Hagiographa, Paraphrasim sic nuncupatam quinque libellorum qui sunt, Canticum Canticorum, Ruth, Threni, Ecclesiasticus, Esther; et Targum jerosolymitanum solius Pentateuchi.

Prima chaldaica Pentateuchi paraphrasis ceteris purior tribuitur Onkeloso. Quis Onkelos fuerit quave floruerit aetate, disputant adhuc Eru-

diti. Nonnulli confundunt illum cum Aquila graecae versionis auctore, de quo capite sequenti; alii ab Aquila illum dispescunt. Asserunt quidam fuisse Hillelis discipulum et syncronum Gamalielis institutoris apostoli Pauli. Alii demum faciunt illum paullo recentiorem.

Secunda chaldaica paraphrasis majores minoresque complectens Prophetas, excepto Daniele, adscribitur Jonathani filio Urielis, quem Rabbini Hillelis discipulum faciunt, condiscipulum Simeonis justi de quo in Evangelio, et Gamalielis praeceptoris apostoli Pauli. Adstipulantur Rabbinis Christiani complures, quamquam nonnulli cum Theodotione altero graecae versionis auctore illum confundant. Fere omnes conveniunt paraphrasim hanc aut paullo ante aut paullo post Christum natum fuisse elucubratam.

Tertiae paraphrasis quae Hagiographa continet, auctor fuit Joseph caecus appellatus, quem anno a Christi adventu 400. floruisse autumat sanior Eruditorum pars post doctissimum episcopum neliensem. Paraphrasim hanc non multi faciunt vel ipsi Judaei, utpote quae maximam stili praefert incostantiam et obscuritatem.

De quarta seu quinque libellorum quam Targum *Megilloth* appellant Judaei, ita loquitur Buxtorfius Praef. Lex. chald. syr. *Targum quinque librorum post quingentesimum Christi annum compositum liquido constat, cum Cantic. cap. 1. v. 2. et cap. 2. v. 19. expressam faciat mentionem sex tractatuum Mischna et Talmud cum explicatione, quod ad minimum circa illud tempus consignatum est. Addit vero linguae dialectum impuriorem ad Syro-jerosolymitanam accedentem, novitatis illud redarguere, et ut prolixior esse solet, sic pluribus allegoriis refertus. In Canticum, Ecclesiasticum, et Esther maxime vagatur, praesertim in Esther.*

Quinta denique paraphrasis est Targum jerosolymitanum solum complectens Pentateuchum, auctoris penitus ignoti, sic tamen nuncupatum vel quod ab urbe prodierit Jerosolyma, vel a jerosolymitana dialecto qua fuit exaratum. Pauci paraphrasim hanc ad Christi Apostolorumque tempora cum Mayero referunt: sed edita videtur circa aetatem Talmudistarum, et post Christi annum 580. In hac paraphrasi integri quandoque versus hic illic transferuntur; interdum relinquuntur absque ulla interpretatione; et non raro deficit in medio versiculi interpretatio. Quare nihil aut parum ad fidem faciendam valet. Hae omnes paraphrases excusae leguntur in magnis Bibliis parisiensibus et anglicanis.

Versiones arabicae.

Plures sunt versiones arabicae. Prima tribuitur Saadiae Gaoni judaeo qui totum V. T. ex hebraeo in arabicum vertit. Sed non extat modo nisi Pentateuchus qui in Polyglottis legitur waltonianis. Scripsit Saadias saeculo aerae vulgaris nono, ejusque interpretatio paraphrasis potius est quam litteralis translatio.

Altera arabica versio quae in Polyglottis parisiensibus prostat, edi-

ta a christiano viro videtur, inquit Erpenius, licet nonnulli eamdem illam faciant cum versione Saadiae.

Est tertia cui titulus: *Pentateuchus Moysis Ibri-Sinae*, quae recentior est, juxta Septuaginta interpretum versionem adornata.

Postrema arabica versio V. ac N. complectens Testamentum recentior est, ex nostra latina Vulgata deprompta.

Versio armenica.

Armeni et ipsi suam utriusque Testamenti versionem habent, cujus nonnulli auctorem existimant S. Johannem Chrysostomum; alii Moysem grammaticum, et Davidem philosophum. Certe antiquissima est, utpote quae laudatur a Theodoreto lib. 5. De cur. graec. affec.

Versiones cophtica, et persica.

Versionem cophticam ad usum Ægyptiorum adornatam volunt circa concilii Nicaeni tempora. Apud nos inedita est. Sed MS. exemplar asservatur in Bibliothecis vaticana et angelica.

Persica versio parentem agnoscit Jacobum tavosium seu tausium; recentissima est, ex hebraeo textu adornata, et legitur in Polyglottis waltonianis.

Alias versiones, puta gothicam, ab Ulphila Gothorum episcopo paullo post Nicaenum concilium digestam; illyricam, Hieronymo a nonnullis adscriptam; et eas quae in usu sunt apud gentes in Moscovia, Siberia, Cholchide etc. degentes, missas facio; quum ex his aliae perierint, aliae vero parvi sint momenti. De hoc argumento fuse scripserunt Waltonus in Prolegomenis, et Rich. Simonius lib. 2. Hist. cr. V. Testamenti, aliique.

CAPUT V.

De versione Septuaginta interpretum.

Antiquissima omniumque prima V. Testamenti graeca versio ea est, quae Septuaginta interpretum ab omnibus vulgo appellatur. Illa autem hoc modo adornata narratur ab Aristea in Hist. de hoc argumento, ab Aristobulo judaeo lib. 1. cap. 4. ad Ptolomaeum Philometorem, a Josepho lib. 2. Antiq. cap. 2. a Philone lib. 2. De vita Moysis, a Talmudistis tract. Megillah, a Justino martyre Apol. 2. Irenaeo lib. 3. adv. Haer. Tertulliano, Clemente alexandrino, S. P. Augustino, aliisque fere omnibus veteribus Patribus. Quum Ptolomaeus Ægypti rex Alexandriae bibliothecam Pergamenae aemulam institueret, proindeque cujusvis generis libros in eam inferri curaret, Demetrius Phaleraeus ejusdem bibliothecae praefectus, regi suasit ut illam Judaeorum quoque ditaret voluminibus. Quare honorifica ad Judaeos missa legatione, sacros libros, ac septuaginta duos vi-

ros hebraicae graecaeque linguae peritos, rex ut flagitavit obtinuit. His summa laetitia comitateque susceptis, ut opus aggrederentur praecepit. Quapropter in insulam septem circiter diebus Alexandria dissitam eos duci voluit, et in regiis aedibus ab omni procul strepitu semoti excipi, donec optatam ad finem ducerent translationem: quod intra 72. dierum spatium compleverunt. Haec est versionis Septuaginta interpretum historiae summa, in qua narranda omnes mox laudati scriptores unanimiter conveniunt. Ast non una singulorum sententia est in hujus historiae describendis circumstantiis, et alii unam alii aliam facto addiderunt. Ex quo orta subinde sunt tot circa versionem Septuaginta interpr. tantaque Eruditorum dubia ac judicia ut si de singulis disputare in animo esset, nullum haberet finem oratio. Hinc brevitati consulentes quae ad rem magis facere videntur ad trutinam revocabimus. Quare sit

CONCLUSIO I.

Historia versionis Sept. interpr. quoad substantiam vera est, licet quoad nonnulla accidentalia incerta videatur.

Prob. prior propositionis pars. Ea historia quoad substantiam vera est quae res gestas ita narrat, uti in multis libris coetaneis vel proximis aetati qua res gestae sunt narrantur. Historia versionis Sept. interpr. quoad substantiam nunc ita narratur in multis coetaneis vel proximis aetati libris, ut antiquitus res gestae fuerunt: uno enim eodemque modo quoad substantiam narrant illam Aristeas qui rerum gestarnm testis oculatus fuit, Aristobulus qui fuit praeceptor Ptolomaei Philometoris, Philo, et Josephus, a Sept. interpr. aetate non multum distantes, et sancti omnes Ecclesiae Patres; unde canon ille a Flavio Josepho in lib. 1. cont. Apionem traditus adamussim in casu nostro verificatur: *Veracis enim historiae indicium est, si de rebus iisdem omnes eadem dicant et scribant.*

Prob. altera thesis pars: quoniam circumstantiae quae hanc comitantur historiam, uno modo ab aliquibus alio ab aliis describuntur; quodque nonnullarum enumeratione circumstantiarum quae penes laudatos scriptores variant, manifestissime apparet. I. Diversimode describitur epistola Ptolomaei ad Judaeos ab Aristea, Josepho, et Epiphanio qui insuper asserit duas Ptolomaeum ad Judaeos misisse epistolas duasque legationes. II. Aristeas ac S. P. Augustinus testantur Ptolomaeum legationem misisse ad Eleazarnm summnm pontificem; Philo ad pontificem et regem Judaeorum; Epiphanius ad Judaeorum synedrinm; Justinus immani anachronismo ad Herodem, regem tunc Judaeorum. III. Idem Justinus et Cyrillus alexandrinus affirmant singulis interpretibus singulas assignatas fuisse cellulas; Epiphanius ac Justinianus Augustus conclusos fuisse duos in singulis cellulis, unumque binis assignatum fuisse lectulum et unam ad transfretandum naviculam: ita ut omnibus triginta sex cellulae totidemque lectuli ac naviculae essent. Aristeas autem, Philo, Josephus, et Hieronymus omnes si-

mul in una basilica contulisse testantur. IV. Dissentiunt quoque inter se scriptores in recensendis expensis a Ptolomaeo in gratiam Judaeorum factis; in enumerandis captivis ex hebraea gente libertate donatis; in describendis miraculis in Theodecten ac Theopompum a Deo patratis, aliisque compluribus. Variant igitur auctores in hujus historiae circumstantiis narrandis: atque idcirco dubia quoad accidentalia et incerta videtur.

CONCLUSIO II.

Versio Sept. interpr. adornata est regnante in Ægypto Ptolomaeo Philadelpho; incertum tamen est quot annis ante Christi Domini adventum, quamvis certum videatur intra 72. dierum spatium fuisse completam.

Prob. prior thesis pars. Aristeas qui pro Ægypti rege unus fuit ex legatis ad Judaeos, Aristobulus Ptolomaei Philometoris magister, Josephus et Philo qui circa Apostolorum tempora floruerunt, et omnes omnino qui de Septuaginta interpretum scripserunt versione, Irenaeo et Clemente alexandrino exceptis, uno ore testantur adornatam illam fuisse sub Ptolomaeo Philadelpho. Neque adversus hanc nostram sententiam quidquam efficitur quod Clemens alexand. et Irenaeus affirment sub Ptolomaeo Lagi filio fuisse illam compositam: primo quia dici potest laudatos Patres fuisse hac in caussa deceptos, neque enim de re ad Fidem spectante pertractatur; secundo quia conciliari cum nostra sententia poterunt, si cum Natali Alexandro dicamus translationem sub Ptolomaeo Lagi incoeptam, completam fuisse sub Ptolomaeo Philadelpho qui Ptolomaeo Lagi immediate successit.

Prob. altera propos. pars. Eusebius caesariensis affirmat versionem hanc incoeptam fuisse anno Ptolomaei Philadelphi quarto vel quinto, Epiphanius anno septimo, Chrysostomus ante Christi nativitatem annis circiter 100. Theodoretus annis 200. Sixtus senensis 350. Genebrardus 200. Bellarminus 291. Petavius 278. Torniellus 245. Baronius 280. Usserius 277. aliique aliter sentiunt. Nonne hujus versionis incerta epocha est?

Prob. tertia pars. Quotquot de hac scripserunt translatione, incipiendo ab Aristea usque ad postrema tempora, quamvis in multis ut diximus differant, in hoc tamen mira consensione conveniunt, ut singuli affirment intra 72. dierum spatium fuisse absolutam.

CONCLUSIO III.

Versio Sept. interpr. non ex laciniosis corruptisque codicibus chaldaeis et samaritanis, sed ex puro hebraico fonte adornata est.

Prob. I. Qui translationis hujus contexerunt historiam, plenissimam fidem faciunt Sept. interpr. ex Judaea descendisse in Ægyptum, secumque sacros

quos in graecam linguam verterent codices attulisse. In universa autem Judaea in usu non erant laciniosi corruptique codices, sed purissimus textus hebraicus. II. Ea versione usque ad Christi Domini adventum usi sunt omnes Judaei hellenistae; eam usurparunt subinde Christus et Apostoli; ac veteres omnes Ecclesiae Patres usque ad M. Gregorii aetatem praeter illam aliam non agnoverunt; et recens ecclesia graeca in Fidei dogmatibus definiendis formandisque moribus solam hanc tamquam unicam religionis normam sequitur et amplectitur. Quis crediderit ergo eam versionem ex laciniosis variarum gentium codicibus fuisse consarcinatam?

CONCLUSIO IV.

Non Pentateuchum solum, sed omnes libros qui apud Judaeos canonici erant, transtulisse videntur Septuaginta interpr.

Prob. I. Justinus in Dial. cum Tryphone, Irenaeus, Clemens alexandrinus et Eusebius locis capitis initio laudatis diserte testantur non Pentateuchum solum, sed integram sacram Scripturam, juxta receptum tunc apud Judaeos Canonem Sept. interpr. in graecam linguam vertisse. II. Ratio cur Ptolomaeus judaicorum voluminum versionem in graecam linguam curavit, fuit ut regiam bibliothecam cunctis antiquitatis ditaret monumentis. Quod si solius Pentateuchi, non reliquorum codicum curasset translationem, proposito sibi fini non satisfecisset. III. Christi, Apostolorum, priscorumque Patrum temporibus integrum V. T. ex hebraico in graecum fuisse conversum verti nequit in dubium, quum in Evangeliis ac sanctorum Patrum operibus Prophetarum oracula aliorumque sacrorum librorum sententiae, juxta graecam versionem saepe laudentur. Verum temporibus illis alia graeca versio praeter illam Septuag. seniorum non erat: quare etc.

CONCLUSIO V.

Ante Christi Domini adventum unica tantum erat V. T. graeca versio.

Usserius Armachanus, et Fronto Ducaeus duplicem graecam versionem ante Christi Domini tempora adornatam fuisse arbitrantur; primam scilicet a Septuag. senioribus sub Ptolomaeo Philadelpho, alteram vero ab ignoto auctore post annum quartum Ptolomaei Philometoris; illam hebraico textui accurate respondentem intercidisse; hanc corruptissimam perseverare usque ad haec nostra tempora. Contra quos proposita thesis demonstratur I. ex quo veteres omnes scriptores saepe laudati qui de graeca V. T. versione quae ante Christi adventum extabat ex professo tractantes, de duplici versione a duobus illis Eruditis obtrusa ne verbum quidem habent. Quorum silentio accedit et judicium Hieronymi quod maximi hac in re faciendum est; quum nullum aliquando non moverit lapidem ut graecae

detraheret translationi: et nihilominus de duplici hac versione quarum una quae integra erat perierit, altera vero corruptissima remanserit nullibi loquitur, quamvis proposito id sibi scopo conduceret. II. Incredibile prorsus est Christum Dominum et Apostolos graecam corruptissimam versionem in praedicatione et Evangeliis usurpare voluisse. III. Falsum penitus est versionem sub Ptolomaeo Philadelpho a Septuaginta adornatam aliquando interiisse; tum quia statim ac versio ad finem perducta fuit, ab innumeris Judaeis in proprios cum privatos tum publicos exscripta fuit usus; tum etiam quoniam in philadelphiana bibliotheca Septuag. interpr. autographum permansisse usque ad Julii Caesaris aetatem constans est omnium historicorum opinio, nec ipso contradicente Usserio; tum denique quoniam Justinus, Tertullianus, Chrysostomus tradunt, se propriis oculis autographum illud conspexisse.

Adversariorum argumenta adversus singulas statutas propositiones referuntur ac refutantur.

Obj. 1. cum Valesio, Wandalo, Simonio, et aliis cont. 1. prop. Historia versionis Septuag. interpr. ideo vera censetur, quoniam in ea narranda conveniunt saltem quoad substantiam quotquot de illa scripserunt. Verum qui de illa scripserunt decepti sunt, et quidem hoc modo: Sancti Patres bona fide et absque ullo praemisso examine crediderunt Josepho et Philoni: hi autem Aristeae, cujus de hoc argumento liber supposititius est, et a Judaeo aliquo hellenista confictus.

Resp. Nulla prorsus humana fides daretur si tot tantosque scriptores in hac narranda historia deceptos fuisse affirmemus. Falsum est praeterea sanctos Ecclesiae Patres a Josepho dumtaxat et Philone hujus hausisse versionis historiam, sed illam eamdem legerunt in Aristobulo, Hecataeo Abderita, Clearco, (quorum opera supposititia esse nullo argumento adversarii suadent,) et quod magis est, didicerunt eamdem a constanti Judaeorum omnium traditione. Falsum est quoque Philonem fuisse ab Aristea deceptum; quum in lib. 2. De vita Moysis ubi hanc describit historiam, ne verbum quidem de Aristea habeat. Neque demonstrari potest Aristeae libellum quoad omnia supposititium esse, quoniam in historiae summa cum Hecataeo, Clearco, Aristobulo, Judaeorumque traditione apprime convenit; quamvis crediderim varias illic ab aliena manu intrusas fuisse circumstantias, aut saltem genuinum Aristeae opus quod tempore sanctorum Patrum extabat, postea intercidisse. Demus tandem Aristeae opusculum fuisse a Judaeo hellenista confictum; non inde tamen sequeretur versionis historiam falsam esse quoad substantiam. Nam quum Aristeae liber velut antiquum opus a Josepho laudetur, consequitur exaratum fuisse non multo post tempora Ptolomaei Philadelphi. Ast impossibile fuisset universis illorum temporum Judaeis historiam undequaque falsam imponere; facile quippe detecta fraus fuisset. Unde qui libellum supposuit, historiam debuit ad veri speciem concinnare: proindeque etiamsi Aristeae liber spurius esset, historia tamen ibi contenta vera est quoad substantiam.

Obj. 2. cum Serario, Salmerone, Bonfrerio cont. alt. prop. Si qua circumstantia est ob quam versionis hujus historia incerta quoad nonnulla accidentalia haberi debeat, ea maxime est quae ex cellulis in quibus habitaverunt interpretes desumitur. Sed circa ejusmodi cellulas id certo credi debet quod Justinus testatur; siquidem se propriis oculis cellularum ruinas Alexandriae vidisse fidem facit.

Resp. suspendendum esse circa cellularum historiam judicium. Nam Justini auctoritas ex una parte ut illam admittamus suadet, sed ex alia parte ut de ea dubitemus argumentum suppeditat tum veterum omnium silentium, tum Hieronymi opposita sententia: nec injuria S. Martyri infertur si dicamus deceptum ab aliquo impostore judaeo fuisse.

Obj. 3. cum Hottingero, Wandale ac Spanheraio cont. 2. concl. Impossibile omnino videtur opus tam magnum, universam videlicet veteris Testamenti scripturam, intra 72. dierum spatium fuisse translatum.

Resp. Si supponamus singulos interpretes tota Biblia in partes sibi divisisse, quod fecisse probabile admodum est, tunc ingens illud opus intra 28. dies perfici commode potuit. Fingamus enim singulos interpretes dimidium capitis singulis diebus transtulisse, quod fieri sine ulla difficultate poterat, sane 36. capita unoquoque die fuissent interpretati. Cumque integrum opus capitibus 925. tantum constaret, intra 28. dies opus complere utique poterant. Reliquam vero dierum partem impendi poterat legendo et examinando coram omnibus et in communi quod fuerat a singulis confectum: atque ita omnis hac in re evanescit impossibilitas.

Obj. 4. cum Salmasio, Skichardo, Dupinio, aliisque adv. 4. prop. Aristeas, Philo, et Josephus satis aperte insinuant solum Pentateuchum Septuag. seniores convertisse, docentes circa libros legis dumtaxat insudasse. Quod ex Hieronymo confirmatur qui versionem Sept. interpr. non fuisse totius V. T. interdum affirmat.

Resp. Aristeas, Philo, ac Josephus nomine legis non solum Pentateuchum, sed integrum V. Testamentum intelligunt. Mos enim est non modo Judaeorum sed et universae Scripturae, legis nomine totam intelligere Scripturam; unde Christus Johan. cap. 10. *Nonne scriptum est*, inquit, *in lege vestra: quia Ego dixi, dii estis?* Et ibid. cap. 15. *Ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est. Quia odio habuerunt me gratis*, quae tamen verba leguntur in psalmis 81. et 84. Hujus generis exempla innumera sunt tum in utroque Testamento, tum in Judaeorum lucubrationibus. Ad Hieronymum quod spectat, negari non potest quin aliquando affirmaverit Septuag. seniores solum interpretatos fuisse Pentateuchum; sed quum alibi saepe, ac in Apol. praesertim cont. Rufin. affirmet alios quoque libros transtulisse, probabilis videtur illorum opinio, qui S. Doctorem non in propria fuisse loquutum sententia, ubi solum Pentateuchum ab illis senioribus fuisse adornatum affirmat.

CAPUT VI.

An graeca Septuag. interpr. versio vera ac genuina hodie extet, eaque sit authentica.

Protestantes fere omnes quum juxta hebraicum textum versiones quibus utuntur adornaverint, hujus integritatem recentioresque ex eo desumptas versiones adeo extollunt, ut alias quantumvis veteres, nequidem illa excepta quae Septuag. interpr. auctores habuit, damnent atque rejiciant. Imo eo nonnulli devenerunt temeritatis ut veriti non sint affirmare eosdem Sept. seniores Prophetarum oracula deturpasse aut in alienum detorsisse sensum. Suadere conati sunt alii ignorasse illos hebraicam linguam. Ac plerique denique tenent graecam Septuaginta versionem sub Ptolomaeo Philadelpho adornatam, vel intercidisse penitus, vel temporum injuria ita esse depravatam ut nunc nullimode ad fidem valeat faciendam. Has inquam caussas praetexunt ut solum hebraicum textum, et nuperas ex eo desumptas versiones unicam Fidei regulam esse demonstrent. Dixi Protestantes fere omnes ita sentire; nam nonnulli ex ipsis sunt, ut Ludovicus Cappellus, Hugo Grotius, Brianus Waltonus, quique cum his faciunt, qui de Sept. interpr. versione, seposito partium studio, cum Catholicis sentiunt.

An Septuag. interpretes hebraicam perfecte calluerint linguam non est hujus loci disputare. Modo inquirimus dumtaxat an graeca illa versio vera ac genuina adhuc extet, an vero penitus interierit. Quod si non intercidit, an ea quam nunc habemus integra sit, hisque etiam temporibus authentica; unde sit

CONCLUSIO I.

Septuag. interpr. versio numquam intercidit.

Prob. I. Non intercidit graeca illa versio priori ea aetate qua edita est. Nam Aristeas, Josephus, et Philo locis saepe laudatis narrant absoluta interpretatione, modo quo capite superiori diximus, Demetrium Phalereum versionis exemplaria principibus et optimatibus dedisse Judaeorum, autographum vero in regia bibliotheca asservandum reposuisse. Incredibile praeterea videtur Septuag. interpr. in patriam reversos versionis hujus exemplaria secum non attulisse: quare impossibile videtur ut scriptio tam longe lateque diffusa illico interciderit. II. Sed neque periit ante Christi Domini adventum. Nam ipse Scaliger quem adversarium experimur, non diffitetur Judaeos graece loquentes per Asiam, Graeciam, et Ægyptum publice in synagogis ante Christi aetatem aliqua graeca usos fuisse versione. Verum non alia tunc erat graeca V. T. versio nisi illa quam Septuag. interpr. concinnaverant. III. Non periisse demum versionem hanc a Christi nativitate ad haec usque tempora, patet ex eo quod Judaei omnes hellenistae usque ad Justini martyris aevum, post Christum Dominum et Apostolos

ecclesia latina usque ad sextum saeculum, et ecclesia graeca ad hanc usque diem perpetuo usurpaverint et usurpent adhuc Septuag. interpr. versionem.

CONCLUSIO II.

Eadem versio corrupta numquam fuit quoad substantialia :

Prob. per singulas aetates a Ptolomaeo Philadelpho ad hanc usque diem cursim excurrendo. I. Deturpata non fuit quoad substantiales partes ante Christi Domini adventum. Ea enim utebantur nedum privatim, sed publice etiam graece loquentes in synagogis. Et quamvis exploratum penitus non sit num eam legerint seorsim ab hebraico textu, ut Scaliger, Waltonus, et Hottingerus contendunt, an simul cum textu hebraico, ut ex authentica 146. Justiniani colligitur; omnes tamen fatentur graecam versionem lectam fuisse. Dici autem nequit Judaeos usurpare in publicos usus voluisse depravatas Scripturas, quum ante Christi adventum synagoga vera esset Ecclesia. II. Sed neque corrupta erat tempore Christi et Apostolorum. Christus siquidem in suis concionibus, et Apostoli in eorum scriptis graecam eam versionem tamquam veram semper citarunt Scripturam, ut ex locorum deducitur collatione; eadem usi sunt versione quo gentes ad Fidem pertraherent et Ecclesiam nutrirent, illam veluti sacrum depositum eidem Ecclesiae relinquentes. Quare vel ingenue fatendum Christi et Apostolorum temporibus puram ac genuinam fuisse; vel dicendum Christum et Apostolos in Ecclesia instituenda depravatas assumpsisse Scripturas; vel denique affirmandum Christum et Apostolos insolitam Scripturae depravationem non agnovisse: quae duo postrema absurdissima sunt. III. Idem affirmandum de tempore quod ab Apostolorum aetate usque ad sextum saeculum fluxit. Ita enim de illa translatione loquuntur Patres. Irenaeus lib. 3. adv. haer. cap. 25. *Petrus*, inquit, *et Johannes*, *et Matthaeus*, *et reliqui deinceps*, *et horum sectatores prophetica omnia ita annuntiarunt*, *quemadmodum seniorum interpretatio continet*. Cyrillus jerosolymitanus Cath. 4. subdit, *Has tantum* (juxta Septuag. interpr.) *studiose meditare Scripturas*, *quas in Ecclesiis confidenter legimus*. *Multo prudentiores te fuerunt Apostoli*, *et primi Episcopi veritatis duces*, *qui nobis ea crediderunt*. Hieronymus multis in locis, et De optimo gen. interpret. ita scribit: *Jure Septuaginta editio obtinuit in Ecclesia*, *vel quia prima est et ante Christi facta adventum*, *vel quia ab Apostolis ... usurpata*. Augustinus lib. 18. De Civ. Dei cap. 43. *Hanc*, ait, *quae Septuaginta est*, *tamquam sola esset*, *sic recepit Ecclesia*, *eaque utuntur graeci populi christiani*, *quorum plerique utrum alia sit aliqua ignorant*. Gregorius M. in Ep. ad Leand. *Nunc novam*, *nunc veterem* (versionem) *per testimonia sumo*, *ut quia* etc. Haec de Septuag. versione sancti Patres. Praeterea Concilia omnia cum generalia tum particularia quae sex prioribus saeculis celebrata sunt, in Ecclesia non aliam V. T. adhibuere Scripturam. Rursus omnes Ecclesiae Patres, usque ad M. Gre-

gorium, in controversiis Fidei dirimendis, in concionibus ad populum, in privatis publicisque scriptionibus hanc solam adhibuerunt versionem. IV. Videamus modo quasnam posthac subierit eadem versio fortunas. Quamvis nova latina translatio ita in occidentali praevaluerit ecclesia ut Vulgata et communis consueverit appellari, ecclesia nihilominus graeca ad praesentem usque diem Septuag. interpr. versionem retinuit semper ac retinet; adeoque immunis illa est ab omni substantiali errore: nam si hodie universa illa ecclesia ad latinam reverteretur, aliam assumere non cogeretur V. T. Scripturam, ut optime Sixtus senensis lib. 8. Bibl. sanctae observat dicens: *Si reconciliatio fieret inter ecclesiam graecam et romanam, haud aliam versionem habituros fore Graecos, quam quae ipsis nunc est*. V. Utamur generali hoc argumento: si Septuag. interpr. versio quae hodie extat, cum iis excerptis quae in operibus sanctorum Patrum occurrunt sedulo conferatur, luculentissime apparet sententias sententiis, et verba verbis, paucissimis exceptis, respondere. Legantur opera Flaminii Nobilii et Johannis Morini qui in hac insudarunt collatione. VI. Denique si Septuag. interpr. versio quae est ad usum Graecorum, cum illa conferatur quam Sixtus V. studio Cardinalis Caraffae edi curavit Romae anno 1587. et latinam reddidit anno sequenti Flaminius Nobilius, quamque iterum Johannes Morinus edidit Parisii anno 1628. si haec inquam collatio fiat, nullum inter utrumque invenietur substantiale discrimen. Editio autem romana omni substantiali proculdubio caret errore, quum adornata fuerit ex codice vaticano qui omnem omnino promeretur fidem; tum quia ab omnibus doctis viris scriptus censetur ante Hieronymi tempora, Patrumque scriptis adamussim respondet; tum etiam quia mirifice cum veneto consonat codice cui par tribuitur cum vaticano vetustas, et cum codice quoque alexandrino quem esse ex recensione Hesychii docent viri clarissimi. Ex his ergo meridiana luce clarius est Septuag. interpr. versionem veram ac genuinam, hoc est, integram ad nos quoad substantialia pervenisse.

CONCLUSIO III.

Versio Septuag. interpr. his etiam temporibus authentica est.

Prob. Ea Scriptura authentica habenda est, quae a non suspectae fidei auctore de uno in aliud fideliter atque sincere translata est idioma; quae diutino Ecclesiae usu est approbata; quaeque in iis quae ad substantiam pertinent, adhuc incorrupta manet. Porro hujus modi tres characteres versioni Septuag. interpr. mirifice conveniunt. Et I. Septuaginta graeca versio a non suspectae fidei auctoribus sincere fideliterque fuit concinnata. Aristeas enim, Philo, Josephus, omnesque Ecclesiae Patres diserte testantur Eleazarum summum pontificem viros morum probitate eximios ac in utraque lingua peritissimos elegisse, quos ad Ptolomaeum Philadelphum mitteret. Addunt, admirabilem rerum verborumque fuisse inter versionem graecam librosque hebraicos consensionem. II. Approbata est diutino Ec-

clesiae usu; nam a Ptolomaeo Philadelpho, ut paullo ante diximus, usque ad Christi adventum publice eam synagoga Judaeorum adhibuit. A Christo autem usque ad sextum saeculum universalis Ecclesia, et a saeculo sexto ad hanc usque diem ecclesia graeca in proprios illam consecravit usus. III. Hac etiam nostra aetate immunem ab omni substantiali labe permanere, concl. praecedenti demonstratum est. Quare Sixtus V. in sua Bulla sapientissime scribit: *Volumus et sancimus, ad Dei gloriam, et Ecclesiae utilitatem, ut vetus graecum Testamentum, juxta Septuaginta, ita recognitum, et expolitum, ab omnibus recipiatur, et retineatur, quo potissimum ad latinae Vulgatae editionis, et veterum sanctorum Patrum intelligentiam utantur; prohibentes, ne quis de hac nova graeca editione audeat in posterum quidquam immutare.*

Ad ea quae objiciunt adversarii responsio.

Obj. 1. cum Usserio cont. 2. prop. Versio a Septuag. interpr. sub Ptolomaeo Philadelpho adornata, reposita fuit in regia alexandrina bibliotheca. Cumque haec Julii Caesaris aevo celeberrima penes historicos conflagratione perierit, consequitur periisse quoque illam versionem.

Resp. Versio a Demetrio Phalereo in regia bibliotheca recondita, erat ipsum Septuag. interpr. autographum, ex quo tamen complura in Judaeorum usum exscripta fuerant exemplaria, ut ex Aristea, Josepho, ac Philone supra probavimus, et patet ex eo quod Judaei omnes graece loquentes publice ac privatim versionem hanc adhibuerint. Quare etiamsi fateremur in celebri bibliothecae incendio versionem intercidisse, sequeretur dumtaxat periisse quidem autographum, non omnia illius exemplaria. Praeterea, quum historici nonnulli testentur multos codices fuisse e flammis ereptos, et aliunde Justinus, Tertullianus, Chrysostomus affirment suis temporibus idem autographum asservatum fuisse in Serapeo, probabile admodum fit nec autographum consumptum fuisse ab incendio.

Obj. 2. cum Boetio, Curterio, Possino, aliisque adv. alt. prob. Aristeas ac Philo judaeus affirmant admirabilem rerum verborumque consensum fuisse inter versionem graecam et libros hebraeos. Nunc autem mira isthaec consensio desideratur: quod patet tum auctoritate Augustini qui De Cons. Evang. lib. 2. cap. 66. *Manifestum est autem*, inquit, *interpretationem illam quae dicitur Septuaginta, in nonnullis se aliter habere quam inveniunt in hebraeo, qui eam linguam noverunt:* tum ex illis scriptoribus qui discrepantes collegere sententias quas vide apud Natalem Alexandrum H. E. Saec. 2. diss. 11. Accedit auctoritas Hieronymi qui pluribus in locis, et Praef. praesertim in Paral. aperte testatur versionem 70. interpr. deturpatam etiam in iis quae ad substantiam spectant fuisse; unde scribit: *Si 70. interpr. pura, et ut ab eis in graecum versa est, editio permaneret, superflue me, Chromati episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres, ut hebraea tibi volumina latino sermone transferrem.* Justinus denique in Dial. cum Tryphone, et Tertullianus De

hab. mul. et Irenaeus in lib. De haeresib. Judaeos crebro redarguunt quod impias in Septuag. interpr. versionem manus conjecerint, et praecipue in Prophetarum oracula de Messia.

Resp. ad 1. Aristeas et Philo affirmant mirabilem rerum verborumque fuisse inter graecam versionem ac libros hebraeos consensionem in iis quae ad fidem et mores pertinent, non etiam in accidentalibus: quo sensu intelligendi quoque sunt S. P. Augustinus laudata in argumento sententia, et scriptores qui variantes collegerunt lectiones. Hujus autem differentiae caussae tres praecipue statuuntur ab Eruditis. 1. Quod Septuag. interpr. non semper de verbo ad verbum, sed paraphrastice interdum hebraicum textum in graecam transtulerint linguam. Quare S. Hieronymus De opt. gen. interpr. inquit: *In iis quae addita sunt, non verba consideranda sunt, sed sensus, ad quem Septuaginta de suo nihil addiderunt, licet verba quaedam, quae in hebraeo non sunt, adjunxerint*. In quo tamen reprehendendi non sunt quoniam verbum verbo reddere non curat fides interpres, ut habet Oratius. 2. Est amanuensium incuria et oscitantia ob quam non in graecam modo versionem, sed et in textum hebraicum errores aliquot accidentales irrepserunt. 3. Est hebraicae linguae proprietas cujus nomina et verba quum plures habeant aliquando significationes, uno sensu a Massorethis, alio a Hieronymo, alio vero a Septuaginta fuere usurpata.

Ad 2. Hieronymus quoque in Praef. Paralip. de erroribus loquitur ad litterae summam non pertinentibus in graecam versionem ob amanuensium incuriam irreptis. Nec adversariorum caussam juvat quod novam aggressus sit ipse translationem; nam ejusmodi levia sphalmata in tam ingentem numerum excreverant, ut periculum immineret ne tandem litterae attingerent substantiam. Experientia siquidem compertum erat solas hujus versionis correctiones ab Origene, Luciano, Hesychio, Eusebio, et Pamphilo vulgatas satis non fuisse ne novi in dies errores in illam non irreperent; licet alias etiam Hieronymus caussas habuerit ut novam adornaret ex hebraico textu versionem.

Ad 3. Sancti Patres in argumento laudati Judaeos redarguebant, ut in superioribus diximus, quod versionibus ab Aquila, Theodotione, ac Symmacho recens elaboratis, veteri posthabita graeca versione, uterentur; suspectae quippe fidei sancti Patres habebant novitiarum auctores translationum. Et jure quidem ac merito: Aquila enim, Theodotion, ac Symmachus praeterquamquod erant a catholica religione alieni, ubi duplex erat in hebraico textu lectio quarum una Christianis, altera Judaeis faveret; illa relicta, hanc avide arripuerunt, ut a Christianorum argumentis Messiae adventum demonstrantibus minus difficile se expedirent. Hoc modo intelligendi sunt Justinus, nonnullique alii Patres. Nam quoad Tertullianum, loquitur is de libro Henoch quem a Canone ejecisse Judaeos his verbis conqueritur: *Scis scripturam Henoch, quae hunc ordinem Angelis dedit, non recipi a quibusdam, quia nec in armarium Judaeorum admittitur*. Irenaeus autem ne verbum quidem habet de graecae

versionis corruptione per Judaeos inducta, sed de illorum loquitur traditionibus quibus eamdem ac sanctis Scripturis tribuebant auctoritatem; ait enim: *Miscent nequatam traditionem praecepto Dei*.

Obj. 3. adv. 3. thesim cum Usserio. Ante Hieronymi aetatem duplex erat graeca Septuag. translatio, una purissima quae in Tetraplis, Exaplis, et Octaplis Origenis legebatur, altera corrupta quae dicebatur communis. Prior e manibus hominum excidit; nam in ea quam nunc habemus non sunt asterisci et obeli ab Origene appositi: unde quae superest mixta est ac depravata.

Resp. falsum esse versionem ab Origene emendatam aliquando intercidisse. Periit quidem celebre Origenis opus; sed quum graecae ab eo recognitae translationis innumera propemodum descripta fuerint exemplaria, ad posteros transmissa est et ad hanc usque diem perseverat. Hinc Hieronymus in Ep. ad Sun. et Fretel. fidem facit, *puram illam quae in Exaplis erat, a se versam fideliter in latinum sermonem*; *eamdem Jerosolymis atque in Orientis ecclesiis decantari, nec non in eruditorum libris incorruptam et immaculatam reservari*. Et Praef. in I. Paral. *Mediae*, inquit, *inter has provinciae palaestinos codices legunt: quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt*. Ratio autem cur hac in versione asterisci et obeli ab Origene quondam appositi modo desiderentur, est quoniam quum a reliquo opere versio avulsa fuerit, nullum penitus usum habent; proindeque in desuetudinem paullatim abire coeperunt.

Obj. ultimo cont. 3. prop. Septuaginta interpretes non fideliter nec sincere ex hebraeo in graecum Scripturam transtulerunt. Nam in annorum supputatione versio haec ab hebraico textu differt. II. S. Hieronymus Praef. in Pentat. et com. in Is. affirmat Septuag. interpr. multa omisisse, plura addidisse, nonnulla immutasse, alia in deteriorem detorsisse sensum, et aliqua permiscuisse. III. Nec reponere juvat loqui S. Doctorem de rebus levioris momenti. Nam ita de hac re disserit Praef. in Pentat. *Ubicumque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre, et Filio, et Spiritu sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt*. Et in cap. 49. Isaiae tradit, *subvertisse contra Judaeos testimonia fortissima*.

Resp. ad 1. Loqui Hieronymum de omissione additione mutatione perturbatione etc. rerum ad fidem et mores minime pertinentium. Et exempla quidem quae affert sunt: *Ex Ægypto vocavi filium meum*: et, *Quoniam Nazaraeus vocabitur*: et, *Videbunt in quem compunxerunt*: et, *Flumina de ventre ejus fluent aquae vivae*, aliaque hujus generis. Verum haec parvi momenti sunt et ad substantiam neutiquam pertinentia, ut ex ipsa constat lectione. Deinde non absolute adstruit S. Doctor mutationum detractionum etc. auctores fuisse interpretes ipsos: sed intelligi commode potest de scribis et amanuensibus quorum culpa graeca versio corrupta leviter fuerit; ait enim Praef. in 1. Paral. *Si Septuag. interpr. pura* etc. Relege verba paullo supra descripta. Nec quemquam movere debet quod hujusmodi errores tribuantur a Hieronymo Septuag. senioribus. Nam nomina

haec, *Septuaginta interpretes, et graeca versio* etiam nunc promiscue usurpantur; ita ut cum dicitur: *Septuaginta interpr. addiderunt, omiserunt* etc. idem sit ac si dicatur: in versione Septuag. interpr. inveniuntur mutationes additiones etc.

Ad 2. dico duriuscula quaedam pro temporum circumstantiis adversus Septuginta versionem protulisse Hieronymum. Verum si probe methodum ejus assequuti fuerimus, facile dignoscemus auctoritati illorum numquam derogasse. Is ergo a Rufino reprehensus quod nonnulla contra Septuag. interpr. scripserit, negat primo se graecam laesisse versionem: *Ego ne*, inquit Apol. 2. adv. Ruf. *contra 70. interpr. aliquid sum locutus, quos ante annos plurimos diligentissime emendatos meae linguae studiosis dedi, quos quotidie in conventu fratrum edissero, quorum psalmos jugi meditatione decanto?* Deinde duo tradit principia ad scripta sua intelligenda. 1. Inquit licere disputantibus pro temporum ac personarum circumstantiis adversariis contraria quandoque reponere; et etiam contra propriam loqui sententiam si de criticis rebus pertractetur, ut in more habebat Origenes. 2. Non semper expedire propriam sententiam libere tradere, ne iis quos alloquimur obesse magis quam prodesse patiamur, imitandumque Apostolum in epistolis suis qui hac oeconomia saepissime utitur. Duobus hisce principiis contrariae Hieronymi sententiae cum nostra conclusione facile conciliantur.

COROLLARIUM.

Ex hactenus disputatis colligitur Septuag. interpr. versionem divinae esse auctoritatis quae continet verbum Dei. Illud continet versio Septuag. interpr. Est enim authentica, hoc est, a non suspectae fidei auctoribus sincere atque fideliter de hebraeo in graecum eloquium translata; tum diutino Ecclesiae usu consecrata, atque incorrupta praeservata ab omnibus substantialibus mendis, ut pluribus demonstratum est: adeoque illa est divinae auctoritatis.

CAPUT VII.

Breviter recensentur S. Scripturae V. T. reliquae graecae versiones atque editiones.

In graecarum versionum V. T. numero assignando discrepant quam maxime ad invicem Eruditi; aliis tredecim, aliis decem, quibusdam novem, compluribus septem enumerantibus. Quid nos in tanta judiciorum discrepantia sentiamus sequenti indicabimus propositione.

CONCLUSIO I.

Septem tantum fuerunt graecae V. T. versiones.

Prob. enumeratione. I. est versio Septuag. interpr. de qua quum superioribus capitibus disputaverimus, non plura.

II. est graeca versio solius Pentateuchi quam ante Christi adventum et post Septuaginta translationem ex samaritano textu adornatam fuisse arbitramur : de qua pariter nonnulla in superioribus diximus .

III. ab Aquila elaborata est . Is genere ponticus erat , patria synopensis , ut Hieronymus narrat , religione primitus ethnicus tum christianus , postremo judaeus . Vixit Adriani imperatoris aetate . Cumque versionem suam aggressus sit in christianae religionis odium , ubi in hebraico textu vocabulum occurrebat ambiguum , sensum arripere solebat judaismo faventem . Hunc interpretem vituperat quandoque Hieronymus , quod *non solum verba , sed etymologias verborum transferre conatus sit* . Interdum vero *tamquam verborum hebraicorum interpretem diligentissimum* laudibus cumulat . Versionis hujus nonnisi fragmenta quaedam inveniuntur in veterum scriptis .

IV. adscribitur Theodotioni qui , testibus Epiphanio et auctore Synopseos Athanasio tributae, scripsit Commodo imperante, licet nonnulli post Petavium sub Lucio Vero scriptorem hunc floruisse affirment , et alii confundant illum cum Jonathane paraphraste chaldaico , de quo supra ; natione ponticus et ipse , vel ut aliis placet , ephesius erat . Primo gentilis, postea marcionita , denique proselytus Judaeorum . Temperatum scribendi genus ad imitationem Septuag. interpr. adscivit . Versio prout exarata fuit , intercidit , excepto libro Danielis qui juxta illius interpretationem ad hanc usque diem in Ecclesia publice legitur , ut testatur Hieronymus .

V. versio graeca a Symmacho conflata est, qui samaritanus quum esset ad Judaeos se recepit , subinde christianus , mox ebionita factus translationem suam adornavit , non de verbo ad verbum ut Aquila , nec temperato stilo ut Theodotion , sed paraphrastice , sententias nimirum sententiis libere reddendo, ut S. Hieronymus refert . Scripsisse fertur sub imperatore Severo .

VI. nullius praefert auctoris nomen, et a judaeo viro confectam arbitratur Hieronymus in Apol. 2. adv. Ruf. alii a christiano . Vocatur hiericuntina , quod in quibusdam doliis anno septimo Caracallae inventa fuerit Hiericunte, teste Epiphanio ; quamvis auctor Synopseos sub nomine S. Athanasii , Pythis repertam affirmet et Hiericunte elaboratam .

VII. est alia anonyma graeca versio nicopolitana nuncupata , quoniam Nicopoli tempore Alexandri Mammaeae ad Actium promontorium inventa fuit . De hac quoque , inquit auctor Synopseos , fuisse Pythis repertam et Nicopoli concinnatam . S. Hieronymus versionis hujus auctorem judaeum aliquem existimat in citata Apol. 2. adv. Rufin. alii christianum .

CONCLUSIO II.

Quatuor erant antiquitus celebriores Scripturae V. T. graecae editiones .

Antequam graecas enumeremus Scripturae editiones adnotandum est 1.

quatuor hasce editiones nil aliud praeferre quam Septuag. interpr. versionem ab iis purgatam erroribus qui temporum longinquitate vel incuriositate amanuensium illic irrepserant. 2. Male ab Eruditis nonnullis editiones quas mox recensebimus, appellari versiones.

Prob. modo proposita thesis. I. editio est Origenis cujus nomen penes scriptores satis celebre est. Animadvertens is in Septuaginta versionem quae tunc temporis prae omnium manibus erat quaeque communis appellabatur et *vulgata*, errores plurimos incidisse, conquisitis undique optimae notae codicibus graecis, et ut quidam suspicantur, consulto etiam Septuag. interpr. autographo quod in Serapeo asservabatur, illam recognovit, a mendis diligentissime purgavit, pristinaeque restituit integritati. Hoc modo recognita ita apud omnes obtinuit, ut teste Hieronymo Ep. 89. non solum bibliothecas omnes impleverit, sed pro genuina ac sincera ab omnibus habita fuerit. *Illa editio*, inquit, *quae in Exaplis erat*, *pura et sincera erat*, *et ab omnibus ita habita*.

Hoc tamen labore non contentus Origenes opus Eruditis omnibus aggressus est celeberrimum, in quo Tetrapla, Exapla, et Octapla sua descripsit. Sciendum quippe est primis Ecclesiae temporibus Judaeos illosque praesertim qui hellenistae vocabantur, quum a Christianis de adventu Messiae Prophetarum oraculis juxta Septuaginta versionem revincerentur, versionem hanc ut minus accuratam et ab hebraico textu alienam contempsisse, novasque ex hebraeo moliri coepisse, ut fecerunt Aquila, Theodotion, et Symmachus, de quibus paullo superius. Sancti ergo Patres ad Judaeos refellendos, Aquilae translationem quae hebraicum textum de verbo ad verbum exprimebat, consulere quandoque cogebantur. Quoniam vero vaticinia Prophetarum ex illa desumere non semper tutum erat, Origenes Septuag. interpr. versionem eo quo diximus modo primitus recognovit, tum reliquas graecas translationes quas ad manus habere potuit, unico in volumine in totidem columnis cum Septuaginta versione distribuit; ut lector eas simul conferendo, adversus Judaeos solidius disputaret: atque ita Tetrapla, Exapla, et Octapla Origenis in veterum scriptis tantopere commendata ortum suum habuerunt.

Tetrapla itaque, ut ex Epiphanio, Hieronymo, ac Rufino didicimus, ita digesta erant. Quatuor in volumine delineatae erant columnae, quae et paginae a Rufino vocantur; in quarum prima descripta erat versio Aquilae, in altera versio Symmachi, in tertia versio Septuag. interpr., in quarta versio Theodotionis.

Exapla vero sex continebat columnas, in quarum prima descriptus erat hebraicus textus, in altera idem textus graecis litteris exaratus, in tertia columna erat versio Aquilae, in quarta versio Symmachi, in quinta Septuag. interpr., in sexta Theodotionis.

Ubi tandem addidit Exaplis alias duas versiones, hiericuntinam et nicopolitanam, de quibus supra, facta sunt Octapla. Hoc ab Origene tantis curis elaboratum opus jamdiu intercidit, illudque restituere aliquo modo curavit cl. Bernardus Montfaucon, quem consulere poterit qui plura de hac re scire desiderat.

II. V. T. graeca editio auctores habuit Eusebium et Pamphilum, qui Septuag. interpr. versionem ab Origene olim recognitam, a mendis quae temporis progressu illic irrepserant denuo purgarunt. De hac editione ita ex Hieronymo loquitur Usserius Syntagm. cap. 6. *Codices isti vocati sunt palaestini, quia in Palaestina quum esset, apud Caesaream illos elaboravit; vel quod Pamphilus ex Exaplis, quae in bibliotheca caesariensi repositi erant, eos transcripsit, et cum Eusebio qui postea caesariensis erat episcopus, (cui ob familiaritatem cognomen dedit,) emendavit, et seorsim evulgavit.*

III. fuit Luciani presbyteri alexandrini et martyris, qui, teste Eusebio lib. 8. Hist. Eccl. Nicomediae in persecutione Diocletiani passus est. Idem Eusebius lib. 8. sic de Luciano loquitur: *Hic editionem Septuaginta cum codicibus hebraeis contulit, atque recensuit*. Similia habet Euthymius Praef. in Psal. *Haec cum Septuaginta translatione consentit, et quae ab aliis depravata fuerunt, reprobat*. Testatur auctor Synopseos sub nomine Athanasii, editionem hanc propria Luciani manu conscriptam, Nicomediae repertam fuisse paullo post ejus passionem.

IV. Demum editio ab Hesychio Ægypti episcopo qui, ut refert Eusebius lib. 8. Hist. Eccl. cap. 14. in persecutione Diocletiani martyr et ipse occubuit, fuit concinnata. Novam non adornavit ex hebraeo versionem, sed veterem Septuaginta ab omni labe expurgavit. De quatuor hisce editionibus ita Hieronymus Praef. in Paral. scribit: *Alexandria et Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat. Mediae inter has provinciae palaestinos codices legunt: quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt; totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.*

Praeter allatas mox versiones atque editiones graecas, aliam exornatam fuisse arbitrantur nonnulli longe ante Ptolomaei Philadelphi aetatem. Sed decipiuntur. 1. Quoniam omnes Ecclesiae Patres veteresque Judaei appellant primam et antiquissimam versionem Septuaginta interpretum. 2. Frustra Ptolomaeus Philadelphus aliam hebraeorum voluminum exoptasset versionem si veterem aliquam habuissent Hebraei. 3. Demetrius Phalereus qui versionem Septuag. interpr. edi curavit, licet doctissimus et, ut inquit Cicero de Orat. in omnium lectione librorum versatissimus, non modo affirmavit numquam se hebraica volumina graece legisse aut de illis a Judaeis aliquid audivisse, verum diserte apud Aristeam testatur neminem ex oratoribus aut poetis aut historicis ausum fuisse libros sacros attingere. 4. Denique sententiam hanc nostram expresse tuetur S. P. Augustinus lib. 18. De Civ. Dei cap. 12. quem locum consulat lector. De graecis Scripturae versionibus ac editionibus fuse scripserunt prae ceteris Simonius Hist. cr. V. T. lib. 2. Waltonus Proleg. de hoc argumento, Serarius in Proleg. tum compendiario stilo Bellarminus, Graveson, Juvenin, Lamy, aliique.

CAPUT VIII.

Agitur de nostrae latinae Vulgatae auctore; ac brevissime attinguntur praecipuae latinae versiones.

Qui enim Scripturas hebraea lingua in graecam verterunt numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari, inquit M. Augustinus lib. 2. de Doct. Chr. cap. 11. Et Hieronymus Praef. in Josue ait: *Cum apud Latinos tot sint exemplaria, quot codices*. Ast celeberrima omnium inter latinas erat quae *Itala* ab Augustino, *Vulgata et Communis* a Hieronymo, *Vetus* a Gregorio appellabatur. Quare Augustinus cap. 15. libri jam citati de illa scribit: *In ipsis autem interpretationibus Itala ceteris praeferatur: nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae*. Versio haec vetus ac novum continebat Testamentum, et ut constat ex mox laudatis Sanctorum sententiis, quoad V. T. juxta Septuag. interpr. adornata erat translationem. Magnae fuit in Ecclesia auctoritatis usque ad M. Gregorii tempora qui, ut alibi diximus, comprobationis caussa, nunc novam nunc veterem per testimonia assumebat. Subinde vero in desuetudinem paullatim abire coepit, ita ut fere interciderit donec Flaminius Nobilius ex veterum Patrum scriptis, quoad magnam partem, illam immenso labore restituit.

Altera in Ecclesia latina receptissima versio quae Italae in auctoritate successit, illa est quae Vulgata latina etiam ab iis qui illi denegant auctoritatem appellari communiter solet. De hac multa disputant Eruditi. Nos in illius auctorem et authenticitatem dumtaxat inquiremus. Videlicet inquiremus hoc in capite quisnam illius fuerit auctor, in sequenti autem de illius pertractabimus authenticitate. Et quoad hujus versionis auctorem non una est Theologorum sententia. Eugubinus, Picus mirandulanus in lib. de hoc argumento, Masius Praef. in Josue, nonnullique alii nostram Vulgatam S. Hieronymo integram adscribunt. Erasmus, Pagninus, Munstevus, Paulus forosemproniensis negant esse Hieronymi. Baronius, Sixtus senensis, Vovverus, Rivetus, Vittacherus, aliique ex variis interpretibus indiscriminatim mixtam arbitrantur. Alii attribuunt illam cuidam Rufino, pauci Rufino aquilejensi, alii aliis. Nullam ex recitatis admittimus opinionibus, ut ex sequentibus thesibus apparebit.

CONCLUSIO I.

N. T. nostrae latinae Vulgatae illud idem est quod ante Hieronymi tempora in Ecclesia legebatur, sed ab ipso Hieronymo ad graecum textum emendatum.

Prob. Hieronymus in lib. De Script. Eccl. inquit: *Vetus Testamen-*

tum juxta hebraicum transtuli , Novum graecae fidei reddidi . Et Praef. in Evang. ad Damas . *Haec praesens praefatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia ... codicum graecorum emendata collatione , sed veterum , quae ne multum a lectionis latinae consuetudine discreparent , ita calamo temperavimus , ut his tantum , quae sensum videbantur mutare correctis , reliqua manere pateremur , ut fuerant* . Haec propositam thesim mirifice comprobant : nullibi enim legimus Hieronymum ex graeco textu in latinam linguam N. vertisse Testamentum ; et certum est ad graecum textum , ut ex recitatis verbis apparet , illud emendasse . Novnm porro Testamentum quod in latina Vulgata nunc legitur , illud idem esse quod Hieronymus emendavit duo suadent . 1. Quia ea recognitio a Hieronymo facta , summo plausu a quamplurimis ecclesiis vel ipso vivente recepta est . Nec mirum : jussu enim Damasi summi Pontificis illam suscepit ; unde sic eumdem alloquitur Damasum Praef. in Evang. *Adversus quam invidiam duplex caussa me consolatur : quod et tu qui summus sacerdos es , fieri jubes* etc. Et S. P. Augustinus Ep. 71. alias 10. ad ipsum Hieron. ita scribit : *Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo , quo Evangelium ex graeco interpretatus es : quia pene in omnibus nulla offensio est , cum Scripturam graecam contulerimus* . Ubi obiter animadverto Augustinum Evangelii nomine integrum intelligere novum Testamentum , et interpretationis nomine intelligere emendationem ; unde Hieronymus ad illum rescribens inquit : *Etsi me , út dicis in N. Testamenti emendatione suscipis* . 2. Novum quod nunc adhibemus Testamentum eodem fere modo in nostra Vulgata legitur ac in Commentariis Hieronymi ubi veterem saepe reprehendit interpretem . Ita v. g. in versione Itala Matth. cap. 2. legebatur : *In Betlehem Judaeae* ; in I. ad Cor. cap. 7. *Divisa est mulier , et virgo* ; ad Rom. cap. 12. *Tempori servientes* ; in I. ad Tim. cap. 3. *Humanus sermo ;* et sic porro alibi . Hieronymus autem in suis Comm. legendum putat *: In Betlehem Judae* : *Mulier innupta et virgo : Domino servientes* : *Fidelis sermo* etc. Cumque ita in nostra latina Vulgata nunc etiam legatur , consequitur hanc ex Hieronymi esse emendatione . Sunt quidem in nostra Vulgata nonnulla quae aliter legenda Hieronymus existimavit . Verum ejusmodi lectiones consulto a Hieronymo ipso inemendatae relictae sunt , ut ex recitatis ad Damasum verbis liquido apparet.

CONCLUSIO II.

Libri Ecclesiastici , Sapientiae , Machabaeorum , Baruch , et epistola Jeremiae , prout in nostra Vulgata sunt , nullo modo Hieronymum auctorem habent : sed iidem omnino sunt qui in antiqua versione Itala legebantur .

Prob. prior thesis pars. Numquam Hieronymus in latinum vertit eloquium aut emendavit laudatos in concl. libros . Nam S. Hieronymus de horum voluminum translatione vel emendatione altum ubique habet silen-

tium; quum e contra singulis Scripturae libris a se translatis vel emendatis praefationes apposuerit, ut ipsemet in Ep. ad Augustinum animadvertit. Hisce autem voluminibus nulla praemissa invenitur praefatio vel admonitio Hieronymi.

Prob. altera pars. S. Cyprianus aliique occidentales Patres qui ante Hieronymi floruerunt aetatem, verba, phrases, ac sententias in eorum scriptis habent eodem prorsus modo quo nunc in laudatis leguntur voluminibus. Ast illis temporibus Occidentales non alia utebantur Scriptura quam versione Itala, ut fidem facit S. P. Augustinus in lib. 2 de Doctr. Chr. cap. 15.

CONCLUSIO III.

Liber Psalmorum nostrae latinae Vulgatae ex Hieronymi emendatione est.

Prob. Quater S. Hieronymus in Psalterium laboravit. 1. Ex hebraeo in latinum sermonem illud convertit, ut colligitur ex Epist. ejus ad Sophronium. 2. Idem Psalterium transtulit in latinum ex Septuaginta interpretibus, ut ipsemet in Ep. ad Sun. et Fretel. testatur. Atque duae hae versiones inter opera S. Doctoris inveniuntur. 3. Cum Romae esset, Psalterium quod publice in ecclesiis legebatur, licet cursim ut ipse ait, ex parte tamen correxit. 4. Idem Psalterium a mendis iterum purgavit a Paula et Eustochio rogatus. De utraque hac emendatione ita in Ep. ad mox laudatas nobilissimas foeminas loquitur: *Psalterium Romae dudum positus emendaram: et juxta Septuag. interpr. licet cursim, magna tamen ex parte correxeram. Quod quia rursum videtis, o Paula, et Eustochium, scriptorum vitio depravatum, plusque antiquum errorem, quam novam emendationem valere: me cogitis, ut veluti quodam novali, scissum jam arvum exerceam, et obliquis sulcis renascentes spinas eradicem.* Jam vero Psalterium nostrae latinae Vulgatae a duabus Hieronymi translationibus quae in illius existunt operibus longissime distat, ut ex collatione apparet. Unde nostrum Psalterium illud idem est quod doctissimus ille Pater emendavit. Et quidem in Psalterio ab eo emendato legebatur, ut ipse tradit in Ep. ad Sun. et Fretel. psal. 5. *Dirige in conspectu tuo viam meam*; psal. 73. *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*; et psal. 103. ne singula exscribam, *Petra refugium herinaciis*; quum interim in hebraico textu et in 70. versione et in aliis interpretibus diverso modo legatur. Verum in Psalterio nostrae Vulgatae etiam nunc legitur: *Dirige in conspectu tuo viam meam: Quiescere faciamus dies festos Dei a terra: Petra refugium herinaciis*, hisque alia similia. Atque idcirco nostrae latinae Vulgatae Psalterium ex emendatione Hieronymi est.

CONCLUSIO IV.

Reliqui nostrae Vulgatae V. Testamenti libri iidem sunt quos Hieronymus ex hebraeo in latinum eloquium convertit.

Prob. I. S. Hieronymus ex hebraica lingua in latinam totum fere V. Testamentum vertisse colligitur manifestissime, tum ex praefationibus singulis ferme libris praemissis, tum ex libro illius de Scr. Eccl. ubi sic inquit: *N. Testamentum graecae fidei reddidi; vetus juxta hebraicum transtuli*; tum ex S. P. Augustino lib. 18. de Civ. Dei cap. 43. in haec verba: *Quamvis non defuerit temporibus nostris presbyter Hieronymus, homo doctissimus, et omnium trium linguarum peritus, qui non ex graeco, sed ex hebraeo in latinum eloquium easdem Scripturas converterit*. Rursus post Aquilam, Theodotionem, ac Symmachum nemo ante Hieronymum V. Testamentum ex hebraeo ausus est interpretari; idque ex Hieronymo ipso colligitur et ex Augustino et ex Rufino praesertim aquilejensi qui Invect. 2. scribit: *Quis ex tot, et tantis prudentibus, et sanctis viris qui ante te fuerunt, ad istud opus ausus est manum mittere?* Post Hieronymum vero primus qui novam ex hebraeo aggressus sit versionem fuit Sanctes Pagninus ex ordine Praedicatorum. Quare cum S. Hieronymus post antiquos interpretes et ante Pagninum V. Testamentum ex hebraeo in latinum transtulerit, et nostra latina Vulgata quoad V. Testamentum, paucis exceptis libris de quibus supra, sit ex hebraico textu expressa; quis non videt illam esse ex Hieronymi translatione? Et re quidem vera V. Testamentum nostrae Vulgatae nequit esse Aquilae aut Theodotionis aut Symmachi; horum enim translatio non fuit ex hebraeo in latinum, sed ex hebraeo in graecum adornata. Nequit dici ex Itala versione fuisse depromptum; haec siquidem ex Septuaginta non ex hebraico textu fuerat excerpta. Multoque minus fingi potest esse versionem Pagnini, quae recentissima est; remanet ergo ut sit illa Hieronymi. II. Veteres fere omnes scriptores nostram V. Testamenti Vulgatam sub Hieronymi nomine ut plurimum laudant. Gregorius quippe Magnus in Ep. ad Leand. dum inquit, *Novam translationem dissero*, versionem proculdubio intelligit Hieronymi; neque enim alia erat post antiquam Italam. Isidorus lib. 6. Etymol. cap. 4. *Presbyter*, inquit, *Hieronymus trium linguarum peritus ex hebraeo in latinum eloquium easdem Scripturas convertit, eloquenterque transtulit, cujus interpretatio merito ceteris antefertur*. Et cap. seq. subdit: *Ea omnes ecclesiae usquequaque utuntur*. Eadem fere habent Anselmus, Bernardus, Rupertus. Et Hugo Victorinus lib. de Scriptur. cap. 9. *Hieronymi translatio*, inquit, *quia hebraicae veritati concordat, magis probata est; idcirco Ecclesia Christi per universam latinitatem prae ceteris omnibus translationibus, quas vitiosa interpretatio sive prima de hebraeo in graecum, sive secunda de graeco in latinum facta corruperat, hanc solam legendam, et in auctoritate habendam constituit*.

Solvuntur objectiones.

Obj. I. Hieronymus latinae linguae peritissimus erat. In nostra Vulgata barbarismi sunt et verba illatina; non est ergo S. Hieronymi. II. Hieronymus saepe testatur se de verbo ad verbum V. Testamentum in latinum vertisse. In nostra Vulgata rerum verborumque ordo saepe mutatur. III. Plura in nostra Vulgata occurrunt quae Hieronymus ipse aliter vertenda putavit, ut ex illius commentariis apparet. IV. Haec habet eximius ille Doctor in Ep. inter augustinianas 75. *Quod autem in aliis epistolis, quaeris cur mea prior in libris canonicis interpretatio asteriscos habeat, et virgulas praenotatas ... Illa interpretatio Septuag. interpretum est*. In nostra autem Vulgata non sunt asterisci et obeli. V. Hinc concludi potest nostram latinam Vulgatam vel Philonis cujusdam vel Rufini aquilejensis, velut Junius probabilius arbitratur, litteratorum virorum, vel episcoporum sive etiam librariorum foetum esse. Nam plura in ea juxta Aquilam, nonnulla juxta Theodotionem inveniuntur, saepe Symmachum repraesentat, et frequentius antiquam exprimit Italam etiam iis in locis ubi recensiti omnes interpretes ab hebraico fonte dissentiunt.

Resp. ad 1. falsum esse tot esse in nostra Vulgata illatina verba et barbarismos quot adversarii arbitrantur; Henricus enim Stephanus lib. 2. de lipsiana Latinitate, et Albericus gentilis lib. de hoc argumento fuse demonstrant nihil in ea inveniri quod in Arnobio, Tertulliano, Hieronymo, Tullio, Nepote, aliisque veteribus non legatur. Deinde complures sive errores sive mutationes non auctori sed librariis et amanuensibus sunt adscribendi. Demum S. P. Augustinus lib. 4. de Doctr. Chr. cap. 10. ita allatum solvit argumentum: *Quamvis in bonis doctoribus tanta docendi cura sit, vel esse debeat, ut verbum quod nisi obscurum sit vel ambiguum, latinum esse non potest, vulgi autem more sic dicitur ut ambiguitas obscuritasque vitetur, non sic dicatur ut a doctis, sed potius ab indoctis dici solet. Si enim non piguit dicere interpretes nostros*, Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, *quoniam senserunt ad rem pertinere, ut eo loco pluraliter enuntiaretur hoc nomen, quod in latina lingua tantummodo singulariter dicitur; cur pietatis doctorem pigeat etc.*

Ad 2. Dum inquit Hieronymus se de verbo ad verbum hebraicum textum vertisse, de sensus veritate intelligendus est ac relate ad 70 interpretes, quorum nimiam in vertendo libertatem saepe redarguit; nam ipsemet crebro fatetur sensum quandoque magis quam verba expressisse: *Difficile enim est, alienas linguas insequentem non alicubi excidere*, inquit Praef. ad Chron. Eusebii.

Ad 3. Plures assignantur a Theologis caussae quamobrem nonnulla in nostra Vulgata inveniantur quae aliter vertenda putavit Hieronymus in suis Comm. 1. caussa est hebraicorum ambiguitas vocabulorum. 2. Ecclesiae auctoritas quae melius judicavit priorem alicubi retinere lectionem. 3. eaque potissima est quia Hieronymus ipse vel in commentariis exarandis vel in adornanda versione sententiam mutavit. Quare in caput 19.

Isaiae inquit: *Melius reor etiam proprium errorem reprehendere, quam dum erubesco imperitiam confiteri, in errore persistere. In eo quod transtuli: Et erit terra Juda Ægypto in festivitatem, pro festivitate in hebraeo legitur, chagah, quod interpretari potest et festivitas, et timor*.

Ad. 4. Editio quae asteriscos et obelos habebat solius fuit libri Job, quod patet ex Augustino in Ep. 71. alias 10. ubi sic loquitur: *Hoc addo quod postea didicimus, Job ex hebraeo a te interpretatum, cum jam quamdam haberemus interpretationem tuam ejusdem Prophetae ex graeco eloquio in latinum; ubi tamen asteriscis notasti quae in hebraeo sunt, et in graeco desunt; obeliscis autem quae in graeco inveniuntur, et in hebraeo non sunt*.

Ad 5. Quis iste Philo fuerit a Melchiore Novesiano Pagnini editore inventus a tota retro ignoratur antiquitate. Rufinum autem aquilejensem acriter restitisse Hieronymo quod novam ex hebraeo aggressus fuerit translationem, et hebraeam linguam penitus ignorasse; tum ex operibus ejus, tum ex Hieronymi scriptis scimus: ast vel unum Scripturae volumen in latinum vertisse, Munsterus cujus est opinatio, unde quaeso didicit? Convenientiae autem quae inter nostram latinam Vulgatam, Aquilae, Theodotionis, Symmachi, ac Septuaginta versiones saepe intercedit, auctor est ut plurimum ipse Hieronymus. Primo, quia nullus alius hujus rei auctor ab adversariis adduci potest; secundo, quoniam id Hieronymus ipse Proem. in Ecclesiastem fatetur, ubi scribit se translationem suam Septuaginta, Aquilae, Theodotioni, ac Symmacho coaptasse, *ne novitate nimia lectoris studium deterreret*. Legatur etiam Praef. in Evang. ad Damasum. Tertio, quum Itala versio altas in hominum animis fixisset radices, difficile admodum erat amanuenses vocabula quaedam et verba et phrases in describendis codicibus non retinerent.

Breviter nunc recentiores enumerandae sunt Bibliorum ex hebraeo in latinum versiones cum a Catholicis tum ab haereticis elaboratae. Prima est Sanctis Pagnini lucensis, quae duobus summis Pontificibus Adriano VI. et Clemente VII. approbantibus in lucem prodiit Lugduni an. 1527. In ea adornanda triginta circiter annorum insumpsit spatium: saepe nostram reprehendit Vulgatam, sed injuria; nam et ipsa barbarismis scatet et solecismis. Satis autem nimis in eam Richardus Simonius excanduit. Altera Ariae Montani, qui Pagnini versionem quum emendare voluerit, barbaram magis ac obscuram reddidit. Tertia est Thomae Malvenda edita Lugduni cum notis auctoris totum fere vetus complectens Testamentum. Quarta est Cajetani, qui licet hebraicam, ipso fatente, penitus ignoraret linguam, nihilominus duobus adhibitis grammaticis novam aggressus est translationem. Quinta est Isidori Clarii brixiani monachi cassinensis primum, tum episcopi fulginatis.

Versiones autem ab heterodoxis compilatae praecipuae sunt, prima Lutheri in linguam germanicam, secunda Munsteri, tertia Oecolampadii, quarta Sebastiani Castalionis, quinta Junii et Tremelli, sexta Genevensium; est et Tigurina, et Diodati in linguam italicam, et aliorum. De his aliis-

que tum a Catholicis tum ab heterodoxis editis versionibus fuse pertractant Nicolaus Serarius in Proleg. Waltonus item in Proleg. Simonius lib. 2. Hist. Cr. V. Testamenti, qui unanimi consensione fatentur veterem nostrum latinum interpretem omnibus esse praeferendum.

CAPUT IX.

An et quomodo nostra latina Vulgata sit authentica.

Scripturam uno modo authenticam intelligunt heterodoxi, alio vero Catholici. Heterodoxi Scripturam illam authenticam dicunt quae a Deo immediate inspirata est; ita ut duo haec nomina, *authentica* et *canonica* sumi promiscue debeant; proindeque Scriptura authentica, juxta illorum acceptionem, nullum nec parvi momenti errorem debet continere: sic namque ad Protestantium mentem rem explicat Waltonus Proleg. 10. *Nulla versio authentica, vel divinitus inspirata dici potest; omnes enim erroribus obnoxiae sunt*. Hoc falso innixi principio non modo nostram latinam Vulgatam authenticam esse negant, sed affirmant praeterea in Ecclesiae potestate non esse Scripturam authenticam declarare: *Hoc enim*, inquit citato loco Waltonus, *solius Dei est, qui divinam auctoritatem cuilibet scripto conferre potest*; adeoque Tridentinum concilium nostram latinam Vulgatam authenticam declarando, barbaram legem imposuisse Christianis. *Vitiosissima translatione*, inquit Calvinus in Antit. Trident. conc. sess. 4. *non modo contentos nos esse jubent: sed eam non aliter ac caelitus delapsam volunt adorari; et cum omnibus conspicuae sint mendae, quidquam desiderari prohibent*. Eadem habent Beza, Junius, Major, Danaeus, uno verbo, omnes. Sed alia etiam de caussa in Tridentinae synodi definitionem haeretici insurrexerunt; arbitrati nempe sunt nostram Vulgatam authenticam declarando, praetulisse illam hebraicis graecisque fontibus: *Decernunt*, scribit Calvinus loco laudato, *etiamsi ex fonte ipso purum liquorem proferant, etiamsi ex certa veritate falsum coarguant, non esse audiendos*. Haec Protestantes.

Catholici autem in assignanda vocis hujus, *authentica*, notione inter se non conveniunt. Nonnulli siquidem quamvis Scripturam authenticam non eam intelligant quae immediate inspirata est, putant tamen ab omni prorsus errore etiam levissimo immunem esse debere: atque inde concludunt Tridentinos Patres nostram Vulgatam hoc sensu authenticam declarasse, quod cujuslibet etiam levioris momenti erroris expers sit. Alii et numero et auctoritate majores affirmant Scripturam illam vere authenticam esse quae a primario ac sincero textuum originalium sensu minime recedit; proindeque docent concilii Tridentini Patres 1. non praetulisse nostram latinam Vulgatam hebraicis graecisque fontibus. 2. Eam a quolibet levi errore immunem non declarasse. 3. Sed incorruptam perseverare iis in locis quae ad fidem spectant et mores.

Verum ut ab haereticorum calumniis atque dicteriis liberemur, vox

haec, *authentica*, paullo lucidius est exponenda. Triplex itaque est nominis hujus significatio. 1. Scriptum authenticum dicitur quod ab auctore propria manu exaratum est; v. g. testamentum authenticum appellatur quod propria scriptum est manu testatoris. 2. Scriptum authenticum vocatur illud etiam quod fideliter atque sincere exscriptum est ex textu; quo senso oecumenicae VI. Synodi Patres authentica Patrum exemplaria in C-P. bibliotheca asservata adversus falsarios Monothelitas peticrunt; idest non originarios textus, sed fideliter ex illis exscriptos codices quaerebant. 3. Scriptum authenticum dici quoque solet libri alicujus ex una in aliam linguam translatio, non quaecumque, sed exacta atque sincera. Ita Jurisconsulti constitutiones Justiniani *authenticas* appellant, quod e graeco in latinum sint accurate translatae. His animadversis, facile quisque a seipso percipiet genuinum Tridentinae synodi sensum, cujus de Scripturis decretum ita se habet: *Sacrosancta synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus, et vulgata editio quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis locutionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus, pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat.* Sed ut tyronibus in quorum gratiam scribimus, morem geramus sit

CONCLUSIO I.

Nostra latina Vulgata authentica est.

Prob. Scriptura illa est authentica quae vel propria auctoris manu scripta est, vel de originario textu exacte transcripta, vel de originaria in alienam linguam sincere fideliterque translata, ut ex praenotatis constat. Ast nostra latina Vulgata licet a suis auctoribus propria manu scripta non sit, ab originariis tamen textibus fideliter exscripta est, et sincere in latinum eloquium translata. Quod patet I. ex quo nostra Vulgata quoad majorem sui partem, auctorem agnoscat S. Hieronymum, ut capite superiori demonstravimus, qui sane quum longe ante Lutheranorum Calvinistarumque schisma floruerit, suspectae fidei auctor dici non potest, et aliunde trium linguarum peritissimus erat. II. Quoniam Ecclesia plurium saeculorum spatio versionem hanc tamquam fidei morumque regulam constantissime usurpavit; adeoque usu suo comprobavit nihil in ea quod fidei moribusque repugnet contineri.

CONCLUSIO II.

Concilium Tridentinum nostram Vulgatam authenticam declarando,
nec praetulit illam hebraicis graecisque fontibus,
nec fontium derogavit authenticitati.

Prob. prior thesis pars. Tridentini Patres nostram Vulgatam authenti-

eam declarando, cum hebraicis graecisque fontibus illam neutiquam compararunt, ut ex Decreti apparet lectione. Non praetulerunt illam ergo originariis fontibus. 2. In Concilii laudato decreto haec leguntur: *Considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam authentica habenda sit, innotescat*. Ex quibus apparet Concilii mentem fuisse definire quaenam ex tot latinis editionibus quae circumferebantur optima esset, ceterisque praeferenda. Nam in tam immanem tunc temporis excreverant numerum latinae editiones, ut vel ipse Lutherus veritate cogente coactus sit exclamare: *Tam multae sunt nostro tempore Bibliorum interpretationes, ut tempore progrediente tot fortasse sint futura Biblia, quot scioli in hebraica lingua magistri erunt; nec enim finis erit*. 3. Alphonsus Salmeron qui tamquam theologus Concilio interfuit, Proleg. 3. nostram hanc confirmat sententiam; ait enim: *Tantum inter tot editiones latinas, quot nostra saecula parturierant, quaenam ex illis praestaret, sermo erat, et rejectis reliquis latinis, unam hanc Vulgatam reliquis, tamquam veriorem, puriorem, dilucidiorem, ac suis fontibus unde hausta est, magis consentientem pronuntiavit*. Similia habet Vega lib. 15. cap. 19. Pallaviciuus Hist. Conc. lib. 6. 17. Cardinalis a S. Cruce, aliique.

Prob. altera prop. pars. Tridentinum concilium hebraicorum graecorumque fontium derogasset authenticitati si textus ac versionis authenticitas stare simul non posset. Potest autem: nam textus authenticus dicitur quatenus proprio digito ab auctore scriptus est, si sit autographum ipsum; si vero ab autographo exscriptus, quatenus exscriptus sit fideliter atque sincere. Versio autem dicitur authentica quatenus textus exacte fideliterque ex originario aut primigenio in aliud eloquium est translatus. Quare versionem Vulgatam authenticam declarando Concilium, fontium non derogavit authenticitati. Quod testimonio illorum qui Concilio interfuerunt, Andreae scilicet Vega, Cardinalis a S. Cruce, ac Salmeronis confirmatur, qui Salmeron Proleg. 3. ad rem nostram ita scribit: *Liberum autem reliquit* (Concilium) *omnibus, qui Scripturas sacras profundius meditantur, fontes graecos, aut hebraeos, quatenus opus sit consulere, quo nostram* (*Vulgatam*) *vitio librariorum, vel temporum injuria corruptam emendare valeant*. Hinc Praef. in edit. rom. Bibliorum legitur: *Pius IV. P. M. lectissimis aliquot S. R. E. Cardinalibus, aliisque variarum linguarum peritissimis viris eam provinciam demandavit, ut Vulgatam editionem latinam ... inspectis quoque hebraicis, graecisque fontibus ... accuratissime castigarent*.

CONCLUSIO III.

Concilium Tridentinum non eo sensu nostram Vulgatam authenticam declaravit, quod nullus omnino in ea reperiatur error; sed eo tantum sensu, quod in iis quae ad fidem et mores pertinent, sit incorrupta.

Prob. prima pars. Concilium nostram Vulgatam authenticam definiendo, declarare intendit fuisse illam fideliter ac sincere ex hebraeis graecisque haustam fontibus, ut supra probavimus. Verum lata hoc sensu definitio numquid excludit nonnulla parvi momenti errata? Minime. 1. Quoniam etiam textus ob temporum injuriam aut oscitantiam amanuensium nonnullis levioris momenti subjacet erroribus; quidni ergo, et tertio ex textu deprompta? 2. Patres Concilii sess. 4. post laudatum superius decretum statuerunt ut posthac vetus et vulgata editio quam diligentissime imprimatur; unde errores aliquot ad substantiam non pertinentes, in eam irrepsisse agnoverunt. 3. Nostrae Vulgatae editionem ab omnibus mendis purgare reapse aggressi sunt, jussu Rom. Pontificum Pii IV. Pii V. Sixti V. et Clementis VIII. viri doctissimi, ut legenti Praefationem in editionem romanam ejusdem Vulgatae constat. Non est autem putandum laudatos Summos Pontifices Concilii mentem non fuisse assequutos.

Prob. altera concl. pars. I. Concilium Tridentinum nostram Vulgatam authenticam declarando, definivit perfecte repraesentare originarios textus ex quibus deprompta fuit, ut saepe diximus; non definivit repraesentare fontes in rebus parvi momenti. II. Johannes Driedo lib. 2. de Eccl. Script. et Dogm. testatur nostram Vulgatam authenticam fuisse declaratam, quod *nihil contineat subdole vel adjectum, vel immutatum*. Vega lib. 15. cap. 19. *Eatenus*, inquit, *voluit Synodus eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset nullo eam defoedatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset*. Canus de Locis lib. 2. cap. 13. affirmat, *editionem hanc veterem atque vulgatam, quam post tempora D. Hieronymi latina Ecclesia usurpavit, fidelibus esse retinendam in iis omnibus, quae ad fidem et mores spectabant*. Eodem modo loquuntur Sixtus senensis, Bellarminus, alii.

Adversariorum argumenta breviter perstringuntur.

Obj. 1. cont. 1. prop. Multa in nostra latina Vulgata errata sunt, quum pluribus in locis ab hebraicis graecisque fontibus discrepet; proindeque dici non potest authentica. II. Non pauca in eadem Vulgata occurrunt ambigua et obscura.

Resp. ad 1. Errata quae in nostra Vulgata inveniuntur, nullius sunt aut parvi momenti; eaque ut plurimum ob amanuensium incuriam in illam irrepserunt. Idem esto judicium de discrepantiis Vulgatam inter ac fontes intercedentibus. Quibus addo 1. ejusmodi discrepantias longe mino-

res numero esse quam adversarii contendant. 2. Sicuti in nostram latinam Vulgatam temporis diuturnitate errores aliquot inciderunt, ita inciderunt etiam in fontes; unde aliquando adscribitur error Vulgatae qui revera fontium est.

Ad 2. Etiam in primigeniis textibus plura sunt obscura et ambigua, nec tamen adversarii negant eos esse authenticos. Deinde laudabilis quandoque est in Scripturis obscuritas ut Ecclesiae judicium agnoscatur. Ac denique a Novatoribus vocantur obscura et ambigua quae contra eorum falsa dogmata faciunt.

Obj. 2. adv. alteram concl. Hieronymus Praef. in Pentat. docet aliud esse vatem, aliud interpretem. Quare S. P. Augustinus Ep. 71. alias 10. ad Hieron. inquit: *Unde etiam nobis videtur, aliquando te quoque in nonnullis falli potuisse*. Latinus ergo interpres quum a Deo inspiratus non fuerit, decipi utique potuit in iis etiam quae ad substantiam pertinent. II. Ante Tridentinum concilium, inquit Waltonus, nostra Vulgata anthentica non erat. Non poterat itaque authenticam illam declarare: secus in Ecclesiae potestate esset non canonicam Scripturam, canonicam declarare; alioquin poterunt authenticae declarari versiones quoque haereticorum.

Resp. ad 1. Potuit utique latinus interpres quum propheta non fuerit a veritate deficere, ut optime Augustinus observat. Sed hoc accidisse negamus, quoniam per mille et amplius annos Ecclesia quae fallere et falli non potest, ea usa est publice atque privatim.

Resp. ad 2. ante Concilii tempora nostram Vulgatam authenticam fuisse in se, quamvis authentica non esset speciali decreto declarata, quod ex *authenticitatis* patet superius tradita notione. Exemplum autem a Briano allatum ad rem minime facit, quoniam aliud est Scripturam canonicam facere, et aliud canonicam definire. Imo comparatio retorqueri potest in Waltonum. Potest Ecclesia Scripturam in se canonicam, canonicam declarare; ergo potest etiam declarare authenticam Scripturam quae authentica est in se. Quod si haereticorum versiones iisdem privilegiis gauderent et conditionibus quae Vulgatam nostram comitantur, cur Ecclesia non posset illas authenticas declarare? Sane ab antiquis temporibus adoptavit Ecclesia translationem libri Danielis adornatam a Theodotione qui ab Ecclesia alienus erat. Sed quum ejusmodi versionibus desit ut plurimum antiquitas, quum ab Ecclesia in proprios usus receptae non fuerint, et a malae fidei fuerint adornatae auctoribus, Ecclesia authenticas illas numquam declarabit.

COROLLARIUM.

I. Quum Tridentini Patres latinam Vulgatam authenticam declaraverint ad exclusionem tot latinarum versionum quae circumferebantur, non vero hebraeorum graecorumque fontium; sequitur primaevos ac originiarios illos fontes esse revera authenticos. II. Si textus hebraicus V. et graecus N. Testamenti sunt authentici: ergo adhiberi possunt ad fidei probanda

dogmata moresque formandos. III. Ex quo in nostram Vulgatam errores irrepserint parvi momenti, et originarii textus authentici sint consequitur Vulgatam quoad Vetus Testamentum ad textum hebraicum, quoad Novum vero ad graecum textnm posse emendari. IV. Verum, quum eamdem subierint fortunam originarii quoque fontes, non semper ad illorum normam Vulgatam corrigere et recognoscere tutum erit. V. Ob quam caussam, sicuti versiones ex fontibus, ita fontes ex versionibus, adhibitis Critices regulis possunt emendari. VI. Nulla tamen emendatio fidem penes omnes merebitur nisi Ecclesiae accedat auctoritas. Sed de sacro textu ejusque praecipuis versionibus hactenus.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER II.

UBI DE DIVINA SACRORUM LIBRORUM AGITUR AUCTORITATE

Praestat nunc ut ad ejusdem S. Scripturae tuendam demonstrandamque accedamus auctoritatem. Neque enim alia de caussa tam fuse de textu ac versionibus disseruimus, nisi ut lectoribus viam ad sartam tectam divinorum voluminum auctoritatem servandam pararemus. Potuissent siquidem difficultatibus quas superiori libro enodavimus commoti, vel universae Scripturae, vel partium aliquarum in dubium revocare auctoritatem; ut nonnullis male feriatis hominibus accidisse constat, quos hoc in libro suscipimus refellendos. Spiritus ergo ille divinus qui loquutus est per os Sanctorum, sit nobis pro bonis avibus, ut rem tanti momenti pro dignitate pertractemus.

CAPUT I.

An et quomodo cum V. tum N. Testamenti Scriptura inspirata sit Scriptoribus sacris.

Non defuerunt perditissimi viri complures, qui vel ex integro vel ex parte sacrorum inspirationem voluminum e medio tollere conati sunt. Qui divinam ab universa Scriptura removent inspirationem, sunt infideles omnes ac libertini, quibus hac in re adhaeserunt Swenhfeldius affirmans soli interno spiritui praestandam esse fidem; Quintinus atque Copinus qui Libertinorum sectae, ut refert Calvinus in Instr. adv. libert. cap. 9. architecti fuerunt. Qui autem docent sacros Scriptores non in omnibus fuisse a Deo inspiratos, fuerunt primitus Anomaei, teste Epiphanio Haer. 76. tum nonnulli alii ignoti nominis apud Hieronymum Proem. in Ep. ad Philem. quos postea imitati sunt Spinoza Tr. Theol. Pol. cap. 12. Grotius in voto pro pace Eccl. tit. de Can. Script. Erasmus Annot. 2. in cap. 2. Math. Episcopius Instit. Theol. lib. 4. et Clericus in libro quem adv. Simonium sub quorumdam batavorum theologorum nomine Ep. 11. et 12. edidit.

Impia haec deliramenta velut humanae fictionis portenta unanimi consensione rejiciunt Theologi omnes catholici docentes, omnia quae sacris libris tam V. quam N. Testamenti continentur, Deum auctorem habere. Sed non omnes una eademque incedunt via. Theologi lovanienses qui lovaniensis ac duacensis Academiae censuras contra Lessium et Hamelium editas

sequuntur, Hiacynthus Graveson, aliique permulti, affirmant S. Scripturam divinitus fuisse inspiratam etiam quoad singula verba, verborum ordinem ac dispositionem, quibus res exprimuntur et veritates. E contra Maldonatus Pererius, a Lapide, aliique theologi, quorum sententias acerrime tuetur Richardus Simonius, hi inquam asserunt sacros Scriptores infallibilis quidem esse auctoritatis: ast in iis quae vel audita vel visu vel meditatione didicerant, divina non indiguisse inspiratione, sed assistentia dumtaxat. Mediam inter has duas sententiam tenet cl. Canus, quem Dupinius, Calmet, aliique innumeri sequuti sunt, docens, non singulas Scripturae particulas, ut ab hagiographis Auctoribus scriberentur, propria expressaque indiguisse revelatione, sed singulas tamen ex singulari Spiritus sancti instinctu et inspiratione exaratas. His ita adnotatis videamus nunc quodnam de sacrorum inspiratione voluminum nostrum constet judicium.

CONCLUSIO I.

Sacra Scriptura tam V. quam N. Testamenti divinitus inspirata est.

Prob. ratione, cum infideles aeque ac libertini auctoritatem non admittant. Ea Scriptura divinitus inspirata censenda est, quae praecipuos divinae inspirationis habet characteres. Jam vero V. ac N. Testamenti libri hujusmodi characteres prae se luculentissime ferunt. Etsi autem plures ii sint, ut rei revelatae veritas, mysteriorum cum ratione concordia, aliaque bene multa; praecipui nihilominus petuntur ex sublimitate ac sanctitate doctrinae, ex vaticiniis eventu comprobatis, nec non ex miraculis. Si enim utriusque Testamenti Scriptura doctrinam complectatur quae nobis in tantis ignorantiae tenebris revelat existentiam unius Dei, incomprehensibilem explanat ejusdem essentiam et attributa, cultum quo adorari ipse vult et debet, manifestat simulque nos de praesenti nostro ac futuro statu, deque officiis erga nos ipsos, erga proximum plenissime instruit; si vaticinia contineat quae tempore succedente adamussim comprobata fuerint; si miraculis confirmata pateat universis; quis profecto inficias ibit Scripturam hanc nonnisi Deum auctorem habere? Singula paulisper perpendamus.

A Pentateucho Moysis discurrendo ad Apocalypsim usque Johannis Apostoli et Evangelistae, ubique eamdem doctrinae puritatem, eamdem sanctitatem, eamdem sublimitatem deprehendes. Licet diversa haec volumina in plures dividantur classes, puta in historicam, propheticam, paraeneticam; licet eorum auctores diversissimi inter sese fuerint, nativitate, aetate, indole, conditione; licet varius sit eorum stilus, varia argumenta quae tractant, varia facta quae narrant, variae terrae quas dum scriberent, incolebant; in omnibus tamen talis et dogmatum et moralis disciplinae reperitur harmonia, ut merito diceres cum Augustino, *unam esse omnium castam loquelam*, *unam doctrinae faciem*. Postremi concordant primis, et medii consentiunt utrisque. Singulos sacros codices legenti id cla-

re innotescit. Plus minusve explicite nos ibi edocemur, unum Deum existere; eum omnipotentem esse, qui ex nihilo cuncta produeit ad nutum voluntatis suae; sapientissimum, qui ponit omnia in pondere ac mensura; omniscium, qui futura annuntiat, sicut praesentia, et revelat abscondita; providentissimum, qui suaviter omnia disponit, et fortiter dirigit; immensum, qui nullos habet fines, nullis circumscribitur terminis; infinite justum, qui poenis plectit rebelles et impios, bonis praemia retribuit sive in hac sive in altera vita; aeternum, quippe quod ejus essentia cum existentia necessario consistit. Ibi plane ediscimus quid debeat homo Creatori, Benefactori, ac Domino suo; quid sibi, quid aliis praestare teneatur; Deo nempe cultum summi honoris, reverentiam, gratiarum actionem, obedientiam, primos affectus cordis; sibi continentiam, temperantiam, in prosperis humilitatem, fortitudinem in adversis; aliis vero quaelibet amoris officia, pietatem in parentes, sedulam in natos curam, in miseros misericordiam, pupillorum ac viduarum patrocinium, obsequium erga principes, aequitatem erga subditos, mutuam inter conjuges benevolentiam, inter omnes concordiam et pacem. Ibi quoque invenimus caelestem hominis originem, immortalitatem ejus animae, veram tot malorum quae nunc patitur caussam, originale scilicet peccatum hujusque remedium. Quis autem talia docere potuisset nisi a Deo fuisset inspiratus? Decantant increduli manuale Epicteti, tabulam Cebetis, Pythagorae, Platonis, Plutarchi, Aristotelis, Antonini Pii, aliorumque gentilium philosophorum sapientiam. Ast quidquam ne in eorum libris occurrit quod vel in minimo respondeat doctrinae Scripturae sacrae? Immo quot non scatent erroribus, absurdis, nequitiis? Nec mirum. Homo enim in praesenti infirmitatis statu, absque ullo divinae revelationis lumine, vel ipsa quae eum proxime tangunt ignorat.

Aliqua nunc de vaticiniis delibamus. Non Christianorum modo, sed et Paganorum haec semper fuit opinio, praescientiam videlicet futurorum nihil in se humani habere, sed esse divinum quid et supernaturale. Hinc ait Anacreon: *Homo futura cognoscere non potest*; Æschilus: *Qui potero praevidere illud quod in mente Dei est, cum intellectui humano impenetrabile sit*? Sophocles: *Nemo futura cognoscit*; Pacuinus: *Si quis futura praevideret, Jovi aequiparandus esset;* Plato: *Non est homo, qui possit in occultis futuris quid scire, si Deus non dirigat*; Favorinus: *Si homines futura praeviderent, auferretur a Deo praerogativa, per quam maxime ab hominibus distinguitur*; Seneca: *Dii omnia futura norunt, sed nobis occulta sunt*; Celsus epicuraeus: *Si spiritus divinus de caelo descendit, res divinas praenuntiat. Hic est quo homines antiqui multas bonasque res praedixerunt*; Jamblicus denique: *Ergo est impossibile judicare certos eventus, cum omnium causarum concursum comprehendere nequeamus, nisi per inspirationem divinam id assequamur*. Ex nostris unus sufficiat Hieronymus qui in Danielem cap. 2. inquit: *Confitentur magi, confitentur arioli, et omnis scientia saecularis literaturae, praescientiam futurorum non esse hominum, sed Dei*; *ex quo probatur Prophetas Dei Spiritu locutos, quia futura cecinerunt*. Porro vaticinia

eventu comprobata in sacris literis contineri, ac proinde Deo inspirante fuisse eas conscriptas patet manifestissime. Jacob patriarcha benedicens Judae filio suo praedixit cap. 49. Gen. non auferendum ab eo sceptrum nec ducem de femore ejus, donec veniret Messias. Reapse Messias advenit cum nullus ex tribu Juda princeps esset, sed alienigena; Herodes nempe natione idumaeus, qui non voto aut consensu hebraicae gentis, sed Caesaris Augusti et romani Senatus favore Judaeorum imperium tenebat. *Cum natus esset Jesus* (Messias), ait Matthaeus cap. 2. *in diebus Herodis regis*. Praedixit Isaias cap. 7. virginem concepturam et parituram filium cujus nomen Emmanuel, idest, nobiscum Deus. Ac revera virgo concepit et peperit Deum incarnatum. *Quod nascetur ex te sanctum*, inquit Angelus apud Lucam cap. 1. *vocabitur filius Dei*; et apud Matth. cap. 1. *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Michaeas praedixit cap. 5. dominatorem Israelis sive Messiam, cujus gressus a diebus aeternitatis, exiturum de Bethlehem Ephrata, ad distinctionem alterius Bethlehem in tribu Zabulon. Nec aliter in Bethlehem illa Christus natus est. *Ascendit Joseph*, scribit Lucas cap. 1. *in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium ... qui est Christus Dominus*. Prophetaverat Isaias cap. 1. Israelem Messiam Dominum suum nequaquam recepturum; Balaam Num. cap. 24. orituram esse ex Jacob stellam; David psalmo 71. Reges venturos de Saba aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes; Jeremias cap. 31. vocem in excelso audiendam fore lamentationis, luctus et fletus Rachelis plorantis filios suos, et nolentis consolari quia non sunt; Oseas cap. 11. vocaturum Deum ex Ægypto filium suum: quae omnia in Christo nato adimpleta fuisse narrant Evangelistae. *In mundo erat*, ait Johannes cap. 1. *et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt;* Lucas cap. 2. *Pannis eum involvit* (Maria), *et reclinavit in praesepio, quia non erat locus in diversorio*; Matthaeus cap. 2. *Et ecce stella, quam viderant in oriente* (Magi), *antecedebat eos usque dum veniens staret supra ubi erat puer ... Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham*; idem rursus cap. 2. *Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra*; ac iterum paullo infra: *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto dicens, Surge, et accipe puerum ac matrem ejus, et vade in terram Israel ... Qui consurgens accepit puerum ac matrem ejus, et venit in terram Israel*. Silentio praetereo alia oracula quae eventu comprobata sunt, de Praecursore Messiae, de hujus in templo admirabili apparitione, praedicatione, miraculis, mortis tempore, resurrectione, in caelum ascensione, ac Spiritus sancti super Apostolos immis-

sione . Solis lumine clarius innotescunt , si simul conferantur loca Malachiae cap. 3. et Johannis cap. 1 ; Aggaei cap. 2. et Lucae cap. 2 ; Zachariae cap. 9. et Matthaei cap. 21 ; Jeremiae cap. 31. et Lucae cap. 4 ; Isaiae cap. 35. et Lucae cap. 7 ; Danielis cap. 9. et Matthaei cap. 27. Marci cap. 15. Lucae cap. 23. Johannis cap. 19 ; Psalmi 15. et Matthaei cap. 28 ; Psalmi 23. 46. 67. et Actorum cap. 1 ; Joelis cap. 2. et Actorum cap. 2. Illas tantum prophetias commemorabo quae circumstantias passionis Christi respiciunt. Legito Isaiam cap. 52. et 53. Postquam de glorioso et laeto Messiae adventu , ac pace filiae Sion adferenda plurima praenuntiaverat, subito immutat stilum, et quantum de ejus exaltatione praedixerat, tantum de ejus humiliatione, oppressione, et opprobriis narrat. Ait enim: *Sicut obstupuerunt super te multi , sic inglorius erit inter viros aspectus ejus , et forma ejus inter filios hominum ... Quis credidit auditui nostro ?... Ascendet sicut virgultum coram Deo , et sicut radix de terra sitienti . Non est species ei, neque decor : et vidimus eum , et non erat aspectus , et desideravimus eum ; despectum et novissimum virorum , virum dolorum et scientem infirmitatem ; et quasi absconditus vultus ejus et despectus , unde nec reputavimus eum . Vere languores nostros ipse tulit , et dolores nostros ipse portavit ; et nos putavimus eum quasi leprosum , et percussum a Deo et humiliatum . Vulneratus est propter iniquitates nostras , attritus est propter scelera nostra ... Oblatus est quia ipse voluit , et non aperuit os suum , sicut ovis ad occisionem ductus , et quasi agnus coram tondente se obmutescet , et non aperiet os suum ... Dispertiam ei plurimos , et fortium dividet spolia , pro eo quod tradidit in mortem animam suam , et cum sceleratis reputatus est, et peccata multorum tulit , et pro transgressoribus rogavit .* Christum ab eo tradendum esse qui sederet ad mensam ejus vaticinatur David psal. 40. *Homo pacis meae , in quo speravi : qui edebat panes meos , magnificavit super me supplantationem ;* Zaccharias cap. 11. venundandum vili triginta argenteorum pretio : *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos ;* colaphis et flagellis caedendum , opprobriis afficiendum et contumeliis , Isaias cap. 50. *Corpus meum dedi percutientibus , et genas meas vellentibus : faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me ;* affigendum cruci , ipsemet de se Christus Johan. cap. 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto , ita exaltari oportet filium hominis ;* Regius Psaltes psalmo 21. fodendas manus ejus et pedes , sorte ab impiis vestimenta ejus dividenda , morientem a Deo Patre derelinquendum : *Foderunt manus meas et pedes meos ... Diviserunt sibi vestimenta mea , et super vestem meam miserunt sortem ... Deus Deus meus , quare me dereliquisti ?* felle denique et aceto potandum , idem Psalmista psal. 68. *Et dederunt in escam meam fel , et in siti mea potaverunt me aceto .* Quam literaliter haec omnia in Christo patiente completa sint videat qui Evangelium vel obiter legit . Pro coronide vaticinium afferimus de urbis ac templi Hierusalem desolatione et destructione , nec non de Judaeorum dispersione . Celebre est illud Danielis cap. 9. *Post hebdomadas sexagin-*

ta duas occidetur Christus ... Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo : et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio ... Deficiet hostia et sacrificium , et erit in templo abominatio desolationis . Confirmatur aperte a Christo Jesu Lucae cap. 19. *Videns civitatem flevit super illam dicens : Venient dies in te ; et circumdabunt te inimici tui vallo , et coangustabunt te undique , et ad terram prosternent te et filios tuos qui in te sunt ; et non relinquent in te lapidem super lapidem , eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae* . Et Marci cap. 13. *Respondens Jesus ait illi : Vides has omnes magnas aedificationes ? (templi scilicet) . Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur* . Et Matthaei cap. 24. *Cum videritis abominationem desolationis , quae dicta est a Daniele propheta stantem in loco sancto : qui legit intelligat* . Et rursus Lucae cap. 21. *Cum videritis circumdari ab exercitu Hierusalem , tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus ... Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus : erit enim ... ira populo huic . Et cadent in ore gladii , et captivi ducentur in omnes gentes , et Hierusalem calcabitur a gentibus , donec impleantur tempora nationum* . Tam terribili prophetiae facta heu nimis vere responderunt . Legantur Josephus Flavius natione judaeus lib. 7. de Bello judaico, Svetonius gentilis in Tito cap. 5. Fleuryus christianus catholicus lib. 2. Hist. Eccl. Adeo vivis depingunt coloribus Hierosolymae ejusque templi obsidionem et destructionem , ut horreat oculus et animus legentis . Ibi apprime describuntur extrema obsessi a militibus Titi Vespasiani populi miseria et calamitas , fames et pestis , intestina in urbe furentia bella Zelotes inter ac ceteros Judaeos ; consumptae matres proprios coquentes et comedentes filios ; nocte extra muros repentes ut herbas in fossis colligerent et devorarent , a Romanis intercepti , et ad millia millium crucis patibulo suffixi ; plus quam decies centena millia Hebraeornm durante obsidione demortua ; nonaginta millia in servos et ancillas divendita ; ultra decies centena millia ac tercentum triginta sex millia in toto perempta . Jusserat pius Titus ut parceretur templo . Sed aliter ultionum Dominus decreverat in deicidam gentem , Justi sanguinem sibi imprecantem et posteris suis . Succensum proinde est templum , universi orbis miraculum ; sicque vindex Dei ira , uti praenuntiaverat Jeremias , *complevit furorem suum , effudit iram indignationis suae , et succendit ignem in Sion , et devoravit fundamenta ejus* . Et antequam igne consumeretur , quae major abominatio in eo haberi potuit , cum et Zelotes pedibus ac manibus impuris intrantes Sanctuarium , illud in praesidii castellum formarunt , et aquilarum vexilla inibi collocata sunt , et Imperatorum imago pro signo triumphi erecta est , ac a prophano milite sacro igne adorata ? Quid vero de malis dicam quae post templi ruinam et abominationem subsequuta sunt ? Nihilo est opus quam oculos aperire , ut conspiciamus Danielis et Salvatoris nostri oracula in perfido Hebraeorum populo per octodecim et amplius saecula ad nostra usque tempora adamussim impleta . Ab illa enim destructionis et desolationis memoranda die filios Israel intuemur

per mundum universum dispersos sine rege et sacerdote, sine altari et sacrificio. Videmus eos servientes cunctis nationibus, corde semper pavido et anima moerore consumpta. Ad rem hanc perbelle canit Prudentius in Apothea:

At tua congestae tumulant holocausta ruinae.
Quid mereare Titus docuit, docuere rapinis
Pompejanae neces, quibus extirpata per omnes
Terrarum pelagique plagas tua membra feruntur.
Exitiis vagus huc illuc fluctuantibus errat
Judaeus, postquam patria de sede revulsus
Supplicium pro caede luit, Christique negati
Sanguine respersus commissa piacula solvit.

Incassum Julianus apostata anno CCCLXIII. jussit hierosolymitanum templum a Tito destructum ingenti pretio et opera reaedificandum, eo sane consilio ut Christianorum Evangelium et vaticinium irritum demonstraret. Incassum undique ad locum convenere ex omnibus provinciis laetantes Judaei, et viri ac mulieres perficiendo operi quidquid pretiosi possidebant obtulerunt, manusque viresque admoverunt alacriter. Dissipavit Deus potentia sua magna omnes conatus eorum. Factum istud narrat Ammianus Marcellinus scriptor gentilis et Juliani imperatoris insignis encomiastes. Ejus verba haec sunt lib. 23. *Ambitiosum quondam apud Hierosolymas templum, quod post multa et internecina certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tito, aegre est oppugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis Julianus, negotiumque maturandum Alipio dedit antiochensi, qui olim Britannias curaverat Pro-praefectus. Cum itaque rei idem instaret Alipius, juvaretque provinciae rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assaltibus erumpentes fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum; hocque modo, elemento repellente, cessavit inceptum.* Tantae historiae veritatem a Basnagii et Mideltonis nugis et sophismatibus egregie vindicavit doctissimus Anglus Warburthon in dissertatione cui titulus - *De terrae motibus et eruptionibus ignium, projectum de reaedificando Hierosolymorum templo abortum facientibus.*

Veritatem denique thesis nostrae demonstrant miracula. Brevitatis causa illud tantum afferimus, omnium certe maximum, quod elucet in propagatione christianae Religionis, cujus praecipuum fundamentum est Scriptura sacra utriusque foederis. Atque ut in re conficienda recta procedamus via, operae pretium esse ducimus paulisper perpendere quibusnam tum V. cum N. Testamenti doctrina praedicata fuerit, quinam eam praedicaverint, quid per eam sit praedicatum, quibusnam mediis praedicata per universum mundum diffusa sit. Populorum quibus haec doctrina annuntiari debebat, corruptissimi mores erant. Avaritia divitum, immoderatus magnatum fastus, crapula et otium civium, arrogantia plebis, foeminarum impudentia, juvenum turpitudines, omnes inficiebant conditiones, aetates, sexus. Juvenalis ipse de Romanis loquens sui temporis (quod

de romana gente dicitur, de aliis quoque paganis dici debet) sic satyra 6. scribit:

Nunc patimur longae pacis mala. Saevior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.
Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo
Paupertas romana perit.

Quid autem carnale magis et absurdum, magis detestabile et infame ethnicorum religione? Adeo ingens erat apud eos deorum turba, ut tamquam dii haberentur etiam caepae et allia. Turpissima hisce divinitatibus adscribebantur libidinum ac furiarum vitia. Ridiculi nefandi crudeles erant ritus quibus celebrabantur, uti victimae humanae, choreae lascivae, gladiatorum pugnae, et innumera propemodum impudicitiarum genera. Pax, bella, et ardua negotia quaeque regebantur auguriis; et sive politica arte, sive superstitione futuri decernebantur eventus. Talibus perditissimis et obcaecatis hominibus annuntianda erat nova doctrina. Et quaenam quaeso? Paupertas et humilitas, continentia et castitas, mortificatio sensuum, contemptus divitiarum, abstinentia a spectaculis convitis ludis crapulis, amor proximi quis demum ipse fuerit sive amicus sive inimicus sive servus sive liber sive domesticus sive extraneus, beneficentia erga miseros, poenitentiae rigor, mentis cogitationum et cordis affectuum custodia, victoria denique passionum omnium et cupiditatum. Praedicanda erant dogmata nova et incomprehensibilia: Deus unus et trinus; Deus factus homo; Deus-homo sub speciebus panis et vini absconditus, et in cibum paratus fidelium suorum; Deus-homo crucifixus, mortuus, sepultus, redivivus, caelos ascendens, sedens ad dexteram Patris, venturus in consummatione saeculi ad judicandam universam carnem e sepulcris resurgentem in ictu oculi, in novissima tuba. Et quinam tot difficilium praeceptorum, tot incredibilium veritatum praecones mittebantur? Viri pauperes, piscatores, plebei, non periti grammatica, non rethorica inflati, non armati dialectica. Soli, sine pera et baculo, sine armis, sine divitiis, omnibus destituti terrenis auxiliis procedent ad confundendam potentium superbiam, ad evertendam idololatriam, ad cunctas gentes subjugandas Crucis imperio. Patientur ubique contradictiones et ludibria, famem et sitim, frigus et aestum, pericula et naufragia, carceres et flagella, irrisiones ac tormenta; semper tamen praedicaturi coram Judaeis et Paganis, coram regibus et principibus, coram philosophis ac turbis, coram judicibus et tyrannis; praedicaturi in equuleis et rotis ad ultimum usque anhelitum vitae. Nihilominus intra viginti aut triginta annorum spatium horum rudium ac vilium ministerio, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, totus mundus altissima mysteria credidit, ardua nimis et incommoda moralia praecepta lubens suscepit, Jesum crucifixum adoravit, christianam Religionem, revelatam doctrinam quae in utroque Testamento comprehenditur amplexus est. Jam vero si pro hac doctrina tam grande miraculum patravit Deus, ut nempe tam miris modis undique propagaretur, quis profecto negare po-

terit eam divinam esse, ac propterea divinitus inspiratam Scripturam in qua continetur?

CONCLUSIO II.

Sacri Scriptores in canonicis libris numquam humano dumtaxat spiritu loquuti sunt; proindeque nullum in Scripturis invenitur vel leve mendacium.

Prob. 1. quoad V. Testamentum. Et quoniam quos hac propositione refutandos suscipimus, Scripturarum auctoritate se teneri fatentur, ad Scripturarum oracula illos provocamus. Ii libri nulla in parte humanitus scripti sunt nec mendacia continent, quos infallibilis auctoritatis esse declaravit in N. Testamento Christus. Si namque solus Deus verax est, omnis autem homo mendax, infallibilem sane obtinere nequit auctoritatem quod non a divino, sed ab humano spiritu proficiscitur. Christus Dominus in N. Testamento diserte declarat V. Testamenti volumina infallibilis esse auctoritatis. Matth. enim cap. 5. loquens Dominus de mosaicis libris, inquit: *Amen quippe dico vobis, donec transeat caelum, et terra, jota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant*. Quid est autem non praeteriri a lege jota unum aut apicem, nisi legem infallibilis esse auctoritatis? Lucae cap. 1. legitur: *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum ejus*. Et cap. 24. *Incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant*. Johan. cap. 5. ait Christus: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere*. Quorsum commendaretur tam saepe Scriptura, et ad illam Judaei remitterentur, nisi infallibilis esset auctoritatis?

Et ne adversarii reponant laudata Scripturae testimonia demonstrare vaticinia dumtaxat, non historias aut morales exhortationes Spiritu sancto afflante fuisse exarata, do locupletissimam S. Petri sententiam, qua universa prorsus V. Testamenti Scriptura a Spiritu sancto inspirata definitur. In ejus Ep. 2. cap. 1. haec leguntur: *Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*. Hoc in testimonio docet Petrus, eos qui prophetiam scripserunt, Spiritu sancto inspirante fuisse loquutos. Verum hoc in loco prophetiae nomine, non pars illa dumtaxat Scripturae quae vaticinia continet, sed universum intelligitur vetus Testamentum; per synecdochen scilicet ponitur pars pro toto, quia major Scripturae quae tunc extabat pars, erant Prophetae. Perstrinxit enim ea epistola princeps Apostolorum Simonianos et Gnosticos qui non Prophetas solum, sed integram Scripturam ad pravum sensum detorquebant.

Prob. 2. quoad N. Testamentum. Christus Dominus peculiarem sacris N. Testamenti Scriptoribus spopondit assistentiam. Johan. enim cap. 14.

inquit: *Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis*. Cap. 16. subdit: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso: sed quaecumque audiet loquetur, et quae ventura sunt annuntiabit vobis*. Marci cap. 13. iterum ait: *Nolite praecogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini, non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus*. Quae itaque in literas sacri Scriptores retulerunt, divinitus sunt inspirata. Hinc S. P. Augustinus lib. 1. de Cons. Evang. cap. 35. *Quidquid*, inquit, *ille* (Christus) *de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis* (Evangelistis) *tamquam suis manibus imperavit. Hoc unitatis consortium, et in diversis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini ... scribentem conspexerit*.

Prob. utraque pars universim invictissima ejusdem Augustini ratione: Si hagiographi Auctores nonnulla humano dumtaxat spiritu ducti conscripserunt, ut adversarii contendunt, sacrae literae in nullo penitus fidem promererentur: si enim in levibus, ut ipsi volunt, a vero potuerunt excidere, cur non et in gravibus? Nam quae uni gravia, ut Trinitas Personarum, realis Christi in Eucharistia praesentia, Spiritus sancti a Patre Filioque processio, aliaque hujusmodi videntur; levia erunt aliis, et ad salutem minime necessaria. Atque ita quamvis de istiusmodi dogmatibus clare scripserint Evangelistae, falli et fallere potuerunt, quoniam ab illis levia existimantur: *Videtur exitiosissime credi*, ita Augustinus ad Hieron. Ep. 28. *aliquod in Libris sanctis haberi mendacium ... Admisso enim semel in tantum auctoritatis fastigium ... aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quae non ut unique videbitur vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium ... referatur*. Et n. 5. *Ad hanc autem considerationem coget te pietas, qua cognoscis fluctuare auctoritatem scripturarum divinarum, ut in eis quod vult quisque credat, quod non vult non credat, si semel fuerit persuasum aliqua illos viros, per quos nobis haec ministrata sunt in scripturis suis, officiose potuisse mentiri*.

CONCLUSIO III.

Scriptores sacri quae naturaliter scire non poterant, Deo revelante; quae vero auditu vel visu vel meditatione didicerant, non Deo tantum assistente, sed Deo afflante scripserunt.

Antequam propositionem argumentis confirmare aggrediamur, animadvertendum existimo tribus modis sacros Scriptores intelligi posse inspiratos, vel per *Revelationem*, vel per *Afflatum*, vel per *Assistentiam*. Revelatio est earum rerum quae naturaliter sciri et cognosci non possunt, divini-

tus facta manifestatio. Afflatus est extraordinaria Spiritus S. actio quae sic hominem afficit, ut nedum in scribendo vel loquendo non erret, sed ad hanc potius quam illam referendam veritatem determinetur. Assistentia demum est speciale quoddam ejusdem Spiritus sancti auxilium quo fit, ut scriptor nec fallatur nec fallat, licet ea quae scribit aut loquitur a Deo non suggerantur. Haec inspirationis varietas innixa videtur Apostoli verbis in Ep. ad Hebr. cap. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*. His breviter adnotatis

Prob. prima pars thesis. Sacra Scriptura ubi de rebus quae naturaliter sciri cognoscique non possunt sermonem instituit, ut sunt futurorum praedictiones, cordium secreta, aliaque hujusmodi, hac ut plurimum, utitur phrasi: *Dixit Dominus*; *Haec dicit Dominus*; *Dominus locutus est ad me, dicens etc.* Quare Hagiographi multa, Deo revelante, scripserunt. Et re quidem vera, rerum futurarum eventus, secretorum cordium cognitio, recondita ac sublimia mysteria, necessariam quum habeant cum innumeris caussis colligationem quae hominibus penitus ignota est, in se cognosci non possunt, neque certo praenuntiari; unde optime Cicero lib. II de Divin. *Si quis*, inquit, *talis possit esse, qui colligationem caussarum omnium perspiciat animo, nihil eum profecto fallet; qui enim tenet caussas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat quae futura sunt. Quod cum facere nemo nisi Deus possit, relinquendum est homini, ut signis quibusdam sequentia declarantibus, futura praesentiat*. Sed nemo ex Christianis huic adversatur propositioni.

Prob. altera pars. Integra S. Scriptura, etiam in iis quae visu vel auditu vel meditatione didicerant sacri Scriptores, vere et proprie est verbum Dei, dicente Apostolo in Ep. 1. ad Thessalon. cap. 2. *Gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut est verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei*. Non esset autem ejusmodi, si in iis quae naturaliter sciebant conscribendis, solam Spiritus sancti habuissent assistentiam; sicuti verbum Dei non sunt Conciliorum definitiones.

Neque cum adversariis reponere juvat, sacram Scripturam, ex quo illius Auctores in multis Spiritus sancti assistentiam dumtaxat habuerint, esse in singulis particulis divinae auctoritatis, adeoque verbum Dei jure meritoque dici posse. Nam aliud est librum aliquem esse divinae auctoritatis, et aliud esse verbum Dei. Etiam oecumenica Concilia, quod Spiritu sancto assistente sint celebrata, divinam obtinent auctoritatem; numquid proinde Dei verbum dici proprie possunt? Minime, quoniam verba definitiones componentia, et eorum ordo ac series, hominum, Deo dirigente et assistente, sunt. E contra verba, verborum ordo ac series in sacris libris, Dei sunt homines inspirantis. Non sufficit ergo Spiritus sancti assistentia, ut sacra Scriptura dicatur, juxta mentem Apostoli, Dei verbum. Hinc patet quam merito lovaniensis ac duacensis Facultates tres damnaverint Lessii et Hamelii propositiones, quarum prima est: *Ut aliquid sit Scriptura sacra, non est necessarium singula verba ejus inspirata esse*

a Spiritu sancto. Altera: *Non est necessarium, ut singulae veritates et sententiae sint immediate a Spiritu sancto ipsi scriptori inspiratae*. Tertia: *Liber aliquis, qualis forte est liber secundus Machabaeorum humana industria sine assistentia Spiritus sancti scriptus, si postea Spiritus sanctus testetur ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura sacra*. Prima enim et altera non aliam tribuunt Scripturae inspirationem quam assistentiam: atque idcirco non aliam dignitatem et asphaliam quam quae Conciliis et definitionibus ecclesiasticis tribuitur tribuunt. Ex tertia autem manifeste consequitur cujusvis sive ecclesiastici sive probati auctoris opera evadere posse Scripturam, si Spiritus sanctus testetur nullam in iis reperiri falsitatem; quod quam absurdum sit nemo non videt.

Prob. tertia thesis pars. Petrus in Ep. 2. cap. 1. *Hoc primum*, inquit, *intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit*. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*. Qua in sententia prophetiae nomine. Patres universam intelligere Scripturam, omnes videlicet Scripturae particulas, demonstratum est superiori Concl. II. Non omnia quae sacri Scriptores retulerunt in literas, Deo revelante didicerunt; quum non omnia ad vaticinia, aut cordium secreta, vel mysteria pertineant. Quare inspirationis nomine intelligi nequit absolute divina revelatio. Sed neque intelligi potest mera Spiritus sancti assistentia; quum Petrus dicat, *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia*. Superest igitur ut dicamus Sanctos Dei homines Spiritu sancto inspirante, hoc est afflante fuisse loquutos. Hoc eodem sensu celebris Pauli exponenda est sententia, quae habetur in Ep. 2. ad Timot. cap. 3. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum*. Omnis Scriptura est divinitus inspirata: unde in iis etiam quae vel visu vel auditu vel lectione vel meditatione sacri Scriptores didicerant, Deo afflante in literas relata est.

Prob. ulterius SS. PP. auctoritate. Chrysostomus Hom. 21. in Gen. *Nec simpliciter*, inquit, *ea, quae in Scripturis sacris continentur transeamus*. *Nihil enim hic scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias*. *Quandoquidem divino Spiritu afflati Prophetae locuti sunt; ideo uti a Spiritu scripta, ingentem in se continent thesaurum*. *Neque enim vel syllaba, vel apiculus est in sacris literis, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus*. Hieronymus in cap. 3. Ep. ad Ephes. ait: *Singuli, sermones, syllabae, apices, puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus*. Gregorius Praef. in lib. Moral. cap. 1. de libri Job verba faciens auctore scribit: *Sed quis haec scripserit valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur*. *Ipse igitur haec scripsit, qui haec scribenda dictavit*. *Ille scripsit, qui et illius operis inspirator extitit*. Eadem habet S. P. Augustinus in lib. de Cons. Evang. ubi diserte affirmat quidquid de Christo scripserunt Evangelistae, *hoc scribendum illis tamquam suis manibus* Dominum imperasse. Ast quo sensu Chrysostomus tradit non esse verbum vel syl-

labam vel apiculum in Scripturis, in cujus profundo non sit ingens mysterium; Hieronymus, singulos sermones, syllabas et puncta plena esse sensibus; Gregorius, Spiritum sanctum auctori libri Job scribenda dictasse; Augustinus, Dominum imperasse discipulis, ut veluti suis manibus scriberent? Non certe quod sacri Scriptores meram habuerint Spiritus sancti assistentiam: nam si hoc sensu loquuti fuissent, verborum, syllabarum, et apicum non ipsum Spiritum sanctum, sed sacros Scriptores auctores dixissent. Verum, neque in Auctoribus sacris, quoad omnes et singulas particulas divinam agnoverunt revelationem, quum haec locum non habeat nisi in mysteriis ac vaticiniis. Illa ergo dixerunt sancti Patres, ut indicarent sacros Auctores in iis scribendis quae naturaliter sciebant aut scire poterant, Spiritum sanctum per afflatum habuisse praesentem.

CAPUT II.

Solvuntur adversariorum objectiones.

Obj. 1. contra I. prop. cum infidelibus ac libertinis. Argumentum ex sublimitate petitum et sanctitate doctrinae quae in libris utriusque Testamenti continetur, nullius est roboris ad eorum demonstrandam divinam inspirationem. Etenim philosophi etiam gentiles praeclara ac sublimia de Deo scripserunt, optimasque tradidere regulas circa hominis officia erga se ipsum, erga Deum, erga proximum. Nemo autem dixerit eos fuisse in illis conscribendis divinitus inspiratos.

Resp. Libros legenti ethnicorum philosophorum contrarium patet. Quis sane inter eos sapientior Platone, Varrone, ac Tullio? Nihilominus et isti plus minusve errarunt circa Dei ideam. Nam aut non unum uti par erat, sed plures existere Deos putarunt, aut si unum summum Deum quandoque fassi sunt, hoc vel illud infinitae ejus perfectionis attributum denegarunt. Sic Plato, licet Angelos a summo Deo factos esse existimaverit, eos tamen effectores esse voluit rerum corporearum. Varro Deum credidit animam mundi; qui in partibus suis multas habeat animas quarum divina natura sit. Cicero ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos, futurorum in Deo scientiam non agnoscens. Quid de impietate referam doctrinae moralis quae in omnibus scriptis deprehenditur paganae philosophiae? Tam Plato in sua Republica lib. 5. quam Aristoteles in suis Politicis lib. 7. decernunt, ut si parentes nimium timeant prolis numerum, vel ejus educationem molestam arbitrentur, vel filios suspicentur nascituros debiles infirmos ac deformes, abortum procurent; et si in lucem prodeant, eos exponere possint, ut inedia aut alio modo intereant. Similem legem Lycurgus, teste Plutarcho, tradiderat; imo jusserat ut a judicibus spartanis inviserentur nati; et si robustos ac sanos invenirent servarent, sin vero in foveam conijcerent. Celebre est crudelissimum Plauti monitum in *Trino*. Ibi ait: *De mendico male meretur, qui ei dat quod edat, aut quod bibet. Nam et illud, quod dat, perdit, et illi*

producit vitam ad miseriam . Ergo fame pereant mendici , ne misere vivant . Contra legis naturae praecepta etiam Plato cujus morum severitatem Politici omnes depraedicant, permittendam esse censuit fornicationem ad vitanda adulteria, sicuti novimus ex Tullio in oratione pro Caelio; ac Plato ebrietatem probavit in Bacchanalibus, et infamem foeminarum communionem. De hac notatu digna sunt verba Lactantii lib. 3. divin. Inst. *Matrimonia* , inquit, *juxta Platonem communia esse debent , scilicet , ut ad eamdem mulierem multi viri , tamquam canes , confluant ... Oh miram aequitatem ! Ubi est igitur virtus castitatis ? Ubi fides conjugalis ? Quae si tollas , omnis justitia sublata est . Quam vero intulit rationem turpissimi hujus consilii ?* Sic , *ait* , civitas concors erit et amoris mutui constricta vinculo, si omnes omnium fuerint et mariti et patres et uxores et liberi. *Quae ista confusio generis humani ? Quomodo potest servari caritas , ubi nil est certum quod ametur ? Quis aut vir mulierem , aut mulier virum diligat , nisi habitaverint semper una , nisi devota mens et servata invicem fides individuam fecerint caritatem ? Quae virtus illa promiscua voluptate locum non habet . Item, si omnes omnium liberi sint , quis amare liberos tamquam suos poterit, cum suos esse aut ignoret aut dubitet ? Quis honorem tamquam patri deferat , cum unde natus sit nesciat ?.. Viri qui multas mulieres habent , nil aliud dici possunt quam luxuriosi ; et mulieres quae a multis habentur , non utique adulterae, quia certum matrimonium nullum esset , sed prostitutae ac meretrices sint necesse est .* Ita Plato matrimoniorum promiscuitatem jubendo, et turpissimam rem invexit in rempublicam suam, quia omni remoto pudore eam esse voluit publicum lupanar; et imprudentissime et injustissime egit, quia per hujusmodi concubitum abstulit parentum in filios, filiorum in parentes amorem, omniaque replevit vitiis, discordiis, invidiis et odiis. Idem Plato denique lib. 2. et 3. de Republica, principibus, magistratibus, et cuilibet hominum contra proprios inimicos mendacium permittit; ac Cicero lib. 3. de Officiis adprobat etiam perjurium et vindictam. Ceterum, non sumus adeo insipientes ac temerarii, ut affirmemus gentiles philosophos nihil omnino recte de Deo ac de humanis officiis docuisse. At verisimile maxime est, eos quae bene de utrisque scripserunt, vel ex orali traditione a posteris Noe, saltem quoad aliqua verae Religionis rudimenta, ad gentes propagata didicisse; aut ex Hebraeorum theologia, ad quos nonnullos eorum divertisse aliquando ut eorum sapientia imbuerentur, testantur ferme communiter Historici. Proferre sufficiat Joannem Buddeum. In Exercitationibus historiae philologicae de Origenis allegoriis, loquens de Platone ait: *Sed a Judaeis eum multa accepisse , vel inde elucet quod Josephus lib. 2. contra Appionem , Justinus in paraenesi ad Graecos , Clemens lib. 3. paedagogi , et alii Moysis eum involasse libros uno ore arguant et conquerantur .*

Obj. 2. contra eamdem 1. prop. I. Argumentum ex Prophetarum deductum oraculis nihil plane conficit. Nam prophetiae quae in V. Testamento leguntur, ante Christi adventum non extiterunt, sed a Christianis

ad propriam firmandam Religionem confictae olim sunt. II. Secus Judaei harum depositarii et custodes, Christum ejusque Evangelium suscepissent si eas impletas perspexissent. III. Quod si concedatur extitisse quondam Prophetarum oracula, nonne fieri potuit ut Christiani N. Testamenti confinxerint historiam, vaticiniisque eam accomodaverint?

Resp. ad 1. Vaticinia quae in V. Testamento leguntur, longe ante Christi adventum extitisse ultro fatentur vel ipsi Judaei, quibus profecto nullam ob caussam hac in re fides negari potest; tum quia si Christiani prophetias istas confixissent, haudquaquam tacuissent, cum sint Christi nominis infensissimi hostes; tum quia certissima est penes illos de propriis libris ac prophetiis nunquam interrupta traditio. Ita respondet magnus Augustinus Enarrat. in psal. 56. *Et ne forte dicant duri ad fidem quia nos illas Christiani composuimus, ut cum Evangelio quod praedicamus finxerimus Prophetas, per quos praedictum videretur quod praedicamus; hinc eos convincimus, quia omnes ipsae litterae quibus Christus prophetatus est, apud Judaeos sunt, omnes ipsas litteras habent Judaei. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos*. Similia repetit Tract. 30. in Johan.

Ad 2. Non miror Judaeos et Christum repulisse, et ejus Evangelio non credidisse, licet completa in eo viderint oracula Prophetarum. Id enim vaticinatus fuerat Isaias cap. 6. *Et dixit Dominus: Vade, et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere. Excaeca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude; ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum*. Sed possibile est populum oculis videntem et auribus audientem adeo excaecari atque surdescere? Facile solvitur aenigma. Expectabant Hebraei carnales Messiam in quo unirentur simul, majestas, divitiae, robur atque triumphi. Hoc falso ac terreno imbuti principio, cum legerent et tenerent in manu prophetias, et Christum cernerent in humili Bethlehem nudum, pauperem, despectumque natum, nec cognoscebant nec respiciebant eum.

Ad 3. N. Testamenti historia vel conficta fuit iis adhuc viventibus coram quibus contigisse narratur, vel eis vita functis. Neutrum vero dici potest. Non primum: quia illi coram quibus historiam contigisse narratur, facillime imposturam detexissent, praesertim cum de summa rerum, de Religione nempe ageretur. Sed nec eis vita functis fingi vulgarique potuit. Totus enim reclamasset orbis quod rerum tam mirabilium nihil penitus antehac audiverint nec Judaei nec Gentiles. Judaei, quorum hac in historia maxima impietas describitur; Gentiles, quorum superstitio deorumque cultus tam aperte damnatur et evertitur. Praeterea non Christiani tantum sed Judaei quoque historica facta in N. Testamento contenta, in eorum libris saepe commemorant. Non ergo confictum est ad libitum a Christianis.

Obj. 3. contra eamdem 1. prop. I. ex propagatione christianae Religionis, cujus praecipuum fundamentum libri sunt utriusque foederis, ma-

le infertur, eos fuisse divinitus inspiratos. Siquidem hujusmodi Religio non nisi paulatim ac successivo tempore stabilita est. Idcirco ejus progressus mere est humanus, non autem opus Dei qui ad instar hominum haudquaquam agit. II. Nec mirum quod doctrinam ab Apostolis praedicatam amplexus fuerit mundus. Talis enim est vulgi indoles, ut novitate maxime delectetur. Abjecta ergo vetere religione, novam lubentissime suscepit; III. Eo vel magis quod natura levis, nec recti capax judicii et examinis, facile credit quae a sycophantis ac phanaticis annuntiantur. IV. Huc accedit, edictis, vel saltem principum christianorum exemplo, suum debuisse incrementum Religionem christianam. Notissimae sunt Constantini leges contra idololatriam. V. Tandem mahumedanam sectam summa celeritate per Asiam atque Africam propagatam novimus, et inde in Thraciam, Macedoniam, Epirum, Peloponnesum, viciniasque insulas invectam. Idem dicas de illa Novatorum saeculi XVI. Brevi temporis spatio magnam haec Germaniae partem et Helvetiae, ferme totam Angliam invasit. Ergo ne utraque divina censeri potest?

Resp. ad 1. Ultro concedimus mundi conversionem instantaneam non fuisse, adeoque Religionem Christi paulatim per universas terrae plagas fuisse propagatam. Sed affirmamus quoque, idololatriam totis viribus praedicationi ejus pertinaciter obstitisse. Quid inde? Numquid humano modo, uti blaterant increduli, annuntiatum est Evangelium? Nullo pacto. Apostoli erant utique homines, et humano praedicabant ore. Ast ab idololatrico ad verum Dei cultum mundum revocarunt divina virtute. Neque enim hac destituti, potuissent unquam obstacula superare quae reapse superarunt. Relege superius allata iu thesis nostrae probatione argumenta.

Resp. ad 2. Utique novitate vulgus maxime delectatur, sed ea quae blanditur sensibus et cupiditates fovet, quaeque avitae religioni cum lacte e matrum sinu haustae non contradicit; non autem illa quae et sensus crucifigit, et cupiditates reprimit, et cordis affectus aut necat aut moderatur, et eam sectantibus praecipit ut ad ejus defensionem ac tutamen sanguinem etiam fundere, vitam perdere inter acerbissima quoque supplicia non recusent, et patriae denique religionis instituta funditus evertit. Talem autem fuisse doctrinam novam a Christi discipulis populo praedicatam, res est omnibus manifesta.

Resp. ad 3. Doctrina haec nova quae annuntiabatur, aut erat comprobata testimoniis ineluctabilibus, aut non. Si erat, ergo populus in apertae veritatis obsequium eam amplexus est. Si non et tamen populus eamdem suscepit, maximum in hoc elucet omnipotentiae Dei miraculum, ut nempe ipse non persuasus, non evidentia ductus, res adeo difficiles et arduas, adeo repugnantes rationi et carni crediderit, ac pro earum professione bonis temporalibus, sanguine et vita privari non dubitaverit. Ast non tantum plebs, uti blaterant adversarii, sed et viri omnigena sapientia clarissimi, qui certe nec natura leves nec recti judicii incapaces erant, Christo ejusque Evangelio dedere nomen; Dyonisius, Justinus, Origenes,

Tatianus, Quadratus, Clemens, Theophylus, Cyprianus, Minucius Felix, Lactantius, Eusebius, Athenagoras, Tertullianus, ac innumeri alii.

Resp. ad 4. Pessime mentitur qui affirmat christianam Religionem christianorum principum edictis, vel saltem exemplo, suum debuisse incrementum. Duobus ferme saeculis ante Constantinum Plinius junior in Bithynia vice-praetor ita scribebat in sua ad Trajanum epistola: *Multi omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius* (christianae) *contagio pervagata est ... Prope jam desolata templa, et solemnia diu intermissa*. Id ipsum ad eumdem Trajanum scribebat Tiberianus primus Palaestinae praeses. *Defatigatus sum*, inquit, *puniendo, et neci tradendo Galilaeos, qui nobis veniunt sub nomine Christianorum, secundum vestra mandata. Illi vero non cessant ad sedem sese patefacere*. Nec aliter sentit Tacitus. Libro enim 15. Annalium cap. 44. ait: *Repressa in praesens exitiabilis superstitio* (christiana) *rursus erumpebat, non modo per Judaeam originem ejus mali, sed per Urbem etiam ... Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde, indicio eorum, multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis, convicti sunt*. Itaque quando primus gentilium imperatorum Constantinus ad Christum conversus est, devicto Messentio, Religio jam stabilita erat etiam ultra fines romani imperii apud barbaros. Ejus autem leges in idololatras latae (quae tamen in istos non saeviebant sicut illae praecessorum saevierant in Christianos,) ostendunt jam exiguum tunc temporis remansisse Ethnicorum numerum; alioquin non ausus esset eos edictis coercere, et ita ad seditionem provocare.

Resp. ad 5. Quisquis inter legem Evangelicam et Alcoranum disquisitionem, et inter praedicationem utramque examen instituat, manibus differentiam palpat. Instituta Mahumedis carnalia sunt, Saracenorum Asiae genio prorsus accomodata. Quid miri si ambabus excipiantur ulnis? Et quaenam erat mahumedanae praedicationis norma? Latronum turba invitabat ad strages et neces, ad spolia et divitias, ad libidines et voluptates sensuum, tam in hoc quam in altero saeculo futuras. Gens proinde divitiarum avida, carnis illecta deliciis, igne et ense propulsa, sequitur impostorem, Alcoranum amplectitur. Christiana vero lex (id saepe notavimus) mundi corrupti moribus, philosophorum superbiae, cogitandi et vivendi rationi opposita, contra vim et arma, contra Caesarum potentiam, nullis humanis adminiculis ubique terrarum propagatur, exosae crucis vexillo in ipsam Capitolii arcem, Jovis fulminantis sedem invecto. Nec aliter dicendum est de sectis lutherana et calvinistica saeculi XVI. Viri principes lubentissime eam amplectebantur et tuebantur, ut spoliis ditarentur Ecclesiae; ceteri autem ut liberati a votorum aliarumque legum oneribus liberius viverent.

Obj. 4. contra eamdem 1. prop. Divinitus inspirati dici nequeunt libri in quibus multa occurrunt falsa. Profecto falsa inveniuntur tam in veteris quam in novi Testamenti codicibus. Et I. quidem narrat Moyses cap. 1.

Geneseos Deum creasse prima die lucem, et quarta solem. Ita ponitur effectus ante causam, quippe quod lux non est nisi solis emanatio. II. Cum primis tribus diebus sol non existeret, ex cujus gyro sive apparente sive reali circa tellurem dierum noctiumque habentur vicissitudines, quomodo ante illius creationem dies erant? III. Ibi etiam repraesentat Moyses caelos tamquam solidos, in quorum expansione astra firmata sunt, et lunam appellat luminare majus, quod proculdubio in comparatione stellarum minimum reputatur. IV. Quis unquam credet Deum in caelestibus corporibus fabricandis unum tantum diem, in formanda vero instruendaque terra quinque dies impendisse? V. Quis credet terram universi centrum esse, ejusque commodis solem et lunam cum reliqua siderum multitudine inservire? Nihilominus haec tradit Moyses: quae certe omnis physicae et astronomicae disciplinae ignorantiam in eo arguunt. VI. Tantum ergo abest Pentateuchi auctorem fuisse divinitus inspiratum, quin potius tenendum est eum narrationem suam de rerum genesi, priscarum gentium mithys simillimam, a Phoeniciis et Ægyptiis mutuasse, ut unius Dei creatoris ideam veluti fundamentum poneret israeliticae reipublicae, et legem de sanctificando die septimo in memoriam supremi Numinis requiei ab opere quod patrarat, consecraret simul ac stabiliret. VII. Id confirmat duplex cosmogoniae species quam tradere videtur cap. 1. et 2. Geneseos, quaeque, modo licet simpliciore ac praestantiore, ad illam accedit veterum populorum, quibus opinio erat hunc mundum adspectabilem distincto ac longo temporum intervallo fuisse conditum.

Resp. ad 1. Libro 20. nostrarum Institutionum demonstrabimus Augustini de simultanea rerum omnium creatione sententiam jure meritoque oppositae esse anteponendam, ac ideo lucis et diei vocabula non corporaliter, sed spiritaliter accipienda esse. In hac sententia argumentum adversariorum nulla difficultate diluitur. Sed ad illud nunc directe respondemus. Juxta recentiorum placita et investigationes praesertim clarissimi Fresnel, lucis substantia independens a sole omnino est, fluidum nempe subtilissimum in spatio sparsum, aether nuncupatum. Non magis lux est a sole qui eam commovet, quam vibratio aeris a tintinnabulo, quod efficit ut vibrat. Sicut ergo existentia aeris a tintinnabulo non derivat, ita nec a sole lux. Idcirco potuit creatio lucis eam praecedere solis ac siderum, quemadmodum haec creationem animalium praecessere. Immo juxta contextum mosaicum non incongrue quis affirmabit Deum ex substantia luminosa prima die jam e nihilo educta, tamquam ex praeexistente materia die quarta solem ac astra condidisse, eam condensando eique tribuendo formam.

Resp. ad 2. Antequam crearetur sol, primi tres dies Geneseos tempus designabant indeterminatum, quin constarent spatio viginti quatuor horarum et alterna vicissitudine lumen inter ac tenebras. Tali pacto *vespere* et *mane* acciperentur per analogiam, per finem videlicet ac principium illius intervalli. Neque enim ex communibus quas habemus rerum ideis, semper argumentari debet; eo vel magis quod nulla in hac hypothesi ap-

pareat repugnantia. Dici etiam potest praememoratos dies luce primigenia fuisse distinctos, splendorem suum emittente, et rursus retrahente. Verum hic obiter animadvertendum putamus, hanc et alteram ad primum argumentum responsionem nos adhibuisse ut adversariis satisfieret, qui Theologorum systemata risu excipiunt, et ultro opiniones amplectuntur naturalium scientiarum cultorum. Ceterum in exponendis iis quae Moyses tradit Gen. cap. 1. nullimode ab opinione recedimus et interpretationibus suo loco propugnandis.

Resp. ad 3. Unde nam arguunt adversarii Moysem credidisse et nobis repraesentasse caelos tamquam solidos in quorum fornice veluti defixa sint astra, ego plane nescio. An forte quia caelum firmamentum appellat? Sed vel ignorant vel ignorare simulant hebraicam vocem רקיע, quam graecus vertit στερέωμα et *firmamentum* latinus Interpres, *solidi* notionem non prae se ferre. Significat tantum *expansionem*, *extensionem*. Et bene quidem hoc vocabulo atmosphaera globum nostrum circum ambiens designatur, cujus est potissimum et impedire supra telluris superficiem pressione sua ne aquae inferiores sursum ferantur et per evaporationem diffluant, et ne aquae superiores seu vapores in terram decidant. Nuncupatur autem firmamentum caelum, propterea quod in immensa ejus extensione tamquam in concavo spatio ac tabula verum caelum, id est universum astrorum systema describitur.

Resp. ad 4. Unum tantum diem Deum impendisse in eorum creatione quae supra terram sunt, quinque autem in hac formanda et instruenda, putidum figmentum est. Contrarium enim in sacro textu deprehenditur. Ibi legimus vers. 3. et 5. *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux ... Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem: factumque est vespere et mane dies unus.* Et vers. 6. 7. et 8. *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum ... Vocavitque Deus firmamentum caelum: et factum est vespere et mane dies secundus.* Ac vers. 14. 16. 19. *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento caeli ... Fecitque duo luminaria magna: luminare majus, ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti; et stellas ... Et factum est vespere et mane dies tertius.* Habes hic tres dies quorum intervallo dicitur Deum condidisse lucem, firmamentum, solem, lunam ac sidera. Et si adversariorum assertum concederemus, inde solum probaretur summa supremi Numinis erga homines clementia, quod ad eis praeparandum ornandumque habitaculum praecipuam adhibere curam ac plus temporis impendere ostendit: non quia longiore temporis mora indigus ipse sit, sed quia in suis operationibus *ad extra* liberrimus quod vult facit, consulto semper ac sapientissime.

Resp. ad 5. Cum geogoniam potissimum describendam sibi proposuerit Moyses, ac de caelo non nisi obiter loquatur, quatenus nempe systema caeleste cum telluris systemate conjungitur, facile intelligimus qua ratione ipse affirmet solem lunam ac sidera terrae commodis inservire. Sed ex eo quod hoc tradat, non certe consequitur unicam caelestium corporum

destinationem esse, ut terrae molis commoditatibus inserviant asserere. Quis autem inficias ibit reapse solem, lunam, et astra, nonnulla saltem, plurimum ad utilitatem nostram conferre? De sole nemini dubium esse potest. Quoad lunam vero non desunt magnae auctoritatis viri qui pro hac sententia pugnant, praesertim astronomi ac nautae. Eam agere in oceanum communis ferme opinio est. Et ab hujusmodi influxu valde probabiliter salubritas aeris dependet in litorum regionibus. Nihil dicam de lumine quod ad fugandas noctium tenebras emittit. Tandem populi adhuc rudes quibusnam mediis utuntur ad tempus commensurandum conficiendumque calendarium? Lunae phasibus, et siderum adspectu et observationibus. Et si ista non sufficiunt, nonne ex caelestium corporum contemplatione homo supra se elevatur, et ad Deum usque invisibilem creatorem suum assurgit? Quid hoc utilius, quid sanctius?

Resp. ad 6. Quod adjicitur de similitudine mosaice narrationis cum priscarum gentium mythis non aliunde provenit nisi a mythico rationalistarum ingenio. Et re quidem vera. Varro quem in parte saltem sequuntur rationalistae, mundi aetates dispescit in obscura, in mythica, in historica tempora. Apud antiquiores populos historia primum est obscurissima, dein mythica seu allegorica, tandem vera et certa. Profecto in Moysis genesi nihil occurrit incerti et obscuri quod praecedere deberet mythum. Omnia ibi sunt aperta et manifesta. Deinde prophanae gentium narrationes principium ducunt a polytheismo. E contra Moyses exorditur a Deo uno cujus nutu mundus e nihilo educitur. Quomodo ergo ex illorum fontibus suas de creatione rerum hausit ideas? Cur non potius a majoribus suis accepisse putandum est quam vel a Phoeniciis quibuscum nunquam est conversatus, vel ab Ægyptiis qui incredibilem antiquitatem ad multas annorum myriades sibi arrogabant, et quibus recentem mundi ortum ipse opponit, vel ab aliis ignotis populis in exaltata contradicentium phantasia existentibus? Nam licet inter Moysem et factum creationis anni effluxerint fere bis mille et quingenti, attamen non ex annorum, bene vero ex generationum numero aestimanda est eventuum proximitas. Hinc sponte fluit hebraeum scriptorem non magis ab origine mundi fuisse procul quam ex. gr. distamus nos a primordiis pontificatus Leonis X. Juxta hodiernam vitae durationem intra annos ducentos quinque generationes habentur. Non plures autem ab Adamo ad Moysem numerantur. Amram pater Moysis vixit diu cum avo suo Levi, et hic cum Isaac. Porro Isaac Sem filium Noe viderat; Noe Mathusalem; Mathusalem Adami comes fuerat atque conviva. Proinde cum ea sit hominum indoles ut paternas traditiones filios ac nepotes edoceant, potuit optime Moyses a majoribus suis creationis historiam rescire.

Resp. ad 7. Negamus omnino quod nullo fundamento supponitur. Moyses namque non duplicem cosmogoniae speciem exponit, sed quae in capite primo, ne intermitteret narrationis seriem praesertim circa hominis creationem contraxerat, latius prosequitur in capite secundo. Legenti utrumque caput id clare patet. Si penes antiquos populos ea invaluit opinio, ut nempe existimarent mundum hunc adspectabilem distincto ac longo inter-

vallo temporum fuisse conditum, quid ad nos? Quae conventio Moysis ad illos?

Obj. 5. contra eamdem 1. prop. I. Existunt in telluris visceribus tot vegetabilium reliquiae, quibus succedunt in variis stratis usque ad ejus superficiem reliquiae animalium juxta ordinem dispositae perfectionis crescentis corporum. Prius ergo successive in aperto erant, ut vel vegetare vel vivere possent. At cum naturae operationes lentissime fiant, ingens temporis spatium contra mosaicam chronologiam pertransire debuit ut diversa ista phaenomena evenirent. II. Id maxime ostendit inclinatio eclipticae seu orbitae, quam sol annuo suo cursu sive reali sive apparente percurrit. Tempore enim Arati angulos ejus cum aequatore, circulo nempe maximo aeque a polis distante ac proinde secante terram in duas aequales partes, erat viginti quatuor circiter graduum. Modo angulum, ut supra, viginti trium cum viginti octo fere minutis constituit. Porro ex diversa hac eclipticae seu axis telluris inclinatione, colligere licet eclipticam, sive rectius terrae axem, fuisse olim aut verticalem ant parallelum aequatori, seu potius coincidentem cum aequatore ipso, ac paulatim ad eam inclinationem pervenisse quae habebatur Arati aetate, ac postmodum ad eam quae nunc exstat. Ut autem hujusmodi variationes contingant, annorum myriades requiruntur. III. Contradicunt mosaicae chronologiae, eamque funditus evertunt nuper detecti zodiaci in templis Tentyrae atque Latopolis, quos ferme ante duodecim annorum millia fuisse insculptos luculenter apparet, dummodo ad regulas attendatur praecessionis aequinoctiorum, cujus nomine venit motus pene insensibilis fixarum stellarum ex oriente in occidentem, et cujus circulus absolvitur spatio 25960. annorum. IV. Chaldaei regnante Alexandro magno astronomicas habebant observationes, ut refert Diodorus Siculus, quadringentorum septuaginta duorum annorum millium. Ægyptii, teste Herodoto, a primo rege Vulcano usque ad Setom sexcentos septuaginta unum illius regni moderatores numerabant, quorum imperii duratio tanta fuerat ut bis sol ortus esset in occidente, et bis invicem ad orientem occidisset. Sinensium denique annales ad sexdecies et ultra annorum millia existentiae mundi epocham protrahunt. Quid de hac senserint Indi patet ex Ezaour-Vedae codice omnium antiquissimo et auctoritate probatissimo.

Resp. ad 1. Non est cur tantopere immoremur in propositis difficultatibus enodandis. Post satis superque demonstratam divinam sacrorum librorum inspirationem, quidquid in contrarium afferri potest vanus erit humanae superbiae conatus. Brevissime igitur objectis satisfacimus. Ad componendas geologorum observationes cum mosaicae cosmogoniae et chronologiae veritate quidam affirmant geologica phaenomena effectus non esse actionis successivae causarum naturalium, sed ab immediata ac simultanea Dei virtute promanare. Terra in istorum sententia tota simul cum suis omnibus interioribus et exterioribus accidentibus creata est. Alii asserta phaenomena repetunt vel a noetico cataclysmo, vel ab aquis maris terras minus elevatas quae modo habitantur, usque ad diluvii tempus cooperientibus. Ceterum omnia pene obsoleverunt geologica illa systemata quae

Moysis narrationi adversari videbantur. Immo doctissimi physici ac geologi, inter quos Walerius, De Luc, Hermenegildus Pini, Kirwan, Buckeland, aliique contendunt mosaicam cosmogoniam optime convenire cum observationibus ab eis institutis, ac propterea veluti somniatores traducunt quotquot creationis historiam falsitatis arguere ausi fuerant, aut ex interna telluris constructione aut ex varia ejusdem superficie.

Resp. ad 2. Recepta est apud omnes recentiores doctrina Eulerii, Frisii, La-Place circa eclipticae motum. Hi enim ex theoria universalis gravitationis demonstrarunt ejusmodi motum non esse progressivum sed oscillatorium, et quidem intra angustum unius gradus spatium. Ruit proinde incredulorum argumentum; eo vel maxime quod nullam supponant mendam in Arati observationibus, quas tamen constat fuisse imperfectissimas: tum quia scientia astronomica recenter nata erat in Alexandriae schola, tum etiam quia Hipparcus in suis libris Aratum passim erroris reprehendit. Nec mirum eum errasse, cum erraverint quoque ipse Hipparcus et Ptolomaeus ob defectum praesertim instrumentorum.

Resp. ad 3. Si architecturam consideremus et sculpta et picta signa templorum Tentyrae ac Latopolis, facile dignoscitur temporibus non valde remotis fuisse ea constructa. Uterque proinde zodiacus ad eamdem epocham referri debet. Sed Champollion extra dubitationis aleam rem posuit. Legit namque zodiaci Tentyrae ac Latopolis notas, et scripto vulgavit illum ad epocham posteriorem aetate Tiberii, Claudii, Neronis, ac Domitiani pertinere, istum vero ad Antonini Pii tempora. Champollion consentit Letronne qui per graecarum inscriptionum interpretationem sententiam illius celeberrimi archeologi confirmavit.

Resp. ad 4. Diodoro Siculo opponimus ex vetustis scriptoribus Callisthenem, ex recentioribus La-Place. Primus diligenter inspectis rogatu Aristotelis Chaldaeorum astronomicis observationibus, eas asseruit non excedere annos mille nonaginta tres; alter in expositione mundi systematis lib. 5. cap. 1. ostendit eos octingentis tantum annis aeram christianam praecedere. Nec antiquior certe est Ægyptiorum astronomia. Quae de fabuloso ortu et occasu solis ipsi narrant, probant evidentissime quanti facienda sit eorum scientia. Numerosae autem regum dynastiae quas jactant, si verae sunt, non fuerunt unius et ejusdem regni, sed series quaedam regulorum qui eodem tempore variis Ægypti regionibus imperarunt. De abbate de Prades, qui chronologiam Moysis cum illa Sinensium carpebat difformem, quidam ejus censor ajebat: *De Prades Sinensium historiam nec vidit, nec legit, vel non intellexit. Quis potest continere risum, cum videat criticum tam emunctae naris historiam sacram tam ineluctabilibus solidatam monumentis superbo contemnere oculo, illam vero quae ex postremis orientis angulis proserpere dicitur, et cujus character et idioma prorsus sunt ei incognita, laudare, et seu infallibile oraculum declarare? Legat novus criticus virorum scripta qui Sinensium annales pervolverunt, scilicet La Hire, Wiston, Freret, Casini, qui in annalibus sinensibus turpissimos etiam circa commune eclipsium phaenomena*

deprehenderunt errores, *et omnem eorum antiquitatem in eo consistere observarunt*, *quia aliquos confecerunt cyclos seu periodos astronomicas*, *quae planetarum et constellationum conjunctionem repraesentant*. His ego addendum puto, quod laudatus Freret in suis quas Academiae parisiensi obtulit tabulis atque memoriis, clare demonstraverit regna Faho et Chuna, qui sinensis monarchiae fundatores existimantur, non ante annum 1991. ante aeram christianam desiisse, proindeque eorumdem initium neque diluvii, minus autem creationis tempus vel a longe attingere posse. Id pariter dictum intellige de Indorum antiquitatibus. Anglorum societas Calcutii quae tam feliciter pluribus ab hinc annis in investigandis gentis illius memoriis sedulam navat operam, declarat antiquitates indianas non assurgere ultra Sinensium atque Ægyptiorum monumenta, et Ezaour-Vedae codicem librum esse spurium, conscriptum anno 1621. lingua samscritica a P. Roberto de Nobilibus societatis Jesu, ut facilius Indos inclinaret ad Religionem christianam amplectendam. Denique fas mihi sit quamdam suspicionis meae ideam proferre. Notum est apud physicarum rerum peritos, maxime editores ephemeridum, quod sicut cyelorum ope astronomicae observationes seu planetarum et constellationum conjunctionum phaenomena in plura annorum millia praevio calculo extendi possunt, ita etiam calculo retrogrado in myriades annorum ante diluvii et creationis tempora computari queant. Quid impedit quominus existimemus veterum populorum sapientes, ut propriae nationis originem plus aequo extollerent, jactatas ab incredulis astronomicarum observationum tabulas effinxisse? At de Chaldaeorum, Ægyptiorum, atque Sinensium antiquitate sermo redibit libro 21. harum Institutionum.

Obj. 6. contra eamdem 1. prop. Alia item falsa in sacris Scripturis narrantur. I. Sic in eodem libro Genesis dicitur ex uno homine Adam per universam terram propagatum esse humanum genus. Jam vero saeculo XV. magna refertam hominum multitudine Europaei invenerunt utramque Americam, in quam a nostris regionibus commeare nemo potuisset utpote longo maris intervallo sejunctam. II. Varius etiam hominum color non omnes ab uno ortos esse ostendit. Neque enim a Lacedaemone nascitur Æthiops, aut ab Ibero Indus. III. Et si revera omnes ab uno suam trahant originem, explicari nequit quomodo tam angusto temporis spatio, quale ab Adam seu potius a Noe ad nos usque supponitur, adeo multiplicati fuerint homines, ut totum terrarum orbem occupaverint. IV. Insuper fabulosa videtur historia diluvii, tum quia non potuit tanta esse aquarum copia ut quindecim cubitis superarent praecelsos montes, tum quia impossibile est in arca tenuisse locum, praeter noeticam familiam, singulas animalium species cibosque ipsis per annum necessarios.

Resp. ad 1. America vel adhaeret, vel potuit nostrae telluri adhaerere olim versus septentrionalem plagam, indeque postmodum aut terrae motibus aut aliis ignotis vicissitudinibus separari. Sunt non pauci qui in praegrandi illa insula athlantica, quam Lydia et Asia majorem memo-

rat Plato in Timaeo, quamque Proclus suo tempore extra Herculis columnas positam fuisse asseruit, non aliam terrae partem quam Americam prospiciunt. Nota proinde antiquitus erat, ideoque inter illam et Asiam commercium habebatur. Sed quidquid de hac opinione sit, compertum modo exploratumque est apud doctos viros (idque jam probavit clarissimus Humboldt,) populos origine asiaticos Mexicum habitare. Smimbert, Cazeaux, Genest, et alii plures admirabilem notarunt similitudinem inter Tartaros seu Scytas et indigenas americanos. Hinc factum est ut Samuel Mitchel historiae naturalis professor in florentissima civitate quae vulgo *Nova Yorch* appellatur, cathedram conscendens solemniter denegaverit americanam gentem progeniem esse sui generis, et nullo modo ex Asiae septentrionalis et meridionalis familiis oriundam. Hae autem familiae potuerunt illuc pervenire aut navigatione ex proposito instituta, aut naufragio et tempestate actae, sicut Lusitani in Brasiliam ventorum vi saeculo XV. dejecti sunt.

Resp. ad 2. Diversus hominum color non ab intrinseca eorum constitutione, sed a variis causis plane extrinsecis derivat; vel nempe a ciborum et potus qualitatibus, vel a majore aut minore calore solis qui diversus pro diversitate climatum est, vel ab affectionibus et modificationibus aeris, vel denique a vaporibus et terrae exhalationibus. Quae omnia tam separatim spectata quam conjunctim, mirifice agere possunt et in colorem simul, et in externas alias humani corporis habitudines. Lusitani pluribus ab hinc annis incolentes Africam ab loci indigenis non distinguuntur. Recte proinde ajebat Camper unumquemque hominum ita esse comparatum ut niger fieri queat.

Resp. ad 3. Contrarium demonstravit Eulerus. In hypothesi namque admodum probabili quod a diluvii epocha per decimam sextam partem fuissent homines multiplicati, sola quadringentorum annorum periodo eorum numerus collective sumptus ingentem summam centum sexaginta sex mille, sexcentum sex decies centena millium supergredi debuisset. Huic autem continendae multitudini totus vix orbis terrae sufficeret, ac multo minus ad eam alendam cibum potumque suppeditare posset. Calculus Euleri analogiae facto comprobatur. Ducentos enim quindecim annos in Ægypto permansit Jacob patriarchae familia. Nihilominus ita propagata est, ut illinc duce Moyse exeuntes Israelitae, praeter mulieres, senes, pueros, Levitas sacro addictos ministerio, plus quam mille sexcenti inventi fuerint ad tractanda arma idonei.

Resp. ad 4. Diluvii traditio apud omnes gentes semper invaluit; apud Chaldaeos, Indos, Ægyptios, Persas, Thibetanos, Scytas, Sinenses, et ejusdem Americae populos. Apollodorus lib. 1. Pindarus ode 9. Olymp. Lucianus de Dea syra, Plato de legibus lib. 3. diluvium commemorant. Belzoni, uti refert Depping, anno 1820. prope Thebas sepulcrum invenit, et in eo sarcophagum anaglypticum octo viros sub naviculae forma exhibentem, ac alios tumescentibus aquis circumfusos et jam jam morituros. Numismata in honorem cusa Severi Pertinacis et Philippi Arabi, ar-

cam repraesentabant duasque aves, quarum una unguibus tenebat ramusculum olivae. In latere autem arcae legebatur *Noe*. Vide P. Kircher de arca Noe. Tot tantisque permotus historiae et archeologiae monumentis incredulus Boulanger, affirmare coactus est diluvia Samothraciae, Bacotiae, Acheloi, Ogigis, et, Deucalionis unum tantum constituere, noeticum nempe. Non ergo diluvium fabulam redolet, sed evidentissimam veritatem praefert, quippe quod constante et universali omnium populorum voce praedicatur. Nec impossibile est tantam fuisse aquarum copiam, ut altiores montes ad quindecim cubitos superaverint. Partim enim e caelo deciderunt, partim prosiliere e visceribus terrae. *Rupti sunt*, ait Moyses, *fontes abyssi magnae, et cataractae caeli apertae sunt*. Profecto nemo unquam mensus est aquas quae in cavernis terrae continentur, cujus profunditas, habita ratione ad ejus diametrum 9000. leucas exaequantem, longissime supergreditur maximam montium altitudinem quae vix elevatur ad 24000. pedes. Nemo pariter supputavit aquarum quantitatem quae quadraginta dierum spatio et quadraginta noctium e caelo dilapsae sunt. Praeterea in primo mundi exordio, uti constat ex cap. 1. Geneseos, aqua totam operiebat terram. Potuit idcirco eamdem tegere tempore diluvii; ni forte velis cum nonnullis asserere id miraculo contigisse, per novam scilicet aquarum productionem ex nihilo, earumque dein successivam destructionem. Quod certe Deum facere potuisse quis denegare audebit? Nihil etiam conficiunt adversarii ad impugnandam historiam diluvii, opponentes arcae parvitatem: quae in eorum sententia, continere non potuisset Noe familiam una simul cum singulis animalium speciebus et alimentis necessariis. Joannes Buteo, Pelletier, Calmet, aliique, perspectis arcae dimensionibus a Moyse descriptis, inito calculo ad evidentiam demonstrarunt in ea longe majorem fuisse locum quam qui sat esset; cum praesertim pauciores tunc haberentur animalium species ex quibus aliae deinceps a primis degeneres ortae sunt. Super hac re luculentissimum afferre sufficiat testimonium Thevenard viri procul dubio apud incredulos non suspectae fidei. In opere cui titulus „ Mèmoires relatifs à la marine „ ita loquitur: *Hic non agitur de diluvii universalis et arcae existentiae veritate juxta Scripturas sacras et vulgares traditiones. Sed si reapse contigit cataclysmus, et arca constructa est iis dimensionibus, quae cap. 6. Geneseos exponuntur, modo instituta supputatio probat manifeste contra Porphyrium, Apellem, et recentiorem quemdam scepticum, noeticam navem tertia saltem parte ampliorem exstitisse, quam esset opus ut in ea commode concluderentur familia Noe, animantia bruta, et cibaria*.

Obj. 7. contra eamd. 1. prop. Falsa quoque in N. Testamenti libris occurrunt. Sic ex. gr. I. Matthaeus cap. 1. ait Joram genuisse Oziam, cum tamen constet ex libris Regum inter Joram et Oziam tres interfuisse reges; siquidem Joram genuit Ochoziam, Ochozias Joam, Joas Amasiam, Amasias Oziam. II. Idem Matthaeus ibidem Jechoniam dicit filium Josiae contra quod legitur libro 4. Regum, ubi Josiam genuisse Eliacim

compertum est, Eliacim autem Joakim, seu Jechoniam. III. Si Matthaeo credimus, Jechonias genuit Salathiel, Salathiel Zorobabel, Zorobabel Abiud. At vero Lucas ait cap. 3. Neri genuisse Salathiel, Salathiel Zorobabel, Zorobabel Resa. IV. In describenda Christi genealogia Matthaeus cap. 1. inquit Joseph virum Mariae filium fuisse Jacob, quem deducit a David per Salomonem generationibus viginti septem; e contra Lucas cap. 2. filium fuisse affirmat Heli quem a David per Nathan generationibus duabus supra quadraginta deducit. V. Matthaeus cap. 8. narrat daemones Christi virtute ab homine expulsos in porcorum gregem intrasse, qui se dederunt in mare praecipites. Ast Judaeis suillam carnem manducare prohibebatur, ideoque et porcos alere. Proinde Evangelistae hujus narratio falsitatis indicium praefert, eo vel maxime quod in regione Gerasenorum id contigisse scribat, dum interim Lucas ait evenisse apud Gadarenos. VI. Rursus Matth. cap. 23. haec leguntur Christi verba: *Ut veniat super eos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae*. Porro scimus ex libro 2. Paralip. cap. 24. Zachariam filium fuisse Jojadae, non Barachiae. VII. Tandem Evangelistae in exponenda Christi resurrectione sibi invicem contradicunt. Matthaeus enim inquit mulieres venisse ad monumentum *vespere sabbati*, Marcus *valde mane*, *orto jam sole*, Lucas *valde diluculo*, Johannes *cum adhuc tenebrae essent*. Matthaeus ait mulieres ab Angelo audivisse: *Nolite timere, scio enim quod Jesum quaeritis: surrexit, non est hic*, idque eos Apostolis nunciasse. Lucas Angelos ait fuisse duos. Contra vero Johannes scribit mulieres Christi corpore non invento regressas dixisse Apostolis: *Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus, ubi posuerunt eum*.

Resp. ad 1. Cum Matthaeus tribus tessaradecadibus, sive ter quatuordecim generationibus totam Christi genealogiam proposuisset sibi comprehendere, a Davide usque ad transmigrationem Babylonis omittere necessario debuit tres reges, Ochoziam nempe, Joam, et Amasiam. Si enim eos quoque numerasset, in hac secunda tessaradecade non quatuordecim, sed septemdecim fuissent generationes. Ita Hilarius, Hieronymus, aliique plures. Ast rectius, ni fallor, quidam existimant cum Arnaldo ideo reges istos excludi a Christi genealogia, quod nati essent ex semine Achab. Nam Joram ex filia Achab Ochoziam, Ochozias deinde Joam, Joas Amasiam, Amasias vero Oziam genuit. Itaque non propter sua nec propter patrum suorum, sed propter Achab peccata ex catalogo parentum Christi deleti sunt. Comminatus namque fuerat Deus Achab per prophetam Eliam se omnem ejus posteritatem penitus deleturum lib. 3. Reg. cap. 21; quod usque ad quartam generationem intelligendum erat, quae in Amasia terminata est: siquidem uxor Joram filia Achab prima erat generatio, Ochozias secunda, Joas tertia, Amasias quarta; quemadmodum e contrario Jehu licet malo etiam regi, quia tamen jussu Domini Achab posteritatem deleverat, Deus posteritatem promisit quae ad quartam usque generationem pro ea regnaret, uti constat ex lib. 4. Reg. cap. 10. Hinc patet ma-

nifeste Ochoziam, Joam, Amasiam ab Evangelista non recenseri propterea quod, etsi vixerint atque regnaverint, nihilominus capite minuti erant, divina sententia damnati, et quodam modo civiliter mortui. Dicitur autem Ozias filius Joram eo ferme pacto quo Christus filius Abrahae et David appellatur, et omnes homines nuncupantur Adam filii, lato nempe sensu et vulgari, non vero proprie ac physice.

Resp. ad 2. Nonnulli putant Matthaeum hic, sicut supra in Ozia, unam omisisse generationem, neque de re omnibus notissima fuisse sollicitum. Arbitrautur alii hunc Evangelii locum vitio amanuensium esse corruptum, atque ita legendum: *Josias autem genuit Joakim et fratres ejus; Joakim autem genuit Jechoniam in transmigratione Babylonis*. Consule variantes lectiones apud Millium et Montfauconium lib. 1. Diarii italici. Alii denique existimant cum Augustino lib. 2. de Cons. Evang. Joakim, Eliacim, Jechoniam penes promiscue usurpari. Bene proinde Matthaeus ait Josiam genuisse Jechoniam; quo nomine et patrem Joakim et filium Jechoniam designavit, ne diceret: *Josias genuit Jechoniam, Jechonias genuit Jechoniam*. Sive ergo Jechonias pro patre Joakim et filio Jechonia intelligatur, sive Joakim mendose praetermissus fuerit amanuensium culpa, sive etiam hoc in loco una generatio desit, dubitari non licet de Evangelii veritate.

Resp. ad 3. Certe non constat Salathiel et Zorobabel, quorum mentionem facit Lucas, eosdem plane esse de quibus Matthaeus loquitur, et non alios ejusdem nominis. Apud veteres enim tum sacros tum prophanos scriptores plures iisdem nominibus praesertim in cognatis familiis appellari consueverunt. Et si revera Salathiel et Zorobabel quos Lucas commemorat, ii ipsi essent quos recenset Matthaeus, non inde fieret unum Evangelistam alteri contradicere; quippe quod Salathiel et Jechoniae et Neri filius dici potuit, vel propter legem qua jubebatur ut frater uxorem duceret viduam fratris sine liberis mortui, vel quia juxta Maldonatum Jechonias uxorem habuit filiam Neri, Zorobabel autem utrumque gignere potuit Abiud et Resa.

Resp. ad 4. Missis super hac celebri ac pervetusta nobis opposita difficultate aliorum sententiis quae legi possunt apud interpretes, duplicem habeto responsionem. Primam tradidit Augustinus qui lib. 2. de Cons. Evang. cap. 2. et lib. 2. Quaest. Evang. q. 5. docet Josepho duos fuisse patres, unum natura, id est Jacob, adoptione alterum, nempe Heli. Quod filii etiam adoptione dicantur, ipse demonstrat ex verbis Jacob patriarchae ad Joseph Gen. cap. 48. *Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim et Manasse sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi*. Hanc magni Doctoris opinionem satis probabilem ostendunt quae hic adjicio rationum momenta. 1. In tota majorum serie Matthaeus verbo utitur *genuit*, quod Lucas praetermittit: idcirco innuit ille Jacob patrem fuisse Joseph naturalem, iste adoptivum, etsi Lucas quoque ut plurimum loquatur de veris ac proprie dictis generationibus. 2. Matthaeo in gratiam Hebraeorum seri-

bendi Evangelium maxime intererat significare quomodo Christus ex Abrahamo et Davide quibus fuerat promissus, prognatus revera sit; ac ideo ex Abrahamo consulto texit genealogiam: e contra Lucas suum Evangelium scribens pro gentibus in Christi hereditatem adoptandis, etiam patres adoptivos commemorat, et genealogiam perducit usque ad Adam qui fuit Dei, ut inde probet pro omnibus hominibus Redemptorem in mundum venisse. 3. Ob eamdem forte causam Matthaeus Christi generationem initio Evangelii, ac de partu Virginis sermonem instituturus narravit; Lucas vero ejusmodi narrationem distulit ad Christi manifestationem atque baptisma, quamdam veluti parasceven Ecclesiae ex gentibus congregandae. Responsio altera auctoritati innitur Julii Africani, qui in epistola ad Aristidem tradit Josephum Jacob simul et Heli filium fuisse; Jacob naturalem, legalem Heli. Cum enim iste sine liberis defunctus esset, frater ejus uterinus Jacob juxta mosaicae legis praeceptum Deut. cap. 25. ejus viduam duxit uxorem, ex qua Joseph suscepit. Qui propterea nunc illius qui vere eum genuit, nunc alterius ex cujus uxore genitus est, filius appellatur. Haec interpretatio ab ipsis, ut ait idem Africanus, Christi cognatis accepta, summo consensu probata est a Justino Quaest. 66. ad Orthodoxos, Eusebio lib. 1. Hist. Eccl. cap. 7. Hieronymo Comment. in hunc locum, Ambrosio lib. 3. in Lucam, Eucherio Quaest. 3. in Matthaeum, Damasceno lib. 4. de Fide, Beda Comment. in Lucam, Theophylacto in eumdem Lucam, et ab Augustino etiam lib. 2. Retract. Mirum autem videri non debet plures generationes Lucam quam Matthaeum recensere; tum quia plures in una familia eodem tempore esse possunt generationes quam in alia, tum quia, ut supra animadvertimus in responsione ad 1. nonnullas Matthaeus consulto praetermisit.

Resp. ad 5. Novimus ex Josepho lib. 2. de Bello judaico Gerasenos et Gadarenos haudquaquam judaeos fuisse, licet inter ipsos multi Judaeorum haberentur. Aperta proinde lex quae istis prohibebat quominus suillam carnem manducarent, evangelicam narrationem nullo modo labefactat. Et si eos quoque judaeos diceremus, quid inde? Nefas erat judaicae genti suillis carnibus vesci, porcos tamen alere quos vicinarum regionum incolis venderet, licebat. Praeterea, quamvis id lege quadam Hircani et Aristobuli tempore vetitum scribat Casaubonus, utrum lex illa vigeret adhuc vivente Christo ignoramus. Nec majoris est roboris quod addunt adversarii de Gerasenis et Gadarenis. Finitimae enim civitates erant Gadara et Gerasa, ambae in Decapoli. Et quia in hac provincia Gadara Gerasae praeeminebat, poterat in ditione sua Gerasam complecti, ita ut regio Gerasenorum esset etiam ager Gadarenorum. Vide Calmetum. Non ergo Matthaeus Lucae opponitur cum inquit daemones Christi virtute in regione Gerasenorum expulsos esse, Luca e contra narrante id contigisse apud Gadarenos.

Resp. ad 6. Quae de patre Zachariae in templo occisi struunt dubia adversarii nostri facile diluuntur. Etenim primo non satis constat Jesum Christum revera hunc Zachariam Barachiae appellasse filium. Testatur siquidem Hieronymus, in Evangelio hebraico quo utebantur Nazaraei, non

Barachiae, sed Jojadae filium eum vocari. Deinde dici etiam potest patrem Zachariae Jojadam simul et Barachiam fuisse appellatum, cum utrumque nomen in hebraica lingua idem prorsus significet, *benedictionem* nempe Dei ac *laudem*. Nec quidquam novi est in idiotismis hebraicis unam eamdemque personam plura ejusdem significationis nomina habere. Numquid, ait ad rem nostram Seldenus, filius Josiae regis Juda, et Eliachim et Joachim non compellabatur? Nonne sub rege Manasse idem Summus Sacerdos et Heli et Helcias et Joachim et Eliachim vocabatur? Tandem valde probabiliter existimamus ab uno alterove amanuensi, cum haec duo nomina, ut mox innuimus, id ipsum significarent, unum prae altero scriptum fuisse.

Resp. ad 7. Si bene perpendantur quae Evangelistae affirmant de tempore quo mulieres ad sepulcrum venere, de Angelorum visu, deque aliis circumstantiis in objectione notatis, nihil dissensionis inter eos esse apparet manifestissime. Nam mulieres *vespere Sabbati quae lucescit in prima Sabbati*, ut ait Matthaeus, et *cum adhuc tenebrae essent*, ut Johannes inquit, et *valde diluculo*, ut Lucas scribit, domo egressae, ad monumentum pervenerunt orto jam sole, uti narrat Marcus. Nam licet non magno ab Hierusalem distaret intervallo, mulieribus tamen satis magnum erat spatium, ut nondum discussis noctis tenebris domo exeuntes, non nisi sole jam orto, aut quemadmodum legunt Augustinus et Theophylactus, jam jam oriente ad illud pervenerint. Cumque revolutum invenissent lapidem sepulcri, et Christi corpus inibi non reperissent, cucurrit cito Maria Magdalena ad Apostolos dicens, *tulerunt Dominum, et nescimus ubi posuerunt eum*; necdum enim Angelos viderat. Interea aliae duae mulieres prope monumentum manentes Angelos conspexere, qui eas de resurrectione Jesu admonuerunt: quod illae statim nuntiarunt Apostolis. Dein reversa Magdalena id nesciens et plorans, Angelum ipsumque Jesum videre meruit. Quaenam quaeso hic dissensio et contradictio est?

Obj. 2. cum Grotio ac Spinoza contra alteram prop. Prophetae quoniam Deo inspirante scripserunt, hanc crebro adhibent phrasim, *Haec dicit Dominus*; *Dominus locutus est etc.* Scriptores N. Testamenti, historiarum praesertim rerumque moralium quae in utroque Testamento continentur, ea phrasi non utuntur; proindeque humano spiritu scripserunt. II. Id ingenue fatentur ipsi N. Testamenti Scriptores. Nam S. Johan. in Ep. 1. cap. 1. testatur se scribere quae oculis vidit, auribus audivit, ac manibus attrectavit. Et Lucas cap. 1. Evangelii affirmat se scribere Evangelium quod audivit, et traditione accepit ab Apostolis. Ita Grotius. III. Spinoza autem addit sequentia; 1. Deus jussit Prophetis ut propria vaticinia literis traderent, nullibi autem legimus Christum jussisse Apostolis ut Evangelium scriberent. 2. Prophetiae auctoritas ratiocinium non patitur; Apostoli autem ubique ratiocinantur: ita ut non prophetare, sed disputare videantur.

Resp. ad 1. Ex illa loquendi forma, *Haec dicit Dominus; Dominus locutus est etc.* nihil contra catholicam sententiam confici potest. Primo ideo illam usurpant phrasim Prophetae, quoniam rerum futurarum vatici-

nia ad quae non divinus tantum afflatus, sed revelatio quoque necessaria est, saepe saepius fundebant. E contra vero rerum historicarum exhortationumque moralium Scriptores et Apostoli, non vaticinia semper, sed quae audierant ac viderant populis annuntiabant: ad quae disserenda quum divinus dumtaxat afflatus non revelatio requireretur, nil mirum si initio non ajunt ut Prophetae, *Haec dicit Dominus etc.* Deinde, quamvis haec praecisa loquutio, *Haec dicit Dominus etc.* in Apostolorum historicorumque scriptis non reperiatur, nonnulla tamen ibi leguntur huic aequivalentia loquutioni. Nonne Christus Johan. cap. 16. Spiritum veritatis promisit Apostolis dicens, *Cum venerit ille Spiritus etc.?* Nonne in Act. Apost. cap. 4. legitur, *Tunc repletus Spiritu sancto Petrus dixit ad eos?* Si inter loquendum Spiritus sanctus praesens erat Apostolis, cur non et inter scribendum, quum ea postea scriberent quae praedicaverant oretenus? Denique libri V. Testamenti historicas comprehendentes narrationes, ea phrasi a Grotio atque Spinoza requisita usi certe non sunt. Et nihilominus Fl. Josephus lib. 1. cont. Appion. ut reliqui Judaei hujusmodi libros appellant semper propheticos, non alia sane de caussa nisi quia Deo inspirante scriptos esse credebant. Unde laudata loquutio non semper necessaria est ad divinam agnoscendam inspirationem.

Ad 2. Johannes et Lucas cum ad humanum recurrunt testimonium, Spiritus sancti non excludunt inspirationem. Ideo autem ad testimonium humanum lectorem aliquando remittunt, non ut divinum excludant afflatum, sed ut penes Ethnicos fidem sibi facilius concilient. Gentiles enim Apostolis affirmantibus se scribere et loqui Deo inspirante, non credidissent. Scientes e contra se ut probos viros ab illis haberi, provocabant ad testimonium humanum, ut illos ad christianam Religionem facilius perducerent. Verum non semper eam loquendi formam assumebant. Nam Paulus ad Gal. cap. 1. *Notum*, inquit, *vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud ... sed per revelationem Jesu Christi.*

Ad 3. Nullibi sane legimus Deum vel Christum expresse jussisse Apostolis ut Epistolas vel Evangelia conscriberent; legimus tamen praeceptum illud datum implicite. Nam ex Matth. cap. 28. aliisque N. Testamenti locis apparet Christum praecepisse discipulis ut Evangelium universae annuntiarent creaturae: *Euntes docete omnes gentes*. Ast vero N. Testamenti scripta quid aliud sunt quam conciones ab Apostolis coram populis habitae? Nam etiam rerum a Christo gestarum narrationes ad conciones pertinent, ut ex Apostolorum Actibus et Epistolis liquet. Praeterea, quamvis nullo modo de illo praecepto constaret, verum nihilominus esset N. Testamentum fuisse Deo inspirante literis consignatum. Christus siquidem specialem Spiritus sancti praesentiam in iis quae ad novam spectant legem, spopondit Apostolis; ut testimonia superius allata satis superque demonstrant. Sive ergo loquerentur sive scriberent, ubi de rebus Religionis tractabant, Spiritum sanctum speciali modo praesentem habebant. Quod secundo loco addit Spinoza de nihilo est; is enim enthusiasmum cum pro-

phetia malitiose confundit. Nam optime stare potest cum prophetia ratiocinatio. Moyses quippe, quem magnum Prophetam appellat semper Spinoza, in Pentateucho etiam in iis quae ad historiam exhortationesque non spectant morales, non raro ratiocinatur. Insuper si ratiocinatio etiam cum iis quae Prophetae Deo revelante scripserunt potest componi, quanto magis consistere poterit cum iis quae N. Testamenti Scriptores literis tradiderunt Deo tantum afflante? Praeclarum afferam hujus rei exemplum. Orta Antiochiae celebri de legalibus controversia, Concilium convocatum est Hierosolymis, ut in Actibus legitur Apostolorum cap. 15. ubi dicitur: *Cum magna conquisitio fieret*. En ratiocinatio. Et tamen unanimi concludunt consensione: *Visum est Spiritui sancto, et nobis*. En divina inspiratio ratiocinationi conjuncta.

Obj. 3. cont. eamd. thesim. Paulus in I. ad Cor. cap. 7. loquitur secundum suam sententiam: *Ceteris ego dico, non Dominus*; quum paullo ante scripserit secundum Dominum se loquutum fuisse. II. Neque alio sensu ea Apostoli verba acceperunt Ecclesiae Patres. Nam Origenes Hom. 16. in Num. explicans illa verba, *Quod si in nomine Domini Propheta quidquam praedixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus*, docet plura in Scripturis legi quae humano scripta sunt spiritu; ad quod demonstrandum multa profert Scripturae testimonia, et inter alia citatam Apostoli sententiam, *Ceteris ego dico, non Dominus*: qua recitata, ita concludit: *Unde similiter etiam in ceteris Prophetis, aliqua quidem Dominus locutus est, et non Prophetae; alia vero Prophetae et non Dominus*. Pauca his habet Basilius lib. 5. cont. Eunom. cap. ult. et Ambrosius lib. 8. in Luc. cap. 60. Non pauca itaque sunt in utroque Testamento humano tantum spiritu exarata, quibus leve subesse potest mendacium.

Resp. ad 1. Ideo inquit Apostolus se loqui secundum propriam sententiam et aliqua se non Dominum dicere, ut consilia et praecepta quae ad recte nascentem formandam Ecclesiam ipse instituebat, a praeceptis et consiliis a Christo Domino traditis accurate distingueret. Et revera agit ea in epistola primo de indissolubilitate matrimonii, et recte inquit: *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere*; subinde vero docet melius esse servare virginitatem; et tunc subdit: *Ceteris ego dico, non Dominus*. Verum suam ipsam sententiam existimabat dubio procul Apostolus sententiam Domini, quum illico subjiciat: *Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam*.

Ad 2. Plura sunt in Scripturis, juxta laudatos in argumento Patres, quae non est loquutus Dominus per revelationem, bene vero per afflatum, ut paullo ante diximus. Nisi haec fuerit illorum Patrum sententia, dicendum esset parum sibi constare; quod illorum repugnat dignitati. Origenes enim lib. 4. Peri-Archon de sacrorum codicum quoad singulas partes inspiratione fuse pertractat, et capiti primo laudati libri hunc praefixit titulum, *Quod Scripturae divinitus inspiratae sunt*. Basilius autem Hom. 10. in Hexam. intolerandam prorsus et gravem vocat blasphemiam, si quis

vel verbum in Scriptura asserat inveniri otiosum. Et Proem. in Psal. initio: *Omnis Scriptura*, inquit, *divinitus inspirata*, *ac utilis*, *propterea a Spiritu sancto conscripta est*, *ut etc.* Ambrosius denique Ep. 67. quae est ad Justum, scribit: *Negant plerique nostros secundum artem scripsisse*, *nec nos obnitimur; non enim secundum artem scripserunt*, *sed secundum gratiam*, *quae super omnem artem est*; *scripserunt enim quae Spiritus his loqui dabat*. Ex his liquet sacram Scripturam, per laudatos Patres, quoad singulas ejus particulas divinitus esse inspiratam: atque adeo dum asserunt nonnulla loquutos fuisse homines non Deum, idem est ac si dicerent non omnia esse a Deo revelata, sed plura scripta esse Deo dumtaxat afflante.

Quoad Origenem spectat, nonnulli apud Canum lib. 2. de Locis cap. 18. tradunt non asserendo, sed disputando potius affirmasse aliqua in Scripturis inveniri quae non Dominus loquutus sit, sed Propheta. Quae solutio Origenis scribendi methodo valde conformis est; solet enim in suis Commentariis aliorum saepe referre sententias, nec refutare, sed neque approbare: in quo imitatorem habuit Hieronymum in lib. de QQ. hebraicis, ut ipsemet fatetur in Apol. adv. Rufinum.

Obj. 4. cum Jo. Clerico cont. eamd. prop. Evangelica illa sententia, *Non enim vos estis qui loquimini etc.* quae ad probandam sacrorum inspirationem voluminum quoad singulas partes assumi solet, demonstrat dumtaxat Christum specialem Spiritus sancti praesentiam Apostolis spopondisse quando Fidem coram tyrannis confiteri debebant, non quotiescumque scribere debebant vel docere; ita enim Christus alloquitur Apostolos: *Cum steteritis ante reges*, *et praesides*, *nolite cogitare*, *quomodo*, *aut quid loquamini*; *dabitur enim vobis etc.* II. Et merito quidem. Nam Deus sicut non deficit in necessariis, ut habet vulgare proloquium, ita non redundat in superfluis. Ad ea autem referenda quae sacri Scriptores viderant vel audiverant, numquid necessaria erat divina inspiratio? III. Hinc facto constat hagiographos Auctores alicubi revera errasse. Affirmant quippe pluribus in locis terram stare, caelum moveri, solem oriri et occidere, quae sane profecto repugnant Philosophiae.

Resp. ad 1. Christus absolute et absque ulla verborum restrictione promiserat Apostolis missurum se ad illos Spiritum sanctum qui eos omnem doceret veritatem: *Paraclitus quem mittet Pater in nomine meo*, *docebit vos omnem veritatem*: idque in sacro Pentecostes die evenisse narrat Lucas in Actibus Apostolorum cap. 1. Cur igitur inquit Christus, *Cum steteritis ante reges*, *et praesides*? Nempe, ut hoc exemplo quod generatim promiserat confirmaret. Neque enim singularia exempla ad generalem aliquam confirmandam regulam allata, alia ejusdem regulae exempla excludunt.

Ad 2. Etiam in iis referendis quae sacri Auctores aut oculis viderant aut auribus audiverant, necessaria erat divina inspiratio, scilicet per afflatum. Idque, *ne sancta Scriptura quae ad fidem posteris edita est*, *admissa auctoritate mendacii*, *tota dubia nutet et fluctuet*, inquit S. P.

Augustinus in Ep. ad Hieronymum 40. Et Scripturae auctoritas nutaret quidem, si in nonnullis divinitus inspirata non esset; quum enim omnis homo mendax sit, sacer scriptor decipi utique potuit in iis quae proprio spiritu retulit in literas. Si vel unum reperiatur ibi mendacium, suspicari jure possumus plura ibi prostare: atque ita de omnibus singulisque Scripturae particulis quin vera contineant poterit quisque suspicari; quod absurdissimum est.

Ad 3. Philosophorum affirmantium solem stare, terram moveri etc. opinio non adeo certa est ut contraria sit absolute falsa: unde opinio illa tamquam mera hypothesis in Ecclesia permittitur. Quod si ea hypothesis ut vera thesis admittatur, non proinde sacrae Scripturae repugnat, ut adversarii contendunt. Scripturae enim loquendi consuetudo in iis quae ad Philosophiam spectant vulgaris est, et ad communem hominum captum potius quam ad sermonis rigorem exactus. Hinc S. P. Augustinus lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 9. ait, *Spiritum Dei, qui per ipsos* (sacros Scriptores) *loquebatur, noluit ista* (quae ad Philosophiam pertinent) *docere homines nulli saluti profutura*. Communis autem loquendi mos Philosophorum sententiis non opponitur. Legatur Augustinus citato capite et sequenti. Plura hujus generis alia congerit Clericus partim ab Anomaeis, partim a Grotio et Erasmo mutuata, quae quum ex dictis facilem habeant solutionem silentio praetereo.

Obj. 5. cont. 3. concl. Ad ea scribenda quae hagiographi Auctores naturaliter sciebant, sola Spiritus sancti assistentia non afflatus requirebatur; optime namque illa sciebant. II. Nonnulla in divinis literis sunt quae divinam dedecent majestatem, ut illud Pauli in 2. ad Timoth. cap. 4. *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum*. Et illud aliud, *Lucas est mecum solus*. Et aliud, *Trophimum reliqui infirmum*: quae minima quum sint divinam non exigebant inspirationem. III. Si omnia et singula quae in sacris literis sunt, divino afflante Spiritu fuissent conscripta, unus idemque sacrorum Scriptorum stilus esset, unaque dictio; quum tamen singuli differant ad invicem. Deinde non diceret Apostolus in 2. ad Cor. cap. 2. *Ministri Christi sunt (ut minus sapiens dico,) plus ego*; Deo namque tribuenda insipientia foret. Sed neque auctor libri 2. Machabaeorum aut veniam postulasset, aut scriptionem suam negocium appellasset plenum vigiliarum et laboris. Ad haec itaque ac similia scribenda habuerunt Auctores sacri Spiritum sanctum praesentem per meram assistentiam.

Resp. ad 1. Quamvis sacri Scriptores quae viderant et audiverant naturaliter scirent, necessarius nihilominus in iis scribendis erat illis divinus afflatus, nec sola Spiritus sancti assistentia satis erat; idque multis de caussis. 1. Ut Scripturae auctoritas ab Conciliorum secerneretur auctoritate. 2. Ut sacrae Scripturae ea quae Dei verbo convenit, conciliaretur auctoritas; ipsa enim quum Fidei nostrae sit fundamentum, ne minimam quidem praebere debet erroris suspicionem. 3. Ut hagiographis Auctoribus quae visu alioquin, vel auditu vel meditatione nota erant, in mentem revocarentur,

tum quia non semper omnia menti occurrunt, tum etiam ut absoluta certitudine scirent rem ita se habere; unde Johan. cap. 14. sic Christus alloquitur Apostolos: *Paraclitus autem Spiritus sanctus ... suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis*. 4. Ut haec potius quam illa literis consignarent; quum non omnia quae sciebant scribenda essent, juxta illud Johan. cap. 22. *Multa quidem, et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quae scripta non sunt in libro hoc. Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei: et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*.

Ad 2. Allata in argumento exempla et quaecumque afferri possent, neutiquam divinam dedecent majestatem: quamvis enim minima nobis videantur, ex quo tamen cum magni momenti rebus conjungantur, maximam habent utilitatem; sunt quippe ut plurimum circumstantiae quae factis venustatem tribuunt ac certitudinem.

Ad 3. Aliud est, ut paullo ante diximus, enthusiasmus seu phanatismus, aliud divina revelatio, et aliud divinus afflatus. Enthusiasmus quidem non relinquit ad loquendum vel scribendum in homine libertatem; non ita tamen revelatio et afflatus: atque adeo actio Spiritus sancti quum hominis inspirati genio ac spiritui sese attemperet, ex quo varius esset sacrorum Auctorum genius et indoles diversa, varia quoque erat scriptio ac diversus stilus. Quod e vestigio additur, ita solvitur a Cano: *Non enim, quod ait quidam, incaute Paulus fuerat locutus: sed ne quis in ea laude, aut arrogantiam, aut vanitatem aliquam subesse interpretaretur, docet se non in se, sed in Domino gloriari: Non ego, inquit, sed gratia Dei mecum*. Postrema denique difficultas ita enodatur. Non repugnat ut Spiritus sanctus per afflatum praesto sit scriptori, qui in pluribus humano loquitur more: nam divinus afflatus rationem libertatemque scriptori non adimit; praesertim cum auctor libri 2. Machabaeorum non de veritate, sed de interpretatione in aliam linguam illius historiae sermonem instituat. Quod si idem auctor scriptionem suam negotium plenum vigiliarum et sudoris appellat, non proinde divinum excludit afflatum, *quia inspiratio Spiritus sancti non excludit quaerendi, legendi, meditandi, aut ordinandi sermonis curam ac studium, non magis quam precationis atque jejunii. Quemadmodum enim post precationem ac praemissum jejunium, ita et post meditationis laborem atque industriam potest Spiritus sanctus et rem quam scribi velit et jam ante non ignoratam, et sermonis structuram ac ordinem suggerere: id quod non Historicis tantum sacris, sed Prophetis etiam evenire interdum potuit*. Ita legitur in Justif. Cens. lovan. cap. 1. 2. 18. His coronidis loco addo, quod omnia haec Lojolitarum et Simonii argumenta non inspirationem modo, sed et divinam excludunt assistentiam, ut paulisper attendenti manifestum est. Atque haec pro praesenti sufficiant controversia. Nam reliqua adversariorum argumenta, eaque praesertim quae a veteribus ac recentioribus afferri solent Anomaeis, solventur a nobis in subsequentibus, ubi de divina cujusque libri auctoritate disseremus.

CAPUT III.

Ad cujus auctoritatem pertineat definire quaenam Scriptura sit vel non sit divinitus inspirata.

Wicleffistae primitus, tum Lutherani et Calvinistae, postquam Ecclesiae Traditionisque auctoritati apertum bellum indixerunt, ut aliquo modo sibi constare viderentur, conati sunt demonstrare Fidei nostrae assensum in solam Scripturam tandem resolvi; hoc est solam Scripturam ad Fidei controversias dirimendas sufficere; ipsam solam, non modo normam, sed et judicem esse nostrae Fidei, nulla Traditionis et Ecclesiae ejusque Pastorum sive in Concilio congregatorum sive extra Concilium, habita ratione. Et quoniam inter Fidei controversias principem obtinet locum Canon sacrae Scripturae, quaeri namque potest num haec vel illa Scriptura sit divinitus inspirata, ne ad Ecclesiam vel Traditionem confugere teneantur, ajunt hanc quoque controversiam per Scripturas esse definiendam. Quod si dubium adhuc oriatur an ea Scripturae pars cui judicis partes deferunt, et ipsa divinitus sit inspirata, tunc ad privati spiritus testimonium recursum habere solent, existimantes divini verbi cognitionem per se manifestissimam esse, nullaque hominum indigere approbatione. Hinc Dortrechtana synodus Calvinistarum sess. 146. art. 5. *Hos omnes*, inquit, *libros pro sacris et canonicis recipimus. Idque non tam quod Ecclesia eos pro hujusmodi recipiat et approbet, quam in primis quod Spiritus sanctus in cordibus nostris testetur a Deo profectos esse, comprobationemque ejus in scriptis habeant, cum vel ipsi caeci ea quae in ipsis praedicta fuerunt, evenire, ipso quasi contactu deprehendant.* Eadem habet Calvinus lib. 1. Inst. cap. 7.

Catholici omnes lethiferam hanc opinationem tamquam novum haereticorum commentum damnant et execrantur, docentes judicium de sacrorum inspiratione voluminum ad Ecclesiam veluti ad legitimum controversiarum judicem pertinere. Nos Catholicorum tuentes partes, ut accurata metodo procedamus, definiemus. 1. Judicium de Scripturarum inspiratione per ipsas Scripturas ferri non posse. 2. Nec posse ferri per spiritum cujuslibet hominis privatum. 3. Adeoque pendere ab Ecclesiae judicio. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Judicium de Scripturarum inspiratione repetendum non est ab ipsa Scriptura.

Prob. Ab eo repeti judicium de Scripturarum inspiratione debet, per quod definiri potest librum hunc esse apocryphum, illum vero canonicum. Hoc autem per sacram Scripturam definiri non potest. Nam 1. si quis contenderet libros nonnullos apocryphos, puta librum Pastoris, Epi-

stolam Barnabae, Apocalypsim Pauli divinitus esse inspiratos, quomodo quaestio haec per Scripturam poterit definiri? Nullibi enim in sanctis Bibliis horum codicum mentio occurrit. Ad rem S. P. Augustinus lib. 13. cont. Faustum cap. 4. *Si autem alios, quos dicat Apostolorum nostrorum, codices* (Faustus) *protulerit, quomodo eis ipse auctoritatem dabit, quam per Ecclesias Christi ab ipsis Apostolis constitutas non accepit, ut inde ad posteros firmata commendatione transcurreret?* II. Idem dicendum est si dubium circa alicujus libri canonici divinitatem oriatur. Nam quomodo per ipsam Scripturam nosse poterimus ejusmodi librum esse revera canonicum? Forte quia nihil contra fidem aut bonos mores continet, sed pietatem undique spirat? Ast etiam sanctorum operibus Patrum nihil quod pium non sit ac sanctum continetur, nec proinde sunt divina Scriptura. Dices fortasse legi in illis vaticinia eventu jam comprobata? Sed non omnia Scripturae volumina, nec singulae librorum particulae vaticinia comprehenduut, et sunt nihilominus a Deo inspirata. Vel denique libri divinitas ex eo dignoscenda erit quod libri posteriores divinae inspirationis testimonium illi perhibeant? Sed primo, non omnia antiquiora volumina in posterioribus commemorantur. Deinde libri illius qui postremo scriptus est, quomodo divinam cognoscere poterimus inspirationem? Huic siquidem alius Scripturae liber testimonium non exhibet; est enim ipse postremus. III. Si quis divinam utriusque Testamenti in quaestionem vocaret auctoritatem, quomodo per V. aut N. Testamentum componi lis posset? *Quae jam auctoritas litterarum*, ait Augustinus contra Faust. 11. cap. 2. *aperiri, quis sacer liber evolvi, quod documentum cujuslibet Scripturae ad convincendum errores ... exseri potest ...?* Et paucis interjectis ostendens non satis tutam viam esse ad probandum testimonium in alio libro contentum, alium librum proferre, haec profert: *Hoc si feceris, non de aliqua particula, sed de toto audies* (alium) *contradicentem, et clamantem, Falsus est. Quid ages? quo te convertes? quam libri a te prolati originem, quam vetustatem, quam seriem successionis testem citabis? Nam si hoc facere conaberis, et nihil valebis: et vides in hac re quid Ecclesiae catholicae valeat auctoritas, quae ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, et tot populorum consensione firmatur*. Scriptura igitur per se idonea non est ad judicium de sacrorum inspiratione librorum ferendum.

CONCLUSIO II.

Neque hac in re judicium quod ex privato cujusque Fidelis spiritu fit, est idoneum.

Prob. 1. Ut judicium de Scripturarum inspiratione idoneum sit, debet esse certo constanterque verax. Judicium autem quod ex privato cujusque Fidelis spiritu fit, profecto non est certo constanterque verax; *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax*, ut ait Apostolus ad Rom. cap. 3. Insuper si res ita se haberet omnes haeretici qui spiri-

tum hunc se habere jactant, in assignando canonicorum voluminum numero convenirent. Non conveniunt tamen. Ut enim veteres haereticos silentio praeteream, Basilidem nimirum, Ebionem, Cerinthum, Marcionem, Manetem, et alios, quorum aliqui libros rejiciebant quos admittebant alii, ut legere est apud Irenaeum, Philastrium, Eusebium, Augustinum; ut hos inquam innominatos praeteream, nonne Lutherus, Kemnicius, et Magdeburgenses Pauli Epistolas ad Hebraeos, Petri secundam, secundam et tertiam Johannis, Jacobi, Judae, tamquam evangelicae adversantes doctrinae e Scripturarum Canone expunxerunt, quas tamen omnes veluti canonicas atque divinas recepit nobiscum Calvinus? Nonne docet Lutherus Apocalypsim nec propheticum nec apostolicum esse volumen, et propheticum et apostolicum esse contendunt Magdeburgenses et Calvinistae? Itaque in canonicorum assignando numero librorum haeretici non conveniunt, quamvis omnes a privato spiritu duci confiteantur: atque adeo spiritus cujusvis Fidelis privatus judex idoneus non est sacrarum Scripturarum.

Prob. 2. Etiamsi privatus ille spiritus de quo loquuntur haeretici certo verax esset, nisi tamen Ecclesiae accederet approbatio, non esset ad fidem faciendam idoneus. Patet id exemplo Pauli, qui licet Evangelium non ab homine sed per Christi didicerit revelationem, illud nihilominus cum aliis Apostolis conferre voluit hac una de caussa, *ne forte in vacuum* curreret aut cucurrisset, ut ad Gal. cap. 2. inquit. Quare Doctorum aquila Augustinus lib. 28. contra Faust. cap. 4. concludit: *Quis est ergo tam demens, qui credat ... nescio cui ex transverso de Perside post ducentos vel amplius annos venienti ... cum ipse Apostolus Paulus post ascensionem Domini de caelo vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando et cum quibus conferendo Evangelium, ejusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet?* Et S. Thomas Comment. in Epist. Pauli: *Dicendum est,* inquit, *quod sibi non dubitabat, sed illis quibus praedicaverat: quia nisi ab illis firmiter teneretur sua doctrina, quantum ad illos in vacuum cucurrisset; et ideo voluit conferre cum eis.*

Prob. 3. Si privatus cujusque Fidelis spiritus tamquam judex quo Scripturae sacrae a non sacris discerni debeant admittatur, duo maxima sequuntur absurda. I. Quum privatus ille spiritus sit uniuscujusque Fidelis proprius nec aliorum subdatur judicio qui spiritum divinum esse aut humanum definiant, cuique se spiritum Dei habere jactare fas erit; proindeque liberum cuique erit quod magis libet volumen canonicum declarare, quod est absurdissimum. Ita Tertullianus de Praescript. cap. *Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni de arbitrio suo fidem innovare.* II. Admisso semel privato cujusque Fidelis spiritu, evenire facile poterit ut in canonicorum inferatur catalogum vel ab eo expungatur liber, quem sacrum vel non sacrum esse cacodaemon ipse suggesserit; nam Satanas in Angelum lucis seipsum in hominum perniciem Deo sinente aliquando transformat. Abjiciatur ergo spiritus iste privatus haereticorum.

CONCLUSIO III.

Ad Ecclesiam pertinet judicare quaenam Scriptura sit divinitus inspirata.

Prob. 1. ex dictis. Si enim non ex ipsa Scriptura, neque ex privato cujusque Fidelis spiritu judicium de Scripturarum inspiratione peti debet, sequitur sane non aliunde quam ab Ecclesia esse desumendum.

Prob. 2. ex V. Testamento. Isaias cap. 2. sic inquit: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium ... et ibunt populi multi et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit gentes, et arguet populos multos.* Quibus describens Propheta Christi Domini Ecclesiam, ad illam omnes populos ituros praenunciat, ut discant vias Domini. Verum inter ea quae circa vias Domini scire nos oportet, nonne principem obtinet locum sacrae Scripturae inspiratio divinaque auctoritas?

Prob. 3. ex N. Testamento. Actor. cap. 15. narratur quod *facta seditione non minima* (circa legalia,) *statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex aliis ad Apostolos et presbyteros in Jerusalem super hac quaestione*: qui coacto concilio judicium protulerunt his verbis, *Visum est Spiritui sancto, et nobis*. Duo ex hoc facto eruuntur. Primum, antiochenos Fideles agnovisse supremam in Ecclesia auctoritatem quaslibet Fidei controversias dirimendi. Alterum vero Ecclesiam ab Apostolis ac senioribus tunc repraesentatam, eamdem in se agnovisse facultatem. Nam antiocheni Fideles miserunt Paulum, Barnabam, et alios *ad Apostolos et presbyteros in Jerusalem videre de verbo hoc*. Apostoli autem ac seniores definitionem tulerunt dicentes: *Visum est Spiritui sancto, et nobis*. Porro controversia orta Antiochiae, in quo tandem consistebat? Nempe an Pauli et Barnabae doctrina de legalium cessatione, esset nec ne divinitus inspirata; adeoque ab initio auctoritatem suam Ecclesia exercuit in quaestione dirimenda de sacrorum inspiratione librorum.

Prob. 4. Traditione. Veteres Patres, ut Tertullianus, Irenaeus, Augustinus, et alii adversus illorum temporum disputantes haereticos, Gnosticos, Marcionitas, et Manichaeos, qui nonnullas canonicas Scripturas non recipientes, alias apochryphas intrudebant in Canonem; si quas autem admittebant, temerario ausu mutilabant, vel detortis deturpabant interpretamentis, contra hujus generis, inquam, haereticos pertractantes, non ad Scripturam ipsam, non ad privatum cujusque Fidelis spiritum, ut sacrarum Scripturarum demonstrarent integritatem germanitatem divinamque inspirationem, sed ad apostolicarum Ecclesiarum auctoritatem tamquam ad spei anchoram lydiumque lapidem confugiebant. Irenaeus lib. 3. adv. Haer. cap. 2. de Gnosticis verba faciens: *Cum autem*, inquit, *ad eam iterum Traditionem quae est ab Apostolis, quae per successiones Presbyterorum*

in Ecclesiis custoditur provocamus eos, adversantur Traditioni dicentes, se non solum Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes superiores sinceram invenisse veritatem; Apostolos autem admiscuisse ea quae sunt legalia, Salvatoris verbis. Tertullianus Marcionem exagitans lib. 4. cap. 2. sic habet: *Si sub Pauli nomine Evangelium Marcion intulisset, non sufficeret ad fidem singularitas instrumenti destituta patrocinio antecessorum*. Et cap. ejusdem lib. 4. *Ego meum dico, Marcion suum. Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis intér nos determinabit, nisi temporis ratio praescribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, et ei praejudicans vitiationem?* Et clarius adhuc lib. de Praescript. cap. 19. *Si Dominus J. C. Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos praedicatores quam quos Christus instituit ... Quid autem praedicaverint, idest, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt ... Si haec ita sunt, constat proinde omnem doctrinam quae cum illis Ecclesiis apostolicis, matricibus, et originalibus fidei conspiret veritati deputandam, id sine dubio tenentem quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit*. Infinitus essem si omnia quae ad rem hanc habet Augustinus noster afferre vellem. Pauca tantum seligam, iis addendo quae superius attulimus. Lib. 13. contra Faust. cap. 5. sic Faustum ipsum alloquitur: *Nostrorum porro librorum auctoritas, tot gentium consensione, per successiones Apostolorum, Episcoporum, Conciliorumque roborata, vobis adversa est: vestrorum autem nulla est, quia et a tam paucis profertur, et ab iis qui Deum et Christum mendacem colunt*. Et contra Epist. fundam. cap. 5. *Evangelium mihi fortasse lecturus es, et inde Manichaei personam tentabis asserere. Si ergo invenires aliquem, qui Evangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi, Non credo? Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae commoveret auctoritas*. Alia innumera ex hoc S. Doctore brevitati consuleris omitto. Ante laudatos Patres idipsum tradiderant Ignatius martyr in Ep. ad Philad. Clemens alex. lib. 7. Strom. Epiphanius Haer. 42.

Prob. ultimo theologica ratione. Quum aliquis inter libros sacros et non sacros decernere debeat, ad illum debet ejusmodi spectare judicium qui falli et fallere nescius est. Ecclesia autem nulli subesse potest errori, quoniam *ipsa est columna et firmamentum veritatis*, ut Apostolus in Ep. ad Timot. cap. 3. scribit. Juxta regulam a S. P. Augustino traditam lib. 33. adv. Faust. cap. 6. ad germanum cujusvis operis auctorem dignoscendum, valet in primis communis eorum consensus qui ante nos extiterunt. Cur ergo non eamdem adsciscamus regulam ubi inquiritur an liber auctorem habeat Deum? Praeterea, ut Basilius in Ep. ad Neocesarienses scribit: *Oportet ut eadem sint animi industria praediti, et qui alienas Scripturas judicaturus est, et qui illas conscripsit*. Porro sola Ecclesia Spiritum habet quem habuerunt sacri Scriptores. Reliqua vide apud Bellarminum lib. 2. de Verbo Dei scripto, Canum lib. 2. de Locis, Simonium H. C. N. Testamenti cap. 1. Berti, aliosque.

Praecipua Protestantium argumenta referuntur ac refutantur.

Obj. 2. cont. 1. prop. Scriptura ipsa satis aperte docet esse divinitus inspiratam. Nam Psal. 18. legitur: *Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos*. Et Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis*: Cujus generis innumera occurrunt in sacris literis. II. Christus Dominus Judaeos ad Scripturarum lectionem saepe remittit: *Scrutamini Scripturas*; quod certe non faceret si ex se non indicaret esse divinitus inspiratam. III. Hinc merito Calvinus inquit: *Quod autem rogant unde persuadebimus libros sacros a Deo fluxisse, perinde est ac si quis roget unde discemus lucidum discernere a tenebris, album a nigro, suave ab amaro*.

Resp. ad 1. Praeceptum ac verbum Domini clara sunt ac manifestissima non per se ipsa, sed supposita Ecclesiae declaratione quae a laudatis testimoniis aliisque similibus non excluditur. Sed rem paullo accuratius perpendamus. 1. Si sacra Scriptura non supposito Ecclesiae magisterio perspicua omnibus est ac manifestissima, cur idem regius Psaltes Psal. secundo loco citato inquit: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua*; Et, *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis*? 2. Dicitur itaque sacra Scriptura praeceptum illuminans atque lucerna, quatenus semel ac ab Ecclesia declarata est, bonorum morum regulam exhibet iis qui in viis Domini meditantur. 3. Quamvis per se clara esset atque perspicua sacra Scriptura, quod tamen quoad omnia falsum est, quomodo scimus hanc potius quam illam esse sacram Scripturam, nisi aliquis nobis revelaverit? Haec autem revelatio fit nobis a Deo per magistram veritatis Ecclesiam. 4. Denique sacra Scriptura perspicua dici potest ac manifesta ea in parte quae de praeceptis moralibus agit: quae praecepta juris naturae quum sint, tam late patent quam ipsa innotescit lex naturalis.

Ad 2. dico 1. Christum Dominum Judaeos remittere ad lectionem sacrae Scripturae approbatae jam ac explicatae a Synagoga; loquebatur enim de Incarnationis mysterio, quod fuisse peractum vaticiniis a Judaeorum Synagoga explicatis dignosci facile poterat. 2. Christus ad sacra perscrutanda volumina Judaeos remittit, ut ex iis motiva desumerent credibilitatis, quibus fateri denique possent vaticinia esse adimpleta. Idque ex eo patet quod illos provocet etiam ad testimonium Johannis, ad opera ab se patrata, et ad testimonium vocis de caelo delapsae; ut tot tantisque argumentis convicti, non inficiarentur amplius se esse Messiam in lege promissum.

Ad 3. Si eo modo quo Calvinus existimat, libri sacri a non sacris discernerentur, nemo qui sane mentis esset illos non discerneret; sicuti nemo qui sanis sensibus est lucem a tenebris, album a nigro, suave ab amaro non distinguit. Cumque nullus inter Catholicos, libros sacros a non sacris sic discerni affirmet, dicendum erit aut omnes Catholicos, aut solum Calvinum mente destitui. Sed revera ineptissima est a Calvino instituta comparatio. Qualitates namque corporeae quum sensus afficiant, si

conformes aut contrariae sint, conformes aut contrarias imprimunt sensibus affectiones. Quis autem dixerit librum sacrum et non sacrum animum diversimode afficere? Legat quis librum non sacrum, pias tamen continentem exhortationes; similiter et librum sacrum meram narrantem historiam, neque hunc sacrum, illum non sacrum esse sciat; si animi affectioni is attendere debeat, ut Calvinus contendit, primum mehercle divinitus inspiratum, alterum mere profanum esse judicabit; adeo futilis vanaque est a Calvino tradita regula.

Obj. 2. cont. alteram thesim. Quilibet Fidelis in rebus Fidei a Spiritu sancto eruditur; inquit enim Johan. 1. Ep. cap. 1. *Unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia*. Et rursus: *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium*. Discernere autem sacros a non sacris libros capitale Fidei dogma est. II. Apostolus in 1. ad Cor. cap. 2. haec habet: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei... Spiritualis autem judicat omnia*. Et cap. 14. *Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quae scribo vobis, quia Domini sunt mandata*. Quis porro spiritualis homo est, nisi qui in se spiritum habet? Hic vero per Apostolum judicium fert de omnibus; adeoque et de Scripturarum inspiratione. III. Si quid est quod in discernendis sacris a non sacris Scripturis privatum haereticorum spiritum excludere videatur, illud maxime est quod testimonium Spiritus sancti cum propriae phantasiae aut daemonis confundi potest illusionibus. Sed hoc frivolum est; qui namque spiritus percipiunt testimonium, eodem spiritu docente revelationem a phantasiae vel daemonis illusione discernunt.

Resp. ad 1. Quilibet Fidelis in rebus Fidei a Spiritu sancto per internam gratiam, quae externum non excludit Ecclesiae magisterium, utique eruditur. Ad Fidem enim capessendam nedum requiritur interna gratia Spiritus sancti, juxta illud Johan. cap. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, sed praeterea necessaria quoque est, saltem de lege ordinaria, externa per homines persuasio; quo sensu inquit Apostolus ad Rom. cap. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?* Hominum magisterium ut credamus, Dei gratia quo credamus ut oportet. Sicut igitur externa hominum praedicatio gratiam internam Spiritus sancti non excludit; ita interna gratia Spiritus sancti non excludit externum hominum magisterium. Quare inquit Apostolus in 1. ad Cor. cap. 3. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit*. Verbo dicam. Credo Moysis *ex. gr.* Pentateuchum divinam continere Scripturam, quoniam id mihi credendum proponit Ecclesia. In hoc autem credendo Fides meritum habet, quia ab interna Spiritus sancti animatur unctione. Fieri certe aliquando potest ut quis absque ullo externo magisterio reconditiora Fidei mysteria a Spiritu sancto immediate discat: sed quae per extraordinariam Dei potentiam eveniunt trahenda non sunt in exemplum. Imo *caveamus tales tentationes superbissimas et periculosissimas, magisque cogitemus et ipsum apostolum*

Paulum, licet divina et caelesti voce prostratum et instructum, ad hominem tamen missum esse, ut sacramenta perciperet, atque copularetur Ecclesiae: et centurionem Cornelium quamvis exauditas orationes ejus eleemosynasque respectas ei Angelus nuntiaverit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solum sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset, audiret, inquit S. P. Augustinus in Prol. Libror. de Doctr. Chr. Hac responsione omnia Scripturae testimonia ab adversariis afferri solita, quibus Dei gratia commendatur, facillime explicantur. Ad textum autem ex Johannis Epistola depromptum, dico 1. Loqui ibi Apostolum de interna Dei gratia, ut diximus, absque externi Ecclesiae magisterii exclusione; unde Augustinus noster Tract. 3. in eam Epist. *Quid*, inquit, *ergo nos facimus, Fratres, quia docemus vos? Si unctio ejus docet vos de omnibus, quasi nos sine caussa laboramus*. Et paullo post: *Tu dixisti, quia* unctio ipsius docet vos de omnibus. *Ut quid talem epistolam fecisti? Quid illos tu docebas? quid instruebas? quid aedificabas?* 2. Illa Johannis Epistola non ad Fideles singulos in particulari, sed directa fuit ad Ecclesias, ut legenti apparet.

Ad 2. Apostolus per hominem spiritualem non eum intelligit qui interna justificationis gratia praeditus est, ut Protestantes contendunt, sed illum qui theologicam fidem, quae in homine etiam impio remanet ut omnes Theologi docent, adhuc habet. Antithesim enim inter animalem et spiritualem hominem instituit; per animalem illum intelligens qui idolorum cultu praepeditus, licet plura circa Dei existentiam ejusque naturam et attributa percipiat, non assequitur tamen Fidei nostrae mysteria. Quare fit consequens ut per spiritualem hominem illum intelligat, qui licet plura saecularis philosophiae ignoret arcana, optime nihilominus percipit Trinitatem Personarum, Verbi Incarnationem, aliaque sublimiora mysteria. Hunc esse Apostoli sensum ex ipsa lectione colligitur. Neque vero putes asserere Apostolum hominem spiritualem proprio spiritu de Fidei mysteriis definire. Nam judicare hoc in loco idem est ac *recipere* et *approbare*, juxta Graecorum apud Aristotelem proloquium in 3. Ethicor. *Probus de omnibus recte judicat*, hoc est omnia bona approbat, ut observat S. Thomas Lect. 3. in cap. 2. Ep. 1. ad Cor. Praeterea cum cl. Theologis Estio, et Cano dici potest Apostolum appellare hominem carnalem illum qui credit quidem, sed altiora Fidei mysteria percipere adhuc non valet, ut sunt rustici ac pueri; unde initio capitis inquit: *Et ego, fratres, non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus*. Hominem vero spiritualem vocat eum qui Fidei mysteriis apprime eruditus, alios docere et instruere potest ac debet, ut Episcopi sunt et reliqui Pastores et Theologi ac Sapientes: quo sensu idem Paulus ad Gal. cap. 6. scribit: *Vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite*. Sicque Protestantium evanescit argumentum.

Ad 3. Hoc idem testimonium quod a Novatoribus testimonium putatur Spiritus sancti, et ipsum illusionibus obnoxium est. Quis enim scire certo poterit testimonium illud quo illusiones a revelationibus discerni

arbitrantur, novam aut phantasiae aut daemonis non esse suggestionem? Quare qui se Dei revelationem ad librum canonicum a non canonico discernendum se habuisse autumat, ut experiatur an Dei revelatio revera sit, debet illam cum Ecclesiae auctoritate tamquam cum lydio lapide comparare; ex eaque verum a falso statim dignoscere poterit. Quod si rursus Calvinistae regerant Prophetas veras habuisse a Deo revelationes, nec tamen illarum veritatem ex Ecclesiae agnovisse auctoritate, habes quid facile illis respondeas, Prophetarum videlicet revelationes tot tantisque confirmatas fuisse miraculis, ut Ecclesiae non indigerent magisterio; de potentia quippe extraordinaria Prophetae a Deo mittebantur. Ast quibus miraculis, quibus signis haeretici ostendunt privatum illorum spiritum esse Spiritum sanctum in ipsis loquentem, aut non potius phantasiam aut cacodaemonem illudentem? Johannes sane in sua 1. Ep. cap. 4. solicite vigilare nos admonet ut probemus num spiritus ex Deo sint: *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudo-prophetae exierunt in mundum.* Qui licet ex effectibus, ut ex frondibus et ex fructibus arbores, dignosci quandoque possint, persaepe tamen contingit ut lupi rapaces sub ovium pelle incedant, caussaque ambigua sit. Quo in casu ad Ecclesiae magisterium confugere oportet; quamvis in iis etiam quae ambigua non sunt, Ecclesiae auctoritas semper sit veneranda.

Obj. 3. adv. 3. concl. Quid denique est Ecclesia nisi hominum congregatio? Porro Christus Johan. cap. 5. *Ego*, inquit, *non ab homine testimonium accipio*; unde ad verbum Dei dignoscendum non debemus nos ad Ecclesiae recurrere auctoritatem. Postremo, judicium de Scripturarum inspiratione auctoritati subjicere Ecclesiae, ut Catholici faciunt, idem est ac circulum committere, ut inquiunt, vitiosum. Quaerenti enim unde probetur auctoritas Ecclesiae, Catholici respondent ex Scripturarum auctoritate. Interroganti autem undenam Scripturae demonstretur auctoritas, reponunt ex auctoritate Ecclesiae.

Resp. ad 1. Nihil ex allato Johan. testimonio concludi contra nostram thesim potest, quoniam ibi Christus de divina sui missione sermonem habet: quam tot tantisque miraculis comprobaverat, ut humanum testimonium superfluum omnino videretur. Ast si dubium modo circa alicujus libri oriatur divinitatem, quum non sint amplius expectanda miracula, ad quem recursum habebimus nisi ad Ecclesiae testimonium? Praeterea cum inquit Christus se testimonium ab homine non accipere, sensus est se non ita humano indigere testimonio ut sine illo consistere veritas ejus non possit; quum enim ipse divinum in se haberet testimonium, quid testificationibus humanis indigebat? Crederent Judaei vel non crederent, Christus non mentiebatur. Non inde tamen inferendum est humanum omnino excludere testimonium; nam apud eumdem Johan. cap. 15. inquit: *Et vos testimonium perhibebitis* (de me,) *quia ab initio mecum estis*. Et in Act. Apost. cap. 1. *Eritis mihi testes in Jerusalem*. Uno verbo testimonium divinum non excludit humanum et vicissim, juxta illud Johan. Ep. 1. cap. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.*

Ad ultimum. Circulus vitiosus ab eo committitur qui hoc per illud, et illud per hoc demonstrare contendit apud eum qui utrumque inficiatur. Si quis v. g. ethnicum ad christianam adducere volens Religionem, hujus veritatem probaret ex sacris literis; et rursus sacrarum literarum veritatem ex veritate christianae Religionis demonstrare contenderet, is sane vitiosum committeret circulum. Ast vero, si quis motiva assumens credibilitatis, prius ethnico viro demonstraret sacrae Scripturae veritatem, ita ut is fateretur sacram Scripturam vera continere; si postea auctoritate Scripturae, veritatem illi ac auctoritatem Ecclesiae vellet suadere, circulum certe non committeret vitiosum. Hoc pacto nos adversus Protestantes ratiocinamur. Negant hi auctoritatem Ecclesiae? Revincimus eos ex sacris Scripturis quibus divinam denegare non audent auctoritatem. Machabaeorum libros canonicos esse inficiantur? Aliis Scripturae libris quibus fidem adjungunt, prius demonstramus auctoritatem Ecclesiae, ac subinde ex Ecclesiae auctoritate probamus libros Machabaeorum esse canonicos. Non ergo circulum committimus vitiosum.

CAPUT IV.

De primo sacrorum librorum Canonis auctore, deque modo quo Canon conditus est.

In explicanda voce, *Canon*, non moror; omnes quippe norunt Canonem primario significare regulam aut normam ad quam opus exigitur, tum indicem seu catalogum in quo res et nomina solent inscribi. Hinc Conciliorum decreta canones appellari consueverunt, quoniam Fides et mores ad illorum componi debent normam; et aliquibus Clericis Canonicorum titulus tribuitur, quod eorum nomina tabellae veluti indici seu catalogo sint inscripta. Quaerenti ergo cur S. Scripturae libri dicantur canonici responderi potest primo, quoniam regula sunt et norma tum Fidei tum morum. Secundo, quia certo determinato numero velut indice vel catalogo continentur. Libri S. Scripturae canonici appellantur priori sensu a S. P. Augustino lib. 2. contr. Cresc. cap. 31. *Salubri vigilantia Canon ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum et Apostolorum libri pertineant, quos omnino judicare non audeamus, et secundum quos de ceteris litteris vel fidelium vel infidelium libere judicemus*. Sensu autem posteriori canonici libri sacri dicuntur a Tridentino Concilio sess. 5. ubi sacrae Scripturae indicem, catalogum, et canonem, tria nomina haec promiscue usurpat.

De Canone sacrorum librorum sumpto prout est norma seu regula Fidei ac morum, nemo unus dubitat quin statim ac libri sacri editi sunt, confici coeperit: quum enim Canon eo sensu acceptus nil aliud sit quam divina librorum auctoritas, quando Spiritu sancto inspirante libri scribi coeperunt, tunc Canon sacrae Scripturae coepit conflari. Atque hoc modo sacrae Scripturae Canonis principalis auctor fuit Spiritus sanctus; secunda-

rius vero et instrumentalis ut inquiunt, fuit cujuslibet libri auctor seu scriptor. Ast de Canone, prout sacrorum librorum index est et catalogus sumpto, quaeri solet ab Eruditis quinam primus illius auctor fuerit, et quomodo fuerit concinnatus. Quoad primam controversiam Benedictus Spinoza Tract. Theol. Pol. cap. 10. per consuetam suam impietatem arbitratur primum Canonis auctorem fuisse incerti nominis virum qui post Judae Machabaei aetatem floruit: idque non alia de caussa, nisi ut omnes sacros libros recentiores esse demonstret. Reliqui autem Theologi unanimi consensu affirmant primum Canonis auctorem extitisse Esdram post reditum e babylonica captivitate. Quoad alteram vero quaestionem duplex est Eruditorum sententia. Nonnulli quamvis numero exigui, post Basilium et Optatum Milevitanum affirmant in Hierosolymorum devastatione ac captivitatis babylonicae tempore singulos sacros codices penitus intercidisse; proindeque post reditum e captivitate Esdram sacra omnia volumina Spiritu sancto afflante dictasse memoriter, ac denuo composuisse. Alii e contra, Tertulliano, Irenaeo, Chrysostomo, Hieronymo, ceterisque ferme Patribus praeeuntibus, docent sacrae Scripturae volumina ob Hierosolymorum incendium aerumnasque captivitatis fuisse quidem corrupta, sed non penitus interiisse; atque adeo Esdram reparasse illa ac recognovisse dumtaxat, non autem dictasse memoriter. Hoc itaque in capite inquiremus 1. an sancti libri tempore captivitatis omnino evanuerint, vel potius fuerint dumtaxat corrupti. 2. An Esdras post reditum e captivitate eosdem sacros codices denuo composuerit, vel emendaverit tantum. 3. Demum an Esdras ipse vel aliquis alius post machabaeica tempora primus Canonis sacrorum librorum auctor fuerit.

Sed ut a tyronibus facilius haec intelligantur, babylonicae captivitatis historiae summa brevissime narranda est. Nabuchodonosor igitur rex Babylonis habita notitia quod Judaei rebellare in illum meditarentur, ingentem misit Hierosolymam exercitum duce Nabuzardane a quo depopulata civitas fuit, moenia diruta, templum solo fere aequatum, aedes incendio consumptae, Judaeique omnes, agricolis exceptis ac vinitoribus, aut gladio necati aut asportati fuerunt in trans-euphrateas regiones ubi septuaginta annorum spatio dirae captivitatis experti sunt vicissitudines. Restituta subinde per Cyrum libertate, eaque ab Artaxerse confirmata, Hierosolymamque Judaeis reversis, rebus suis et sacris et civilibus Esdra prae ceteris procurante, consulere statim coeperunt. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Sacri libri tempore captivitatis non interciderunt, sed corruptionem aliquam dumtaxat perpessi sunt.

Prob. prima thesis pars. Daniel qui tempore captivitatis vivebat Babylone, de lege Moysis velut de volumine adhuc superstite cunctisque notissimo loquitur cap. Prophetiae suae 9. *Et omnis Israel praevaricati sunt legem tuam ... et stillavit super nos maledictio, et detestatio, quae scri-*

pta est in libro Moysi. Et infra: *Sicut scriptum est in lege Moysi, omne hoc malum venit super nos*. II. Judaei ad patrios reduces lares advocata in plateam concione libros legis statim legerunt, ut in lib. 2. Esdr. cap. 8. narratur: *Congregatusque est omnis populus quasi vir unus ad plateam ... et dixerunt Esdrae scribae ut afferret librum legis Moysi ... Attulit ergo Esdras sacerdos legem* etc. Quare extabant tunc libri divini. III. Tempore babylonicae captivitatis magni viri floruerunt, Jeremias, Ezechiel, Tobias, Mardochaeus, Daniel, Susanna, Pueri in fornacem conjecti, Esther, aliique bene multi sanctitate percelebres. Ast incredibile omnino videtur tot sanctissimos viros ac mulieres sanctorum codicum exemplaribus penitus caruisse. IV. Jeremias qui penes Nabuchodonosorem ejusque ducem Nabuzardanem plurimum valebat, non Tabernaculum modo et Arcam in qua sacros conclusos fuisse libros docent Epiphanius de Pond. et Mensuris cap. 3. Damascenus lib. 4. de Fide cap. 17. et Tertullianus de Hab. mul. cap. 3. e hierosolymitano incendio eripuit, sed praeterea Judaeis praecepit ut unusquisque legis exemplar in captivitatem secum afferret: *Et dedit illis legem*, ait Auctor lib. 2. Machab. cap. 2. *ne oblivi scerentur praecepta Domini* IV. Judaeis in trans-euphrateis commorantibus regionibus datum est judicialem exercere juxta mosaicas sanctiones potestatem, ut ex poena talionis Susannae calumniatoribus inflicta, et constanti Rabbinorum consensu aperte deducitur. Nec mirum; data est enim eis a Rege libertas secundum proprias leges vivendi: adeoque habebant sacra volumina.

Prob. altera pars. Irenaeus lib. 3. adv. Haer. cap. 21. *Corruptis Scripturis*, inquit, *tempore babylonicae captivitatis* etc. Clemens alexandrinus lib. 1. Strom. ait: *In captivitate regis Nabuchodonosor cum corruptae essent Scripturae*. Isidorus hispalensis lib. 6. Orig. cap. 2. *Esdras*, subdit, *cuncta Legis et Prophetarum volumina*, *quae fuerunt a gentibus corrupta*. Eadem affirmant Chrysostomus, auctor Synopseos sub nomine Athanasii, Hieronymus, aliique. Non perierunt igitur, sed corrupti tantum fuerunt tempore captivitatis sacri codices.

CONCLUSIO II.

Esdras post reditum e babylonica captivitate sacros libros denuo non composuit, sed dumtaxat correxit et emendavit.

Prob. 1. iis argumentis quibus demonstratum est sacros libros in babylonica captivitate non intercidisse. Si enim post reditum ex illa captivitate superstites adhuc erant, opus quod Esdras in sacra volumina contulit non integra librorum compositio fuit, sed tantum correctio et instauratio.

Prob. 2. ex PP. auctoritate. Irenaeus lib. 3. adv. Haer. cap. 21. inquit: *In captivitate populi quae facta est a Nabuchodonosor, corruptis Scripturis, et post septuaginta annos Judaeis descendentibus in regionem suam ... Deus inspiravit Esdrae sacerdoti de tribu Levi praeteritorum Pro-*

phetarum omnes digerere sermones, et restituere populo eam Legem quae data est per Moysen. Tertullianus de Hab. mul. cap. 3. *Hierosolymis expugnatione deletis, omne instrumentum judaicae literaturae per Esdram constat instauratum*. Hieronymus adv. Helvidium similia tradit his verbis: *Sive Moysen dicere volueris auctorem Pentateuchi, sive Esdram ejus instauratorem*. Mitto Eusebium, Chrysostomum, Isidorum, alios, quoniam eodem modo loquuntur ac laudati proxime Patres.

CONCLUSIO III.

Esdras ipse non alius post machabaeica tempora primus auctor fuit Canonis sacrorum librorum.

Prob. I. Ille sacrorum librorum Canonis primus censendus est auctor, qui primus sacros omnes codices in unum collegit atque redegit, ut ex Canonis notione initio capitis allata constat. Primus autem qui sacros omnes libros in unum corpus collegerit fuit Esdras. Nam neque in sacris Scripturis neque in sanctis Patribus legitur aliquem ante Esdrae tempora libros sacros in unum redegisse catalogum. Praeterea id praestitisse Esdram non subobscure tradunt sacrae literae. Lib. enim I. Esdr. cap. 7. Esdras ipse appellatur nunc *Scriba velox in lege Moysi*; nunc *Scriba eruditus in sermonibus et praeceptis Domini, et ceremoniis ejus in Israel*; modo vero *Scriba legis Dei caeli doctissimus*. Magis autem expresse idipsum affirmant sancti Patres superiori propositione laudati. Denique Fl. Josephus lib. I. cont. Appion. fidem facit sacrorum collectionem voluminum factam primitus fuisse tempore Artaxersis Longimani; inquit enim: *Ab Artaxerse vero usque ad nostra tempora, singula quidem conscripta, non autem priori simili fide sunt habita*. Ast Artaxersis Longimani aetate vivebat Esdras. II. Non alia ductus ratione affirmat Spinoza post machabaeica tempora Canonem primitus fuisse conflatum, nisi quia arbitratur omnia sacra volumina partim ab Esdra, partim ab aliis post Esdram fuisse conscripta. Haec autem opinio utpote nullo innixa fundamento totique antiquitati contraria, stultissima est: unde firma manet sententia Esdram primum Canonis auctorem fuisse.

Solvuntur objectiones.

Obj. I. Narratur lib. 4. Reg. cap. 25. universam per babylonicum militem dirutam fuisse ac solo aequatam Jerusalem; populum vero adductum Babylonem ubi per septuaginta annos dira captivitate fuit lacessitus. Porro verosimile non est inter tot infandas vicissitudines libros sacros non intercidisse. II. Auctor libri 4. Esdrae cap. 14. qui plane antiquissimus est licet apocryphus, narrat universos sanctos codices incendio revera assumptos fuisse: *Quoniam*, inquit, *lex tua incensa est*. III. Nec quidquam officit quod liber ille nec genuinum sit opus Esdrae, nec inter ca-

nonicos computatus; meram enim continet historiam quam ut veram agnoverunt etiam sancti Patres, Basilius, Optatus, et Leontius bizantinus, qui docent sacras omnes Scripturas captivitatis tempore periisse; ac proinde Esdram Spiritu sancto afflante illas memoriter denuo composuisse. IV. Irenaei et Clementis alexandrini testimonia in nostrae sententiae patrocinium imperite admodum afferuntur. Irenaeus enim laudato superius loco ita scribit: *In ea captivitate populi quae facta est a Nabuchodonosor, abolitis Scripturis ... Deus inspiravit Esdrae ... praeteritorum Prophetarum omnes denuo componere sermones*. *Abolitis*, inquit Irenaeus, *non corruptis Scripturis*; et subdit: *Componere*, *non digerere*. Clemens autem alexandrinus: *In captivitate*, inquit, *regis Nabuchodonosor*, *quum interiissent Scripturae*. Interciderunt ergo, et renovati sunt per Esdram sacri libri, non corrupti et instaurati.

Resp. ad 1. Hierosolymitana clades ac aerumnae captivitatis caussa ad summum fuerunt cur sacra volumina aliquam passa sint corruptionem; quod nos ultro fatemur. Idque vel ex eo magis patet quod Nabuchodonosor bellum adversus Judaeos moverit non caussa Religionis, sed quoniam deprehenderat voluisse in illum rebellare. Neque adeo dira Urbis combustio fuit, ut nullus codex immunis ab incendio evaserit; praesertim cum lege veluti cautum esset, ut Josephus testatur, ne Judaei singuli absque mosaicae legis codice, vel propria vel aliena manu descripto, incederent. Quod et si daremus singula periisse funestis illis diebus Scripturae exemplaria Hierosolymis existentia, numquid eamdem debuerunt subire fortunam innumerabiles codices quos penes se retinebant Judaei per universum regnum dispersi?

Ad 2. Liber IV. Esdrae non solum apocryphus est, sed nullam penitus meretur fidem quum multis erroribus anilibusque scateat fabellis. Et primo quidem de Christo Domino non tamquam Propheta, sed ut Evangelista loquitur. Deinde a reliquis S. Scripturae voluminibus crebrerrime dissidet. Nec ejus antiquitas ad fidem illi auctoritatemque conciliandam quidquam valet, quum non omnia quae antiqua sunt quatenus antiqua sunt, sed quatenus vera fidem mereantur.

Ad 3. Laudatos in argumento Patres in eam abiisse sententiam nos ultro concedimus. Decepti enim sunt ex libri IV. Esdrae lectione; quod tamen illis vitio vertendum non est. Nam ea aetate liber IV. Esdrae maximae apud nonnullos erat auctoritatis. Relatis autem Patribus alios opponimus longe numero plures qui contrariam tenuere sententiam.

Ad 4. Male a nonnullis Irenaei ac Clementis alexandrini laudata in argumento testimonia interpretata fuerunt. Et quoad Irenaeum, ubi adversarii cum Henrico Valerio legunt: *abolitis Scripturis*, graece habetur, διαφθαρεισῶν γραφῶν, quae verba a Massuetio redduntur: *corruptis Scripturis*. Et rursus ubi Valesius vertit, *denuo componere*, in graeco textu legitur: ἀνατάξασθαι, nempe ut transtulit Massuetius, *rememorare*, sive, *digerere*; ita ut legi debeat hoc modo: *In ea captivitate populi*, *quae facta est a Nabuchodonosor*, *corruptis Scripturis*, *Deus inspiravit Esdrae praete-*

ritorum Prophetarum omnes rememorare sermones, quomodo a nobis superius recitata sunt. Idem de Clemente alexadrino dicendum; graeca enim verba, διαφθαρεισῶν γραφῶν, male ab Herveto reddita sunt, *cum interiissent Scripturae*.

APPENDIX.

Quaeri solet ab Eruditis 1. quot ante Christi Domini adventum editi fuerint sacrae Scripturae Canones. 2. An Canon quem edidit Esdras fuerit a magna Synagoga approbatus. Quoad primam quaestionem, Nicolaus Serarius duplicem ante Christum editum fuisse Canonem arbitratur, primum videlicet ab Esdra, in quo repositi viginti duo libri fuerunt quos adhuc Judaei tamquam canonicos venerantur; alind autem a generali aliquo Judaeorum concilio in quo reliqui sacri libri quos prior Canon non continebat, canonici declarati fuerint. Tenet autem Genebrardus in Chronico tres ante Christum exaratos fuisse canones, primum in generali synodo quam quintam appellat, habita tempore Esdrae cui Esdras ipse praesedit; alterum in synodo generali sexta celebrata sub Eleazaro in qua decretum fuit de mittendis ad Ptolomaeum septuaginta duobus interpretibus; tertium denique in synodo pariter generali septima celebrata, ut ipse putat, ad damnandos Sadducaeos. In priori Canone repositos fuisse censet viginti duos libros; in duobus aliis reliquos.

Verum tot a Serario ac Genebrardo inculcata penes Judaeos generalia concilia, nullibi umquam nisi in horum scriptorum mente arbitror extitisse. Neque enim illorum conciliorum vestigium in priscis scriptoribus apparet. Imo synodus illa generalis septima in qua Judaeos veluti canonica alia approbasse volumina Genebrardus affirmat, commentitia mihi omnino est, tum quia in ea synodo vult Genebrardus damnatos fuisse Sadducaeos, quos tamen a Synagoga numquam fuisse damnatos ex Evangeliis et Actibus constat; tum etiam quia si tot editi fuissent canones, libri Tobiae, Judith, Ecclesiastici etc. tamquam sacri et canonici habiti a Judaeis semper fuissent. Non alium ergo Canonem apud Judaeos exaratum fuisse reor, praeter illum confectum ab Esdra. Et distinctionem quae fit a recentioribus Theologis inter *protocanonicos ac deuterocanonicos* libros, commentitiam esse existimo. Ubi namque in veterum scriptis distinctio haec reperitur? Ita ergo rem se habuisse puto. Quum penes Judaeos ab omni aevo consuetudo vigeret ut post ingens aliquod bellum vel longam captivitatem, pace composita sacerdotes populique primores animum ad res sacras primitus tum civiles instaurandas applicarent, soluta tandem diutina nimis babylonica captivitate, animadvertentes sacra omnia ac profana pessum ivisse, Esdras Propheta Domini, sacerdos de tribu Levi, vir in lege versatissimus, populique ex Artaxersis indulgentia rector et dux, zelo quo in sacra fervebat commotus, animum illico ad divina recognoscenda volumina adjecit, in quae ob dirae captivitatis aerumnas plura sphalmata irrepserant: atque ea corruptione completa, singulorum qui tunc extabant li-

brorum divinorum contexuit catalogum illumque populo tradidit ad legendum; ut si consimile arrideret deinceps genti infortunium, sacrorum codicum numerus ex illorum memoria non excideret. Et quoniam post Esdram etsi Judaeorum res non admodum felices fuerint, nemo tamen inventus est qui Esdram sibi proposuerit imitandum; alius proinde Canon numquam conditus est in quo libri, post Esdram aut denuo compositi aut publici juris facti, referrentur. Nec proinde recentiorum voluminum quidquam derogatur divinitati. Aliud enim est librum aliquem esse canonicum, et aliud esse divinae auctoritatis. Sane liber ut canonicus haberi non potest nisi divinitus sit inspiratus. Sed potest liber divinitus esse inspiratus etiamsi canonicus non sit; ut exemplo patet sacrorum voluminum quae ante captivitatem ut divina ab universa colebantur Synagoga, et tamen relata non erant in Canonem qui nullus ante captivitatem extabat. Libri ergo Tobiae, Judith, Ecclesiastici, Sapientiae, Machabaeorum non habebantur ut *protocanonici*, quia in Canone ab Esdra exarato non erant; neque ut *deuterocanonici*, quoniam nemo post Esdram alium canonem condidit. Sed nihilominus ut sacri ac divini a Judaeis colebantur, quoniam haec erat publica Synagogae fides; quomodo ante captivitatem per camdem publicam fidem omnes libri qui tunc extabant ut sacri recipiebantur, licet non essent canonici.

Quoad alteram vero quaestionem, Simonius, Dupinius, aliique negant Canonem ab Esdra conditum a magna Synagoga fuisse approbatum; alii autem post Danielem Huetium affirmant his ducti argumentis. 1. Tradit Josephus lib. 1. contr. Appion. hanc viguisse penes Judaeos consuetudinem, ut reduces vel a diutino bello vel a captivitate, sacerdotes omnes instaurationi incumberent sacrorum librorum. Quare babylonica servitute soluta non Esdras solus, sed reliqui cum eo sacerdotes, adeoque Synagoga magna, operi manus admoverunt. 2. Si solus Esdras absque Synagogae magnae approbatione Canonem concinnasset, nullius proculdubio fuisset penes Judaeos auctoritatis. 3. Approbationis hujus non obscurum vestigium prostat in lib. 2. Esdr. cap. 8. ubi narratur Esdram advocata concione in plateam, coram universo populo legem recitasse.

Sed argumenta haec tanti momenti non sunt, ut Simonii atque Dupinii sententiam quatere valeant. Et quoad 1. quidquid sit de Judaeorum consuetudine, de qua Fl. Josephus, illud profecto certum videtur post babylonicam captivitatem solum Esdram sacris corrigendis voluminibus incubuisse; tum quia de aliis sacerdotibus Esdrae adjutoribus altum in Scriptura et in ecclesiasticis auctoribus silentium; tum etiam quia, teste eodem Huetio, sacrorum librorum non alio modo facta est recognitio quam ex antiquo ac integerrimo Codice quem apud se retinebat Esdras, exemplaria exscribendo et propagando quae ad populi usum esse deinceps debebant, ad quod perficiendum solus Esdras satis erat. Ad 2. quando Prophetae ante captivitatem scripta sua publicabant, numquid ut fidem penes populum invenirent magna aliqua convocabatur Synagoga? Minime. Ast Esdras quoque Propheta erat Domini, et maximae in gente sua auctoritatis, atque

idcirco necessaria non fuit sacerdotum aliqua congregatio quo editus a se Canon humiliter reciperetur a Judaeis; praesertim cum captivitatis vicissitudines ex omnium memoria divinorum voluminum nomina non aboleverint. Ad 3. concio per Esdram in plateam advocata nec sacerdotum dumtaxat erat, nec instituta ut Canon approbaretur: sed fuit universi populi congregatio eo fine coacta, quo in eorum memoriam praecepta revocarentur tradita quondam a Moyse. Legatur cap. 8. lib. II. Esdr.

CAPUT V.

De Canone S. Scripturae, primo Judaeorum, deinde Catholicorum.

Esdras ergo Canonem composuit sacrorum librorum, ut capite antecedenti probavimus. Videndum modo quot libros in Canonem ipse retulerit. Et hac quidem in re nulla est inter Eruditos judiciorum dissensio; quum omnes scriptores uno ore fateantur nec plures nec pauciores quam viginti duos libros in Canonicorum album fuisse ab Esdra relatos. Idque patet primitus ex Fl. Josepho rerum Gentilium suorum historico peritissimo, qui laudato saepe lib. I. contr. Appion. ad rem nostram ita fatur: *Infiniti libri non sunt apud nos et sibimet repugnantes: sed solummodo duo et viginti libri habentes temporis totius conscriptionem, quibus juste fides praebetur*. Deinde ex Origene apud Eusebium lib. 5. Hist. eccl. cap. 25. ubi sic inquit: *Sciendum est V. Testamenti libros duos esse ac viginti, sicut ab Hebraeis traditur: qui numerus etiam literarum apud eos habetur*. Praetera ex Hieronymo in Prol. Gal. in haec verba: *Quomodo igitur viginti duo elementa sunt, per quae scribimus hebraice omne quod loquimur, et eorum initiis vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi literis, et exordiis in Dei doctrina, tenera adhuc, et lactens viri justi eruditur infantia*. Denique ex multis aliis christianis scriptoribus quorum nomina brevitati consulens praetermitto, et ex perpetua constantique Judaeorum traditione, penes quos ab Esdra ad praesentem usque aetatem, nec plures nec pauciores quam viginti duo libri tamquam canonici computantur.

Sunt quidem nonnulli qui post Melitonem sardensem apud Eusebium lib. 4. H. E. cap. 26. affirmant libros canonicos apud Judaeos fuisse numero viginti quatuor, et alii cum Epiphanio Haer. 8. viginti septem. Sed horum opinionem a nostra minime differre ex eo liquet, quod qui canonicos libros viginti quatuor constituunt, librum Ruth a libro Judicum, et Threnos a Jeremia secernunt: qui autem enumerant viginti septem, viginti duobus addunt Ruth, libros Regum duos, unum ex Paralipomenis, et unum ex Esdra.

Modus numerandi sacra volumina a Josepho lib. I. contr. Appion. usurpatus, cui nos post Origenem ac Hieronymum aliosque innumeros subscribimus, ita se habet: *Horum ergo* (librorum) *quinque quidem sunt Moysis, qui nativitates continent, et humanae generationis traditionem*

habent usque ad mortem ejus ... A morte vero Moysis usque ad Artaxersem Persarum regem , qui fuit post Xersem , Prophetae suorum temporum res gestas conscripserunt in tredecim libris : reliqui vero quatuor hymnos in Deum , et vitae humanae praecepta noscuntur continere . Melito autem sardensis apud Eusebium loco proxime citato sic Judaeorum canonicos libros enumerat : *Veteris Testamenti libros diligenter didici , eorumque indicem infra subjectum ad te* (nempe ad Onesimum) *misi . Est autem hujusmodi : Moysis libri quinque , Genesis , Exodus , Leviticus , Numeri , Deuteronomium . Josue Nave , Judices , Ruth , Regnorum libri quatuor , Paralipomenon duo , Psalmi Davidis , Salomonis Proverbia quae et Sapientia , Ecclesiastes , Canticum Canticorum ; Job ; Prophetarum , Isaiae , Jeremiae , et duodecim Prophetarum liber unus , Daniel , Ezechiel , Esther .* Epiphanius denique hunc tenet ordinem : *Quinque Moysis , sextus Josue , septimus Judices , octavus Ruth , nonus Job , decimus Psalterium , undecimus Proverbia , duodecimus Ecclesiastes , decimus tertius Canticum , decimus quartus Regum primus , decimus quintus decimus sextus decimus septimus Regum secundus tertius et quartus , decimus octavus Paralipomenon primus , decimus nonus Paralipomenon secundus , vigesimus Isaias , vigesimus primus duodecim Prophetae minores , vigesimus secundus Jeremias , vigesimus tertius Ezechiel , vigesimus quartus Daniel, vigesimus quintus Esdrae primus , vigesimus sextus Esdrae secundus , vigesimus septimus Esther .* Ex quibus apparet libros canonicos penes Judaeos nec plures esse nec pauciores viginti duobus , quamvis scriptores diversam supputandi inierint rationem .

Hos libros in tres classes sive ordines distribuebant olim et adhuc distribuunt Judaei , nempe in *Legem* , *Prophetas* , et *Hagiographa* . Lex complectitur quinque libros Moysis sive Pentateuchum . Prophetae continent libros Josue , Judicum , Ruth , quatuor Regum , Isaiae , Jeremiae , Ezechielis , et duodecim Prophetarum . Hagiographa denique comprehendunt Job , Psalmos , Proverbia , Ecclesiasten , Canticum Canticorum , Paralipomenon , Esdram , Esther .

Quum in Pentateucho , libris Josue , Regum , et Paralipomenon complura laudentur volumina quae jamdiu interciderunt , puta *Bellorum Domini* , *Justorum* , *Recti* , *Verborum dierum Salomonis* , *Regum Juda et Israel* , *Samuelis* , *Nathan* , *Gad* , *Adonis* , *Abiae* , *Jehu etc.* dubium nititur inter Theologos num codices hi fuerint antiquitus in Canone Judaeorum , proindeque et divinae auctoritatis . Origenes nihil definite affirmare audet ; Drusius censet fuisse sacros , sed non canonicos ; Serarius aliquibus tantum divinam tribuit auctoritatem ; S. P. Augustinus , cui calculum nostrum adjungimus , nec sacros fuisse nec canonicos docet his verbis lib. 18. de Civ. Dei cap. 38. *Commemorantur plurima quae ibi non explicantur , et in libris aliis inveniri dicuntur , quos Prophetae scripserunt , et alicubi eorum quoque Prophetarum , nomina non tacentur ; nec tamen inveniuntur in Canone , quem recepit populus Dei . Cujus rei , fateor , causa me latet ; nisi quod existimo , etiam ipsos , quibus ea quae in auctoritate re-*

ligionis esse deberent, sanctus utique Spiritus revelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut Prophetas inspiratione divina scribere potuisse; atque haec ita fuisse distincta, ut illa tamquam ipsis, ista vero tamquam Deo per ipsos loquenti, judicarentur esse tribuenda; ac sic illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, haec ad religionis auctoritatem: in qua auctoritate custoditur canon, praeter quem si qua jam etiam sub nomine veterum Prophetarum scripta proferuntur, nec ad ipsam copiam scientiae valent, quoniam utrum eorum sint, quorum esse dicuntur, incertum est; et ob hoc eis non habetur fides, maxime his in quibus etiam contra fidem librorum canonicorum quaedam leguntur, propter quod ea prorsus non esse apparet illorum. Hactenus de Canone a Judaeis recepto.

Canon autem Catholicorum his verbis integer a Tridentino Concilio sess. 4. quae est de Scripturis canonicis describitur: *Orthodoxorum Patrum exempla secuta (s. Synodus) omnes libros tam V. quam N. Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, ... pari pietatis affectu, ac reverentia suscepit, et veneratur. Sacrorum vero librorum indicem huic Decreto adscribendum censuit. Sunt vero infrascripti: Testamenti veteris quinque Moysis, idest, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus, et secundus qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, idest, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum primus et secundus. Testamenti novi quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, et Johannem. Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti, quatuordecim Epistolae Pauli ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Colossenses, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Galatas, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos. Petri Apostoli duae, Johannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judae Apostoli una, et Apocalypsis Johannis Apostoli. Si quis autem*, subdit s. Synodus, *libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata editione latina habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit*.

Hi omnes libri tam V. quam N. Testamenti a Catholicis universim appellari solent, *Legales*, *Historici*, *Sapientiales* seu *Morales*, *et Prophetici*. Libri legales V. Testamenti sunt qui leges continent, videlicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Historici sunt Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, duo Esdrae, Tobiae, Judith, Esther, Job, et duo Machabaeorum. Sapientiales seu Morales sunt Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, et Ecclesiasticus. Prophetici sunt Psalmi Davidici, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, et duodecim Prophetae minores sic nuncupati. N. Testamenti libri legales sunt quatuor Evangelia, quod doctrinam et

legem a Christo Domino promulgatam contineant. Historici sunt Actus Apostolorum; Sapientiales seu Morales sunt omnes Apostolorum Epistolae. In Propheticorum denique ordinem refertur Apocalypsis Johannis. Libri ergo V. Testamenti juxta Canonem Catholicorum sunt quadraginta quinque; Novi vero viginti septem; omnes simul sumpti septuaginta duo. His hoc modo constitutis sit

CONCLUSIO.

Tridentina Synodus omnes enumeratos libros jure retulit in Canonem; proindeque tamquam canonici ab omnibus habendi sunt ac venerandi.

Prob. I. Ecclesia jus habet declarandi quinam libri in Canonem referendi sint, quinam vero ab eo explodendi; adeoque quidquid ab Ecclesia circa Canonem Scripturarum fuerit definitum, ab omnibus amplecti debet ac venerari, ut ex iis quae in superioribus disputavimus luculenter apparet. Ast Tridentina Synodus veram ac legitimam repraesentabat Ecclesiam; erat enim Concilium legitimum et oecumenicum, ut modo adversus Protestantes supponimus, et in opusculo de conciliis fuse demonstrabimus. II. Si Tridentini Patres ea lege iisque usi fuissent regulis quae ad sacros libros in Canonem referendos necessario praerequiruntur, jure certe ac merito enumeratos superius libros in Canonem retulisset. Verum Tridentinae Synodi Patres iis usi sunt regulis eaque lege quae ad canonicos declarandos libros praerequiruntur. Quae lex seu regula ad Canonem constituendum requisita his verbis a M. Augustino traditur lib. 2. de Doctr. Chr. cap. 8. *In canonicis autem Scripturis Ecclesiarum catholicarum quam plurium auctoritatem sequatur, inter quas sane illae sunt, quae Apostolicas sedes habere et Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas quae ab omnibus accipiuntur Ecclesiis catholicis, praeponat eis quas quaedam non accipiunt: in eis vero quae non accipiuntur ab omnibus, praeponat eas quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis tenent. Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus haberi, quamquam hoc facile inveniri non possit, aequalis tamen auctoritatis eas habendas puto.* Regula haec accuratissima est, non modo quia traditur ab Augustino, sed etiam quia illam secundi tertii et quarti saeculi Patres ut sacros libros referrent in Canonem, usurparunt. Porro Tridentina Synodus et ipsa in condendo Canone sacrarum Scripturarum hac eadem regula usa est. Nam Canon idem a Tridentino exaratus, iisdem totidemque verbis reperitur in Ep. 3. Innocentii I. Rom. Pont. ad Exuperium Episcopum tolosanum scripta anno 400. In concilio Carthaginensi III. habito anno 397. In concilio Carthaginensi IV. cui S. P. Augustinus interfuit anno 419. In concilio Romano sub Gelasio an. 494. Et in concilio Hispalensi an. 893. regulam itaque ab Augustino traditam servarunt in sacrarum Scripturarum condendo Canone Tridentini Patres: atque adeo jure enumeratos superius libros canonicos declararunt, et tamquam canonici ab omnibus habendi sunt ac venerandi.

Obj. 1. cum Novatoribus. Quum circa Fidei dogmata novae non dentur Ecclesiae revelationes, Tridentina Synodus non alios in Canonem V. Testamenti referre poterat libros, nisi illos qui canonici erant penes Judaeos; unde Hieronymus in Prol. Gal. *Quidquid*, inquit, *extra hoc est* (extra scilicet Canonem Judaeorum) *inter apocrypha est ponendum*. Et S. P. Augustinus Judaeos vocat Christianorum capsarios atque librarios. Porro apud Judaeos nonnisi viginti duo libri canonici erant, ut supra demonstratum est. II. Saltem Tridentina Synodus eos libros canonicos definire tantum poterat quos Ecclesiae ut canonicos Apostoli tradiderunt, juxta Augustini regulam paullo ante allatam. Apostoli autem complures tam V. quam N. Testamenti libros Ecclesiae ut canonicos non tradiderunt: Nam veteres Ecclesiae Patres post apostolica tempora modo dubitarunt, modo ex Canone expunxerunt sequentes libros: 1. Tobiam. 2. Judith. 3. aliqua capita Esther. 4. Baruch. 5. Epistolam Jeremiae quae est ad calcem libri Baruch. 6. Sapientiam. 7. Ecclesiasticum. 8. additiones Danielis, nimirum orationem Azariae, hymnum trium Puerorum, historiam Susannae et Beli. 9. priores libros Machabaeorum quoad vetus Testamentum. Quoad Novum vero dubitarunt 1. de Marci capite ultimo. 2. de historia Lucae de Christi agonia. 3. de historia Johannis de muliere adultera. 4. de Epistola ad Hebraeos. 5. de Epistola Jacobi. 6. de secunda Epistola Petri. 7. de secunda et tertia Johannis. 8. de Epistola Judae. 9. de Apocalypsi Johannis. Profecto si relatos omnes libros Ecclesiae tradidissent Apostoli tamquam canonicos, illorum auctoritatem nemo negasset aut revocasset in dubium.

Resp. ad 1. Argumentum hoc cui tantopere fidunt Protestantes, praeoccupatum jam a nobis est in appendice capitis superioris. Libri ergo Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, Machabaeorum, non erant quidem apud Judaeos canonici, habebantur tamen pro sacris et divinitus inspiratis; quoniam aliud est, ut animadvertimus, librum aliquem esse canonicum, et aliud divinitus esse inspiratum. Laudati libri non recipiebantur a Judaeis ut canonici, quoniam clauso, tempore Esdrae, Canone, alius subinde Canon in quem referrentur exaratus non est. Ast per fidem a Synagoga receptam credebant Judaei volumina illa a Spiritu sancto fuisse inspirata. Atque hoc significare voluit, ni fallor, Josephus lib. 1. contr. Appion. ubi postquam scripserat Judaeos non habere nisi viginti duo volumina, e vestigio subdit: *Ab Artaxerse autem usque ad nostrum tempus singula quidem conscripta, non tamen prioribus simili fide sunt habita, eo quod non fuerit certa successio Prophetarum*. Quae verba significant eodem modo quo antecedentia, subsequentia quoque fuisse conscripta, Spiritu sancto videlicet inspirante; sed non parem subsequentia cum antecedentibus obtinuisse auctoritatem, quoniam certa deficiente successione Prophetarum, nemo ausus est novum post Esdram condere Canonem. Hinc potuit Christianorum Ecclesia jure meritoque libros illos in Canonem recensere. Sed

etsi daremus nullam apud Judaeos obtinuisse volumina illa auctoritatem, quod falsum est, cur non potuit illa tamquam canonica recipere Christi Ecclesia? Potuit namque Christus vel per se vel per Spiritum sanctum Apostolis et per hos Ecclesiae revelare eos libros quos tamquam sacros non recipiebat Synagoga, a Spiritu sancto fuisse revera dictatos; atque ita ii libri ante Christi adventum divini erant quoad se, post ea vero divini evaserunt etiam quoad nos. Et hoc sensu S. P. Augustinus lib. 18. de Civ. Dei cap. 36. scribit: *Machabaeorum libri, quos non Judaei, sed Ecclesia pro canonicis habet*. Et alibi: *Non sunt omittendi hi libri, quos quidem ante Salvatoris adventum constat esse conscriptos, sed eos non receptos a Judaeis recipit tamen ejusdem Salvatoris Ecclesia*. Ubi autem Hieronymus libros a Judaeis non receptos appellat apocryphos sic intelligendus est, ut per apocryphum librum significet volumen non relatum in Canonem. Sed aliud est, ut animadvertimus, librum esse canonicum, et aliud divinae auctoritatis. Hinc de libro Judith qui in Canone Judaeorum non est disserens Praef. in Judith, inquit: *Apud Hebraeos liber Judith inter hagiographa legitur: cujus auctoritas ad roboranda illa, quae in contentionem veniunt, minus idonea judicatur ... Sed quia hunc librum synodus Nicaena in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestrae*.

Ad 2. Nos ultro fatemur nonnullos veteres Patres modo in dubium revocasse, nunc vero aperte negasse relatos in argumento libros fuisse canonicos. Hinc Hieronymus e Canone expunxit librum Baruch Praef. in Jer. et alibi. Idem Hieronymus in Prol. Gal. Melito sardensis apud Eusebium, Auctor Synopseos Athanasio tributae, et concilium Laodicenum in Canonem non retulerunt libros Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, et Machabaeorum. Item Gregorius nazianzenus in Carm. de Gen. Script. Auctor Synopseos, et Melito sardensis inter canonicos non computarunt librum Esther; et Hieronymus ejusdem libri septem postrema capita resecavit Praef. in hunc lib. Judaei, quibus adhaerere videtur Hieronymus Praef. in Dan. et Julius africanus apud Eusebium lib. 15. H. E. cap. 13. Susannae, et Belis historiam tamquam adulterinam rejiciunt. Nonnulli Catholici, teste Hieronymo in Ep. ad Hedib. postremum Marci caput non agnoscebant. Alii apud eumdem Dial. 2. adv. Pelag. de historia Agoniae Christi dubitaverunt. Alii historiam mulieris adulterae crediderunt assutam. De Epistola ad Hebraeos, quamquam Hieronymus in Catal. Script. Eccl. canonicam esse et a Paulo exaratam affirmet, in Ep. tamen ad Paul. testatur quod a plerisque extra numerum ponitur. De Epistola Jacobi, altera Petri secunda, et tertia Johannis, ac Epistola Judae sic loquitur Eusebius lib. 3. H. E. cap. 23. *Sciendum est, quod a nonnullis non recipiantur*. Hieronymus in Ep. ad Dard. refert graecos scriptores de Apocalypsis auctoritate dubios fuisse; et Cajus apud Eusebium lib. 3. H. E. cap. 28. censuit Apocalypsim a Cerintho fuisse elucubratam. Haec, inquam, nos ultro fatemur. Contendimus tamen ex quo aliqui dubitaverint an laudati libri librorumque particulae canonici fuerint, non sequi Ecclesiam scripta illa

ab Apostolis tamquam divinitus inspirata non accepisse. 1. Quoniam qui dubitarunt, non satis hoc in capite Apostolorum primitivaeque Ecclesiae sententiam habuere perspectam, quae tamen nota fuit aliis, puta conciliis Carthaginensibus III. et IV. Innocentio I. concilio Romano sub Gelasio, sanctis Cypriano, Augustino, aliisque innumeris: ita ut ab Apostolis ad synodum usque Tridentinam nulla fuerit aetas in qua major scriptorum Ecclesiarumque pars non crediderit eos libros esse revera canonicos. 2. Quoniam id aliis quoque Fidei dogmatibus accidit, quae licet revelata fuerint Apostolis ac per illos Ecclesiae, illorum tamen Traditio adeo fuit obscurata, ut multis in Ecclesia ignota fuerint; proindeque de iis sit dubitatum donec Ecclesiae accessit definitio. 3. Denique quoniam ii etiam qui de illorum canonicitate librorum fuerunt ancipites, fassi sunt libros illos ad nos pervenisse per Judaeos; nihil vel contra Fidem vel contra bonos mores continere; imo dignos fuisse qui a catechumenis ad instructionem, et a baptizatis ad aedificationem etiam publice legerentur. Quum ergo ab his laudentur, ab aliis vero tamquam divina Scriptura habeantur, consequitur Tridentinum concilium jure eos libros canonicos declarasse.

SCHOLION

Quamvis Carthaginensia Romanumque concilium, et ipse Innocentius I. definierint omnes superius enumeratos libros tam V. quam N. Testamenti esse canonicos, nihilominus antequam Tridentinae synodi accederet definitio, videtur non fuisse de Fide quod libri qui in Tridentino decreto recensentur fuerint omnes canonici: alioquin nemini licitum fuisset contrarium affirmare; quum tamen certum sit nonnullos Massilienses post laudatas definitiones dubitasse de libro Sapientiae, ut ex Augustino lib. de Praed. SS. cap. 14. colligitur; Cardinalem Cajetanum eos libros dumtaxat existimasse canonicos quos in Canonem retulerat Hieronymus; et Johannem Driedo, Nicolaum de Lyra, ac Dionysium carthusianum nonnullas sacrorum voluminum particulas e Canone expunxisse. Ratio autem hujus rei, ni fallor, est quod plures veteres ac relati mox scriptores arbitrati sunt Conciliorum Innocentiique definitiones non ubique promulgatas nec ab omnibus fuisse receptas. Ast vero, quum Tridentini concilii definitio de sacrorum Canone librorum ubique fuerit promulgata et in universali Ecclesia recepta, si quis modo de alicujus vel libri vel particulae ambigeret auctoritate is certe erraret in Fide, et cum Novatoribus faceret.

CAPUT VI.

Diluuntur praecipua argumenta quae a recentioribus afferri solent haereticis adversus eos libros de quorum divina auctoritate dubitatum est ab aliquibus ante Tridentinum decretum.

Sed antequam Tridentini decreti apologiam aggrediamur, non abs re

erit breviter indigitare quinam sit Canon sacrarum Scripturarum, tum a veteribus tum a recentioribus heterodoxis receptus. Dividunt hi sacrorum librorum Canonem in infallibilem, et fallibilem. In priori classe eos collocant libros qui, ut ipsi inquiunt, ad Fidei firmanda dogmata valent. In posteriori autem illos quos lectionis ecclesiasticae vocant, quosque negant esse divinitus inspiratos. Cumque ea divisio ab hominibus prodierit extra Ecclesiam degentibus, non unus est penes haereticos Canon.

Et quoad V. Testamentum Manichaei omnes quibus praeiverant Marcionitae, Basilidiani, ac Simoniani integrum V. Testamentum a principio malo dictatum fuisse autumabant. Ptolomaeus quidam mosaicam legem in tres dispescebat partes quarum primam Deo, alteram Moysi, tertiam Synagogae senioribus adscribebat. Nicolaitae, Gnostici, et Samosatenses excludebant Psalmos omnes e Canone quod profana esse cantica putarent. Alii apud Philastrium rejiciebant Ecclesiasten et Canticum Canticorum quod crederent a Salomone cum mulierum detineretur amore fuisse composita. Lutherus, Calvinus, Kemicius e Canone abstulerunt omnes libros qui in Canone desiderantur Judaeorum, libros scilicet Baruch, Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, et Machabaeorum.

Quoad N. Testamentum Alogiani tria admittebant Evangelia, illo Johannis rejecto. Ebionitae recipiebant solum Matthaeum, Cerinthiani solum Marcum, Marcionitae solum Lucam, sed mutilum, Cerdoniani, Tatianique discipuli non admittebant Actus Apostolorum, Helcesitae nec unam Pauli Epistolam, quas omnes admittebant Marcionitae praeter illas ad Titum et ad Timotheum. Lutherus negat Epistolam ad Hebraeos esse Pauli et apostolicam; Calvinus admittit. Lutherus ac Magdeburgenses e Canone expungunt Epistolas Jacobi, Judae, secundam Petri, secundam et tertiam Johannis; Calvinus autem retinet. De Apocalypsi denique pronunciat Lutherus neque prophetico neque apostolico fuisse scriptam spiritu; contrarium tradunt Calvinus et Magdeburgenses. Nobis in animo non est veterum haereticorum argumenta recudere, quum eos satis superque Irenaeus, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, et alii refutaverint. Referemus dumtaxat ac brevissime refutabimus argumenta recentiorum.

Obj. itaque 1. cont. lib. Tob. Liber ille inter canonicos non est accensendus qui mendacia continet; ejusmodi autem est liber Tobiae. Nam I. ejusdem libri cap. 3. et 5. dicitur Sara habitasse in Rages civitate Medorum, atque Tobiam ad eam pervenisse; et cap. 9. narratur eumdem Tobiam misisse Angelum ad Gabelum in Rages. II. cap. 5. testatur Angelus se esse ex filiis Israel. III. et v. sequenti se pluries itinera illa confecisse. IV. et v. 18. se esse Azariam magni Ananiae filium de tribu Nephtali: quae omnia, ut per se patet, contradictiones et mendacia sunt.

Resp. nullam in libro Tobiae contineri contradictionem nullumque mendacium. Et ad 1. fieri potest ut duae fuerint nomine Rages civitates in Media, ut nonnulli arbitrantur. Neque enim novum est ut plures civitates et oppida eodem appellentur nomine. 2. Quamvis una concedatur Rages, ex eaque fuerint Gabelus et Raguel, inverisimile tamen non est

Raguelem in rurali commoratum fuisse domo ubi Tobias receptus fuerit hospitio, ex eaque missum Angelum ad Gabelum in civitatem. 3. Vel dici denique potest errorem in nostram latinam Vulgatam irrepsisse, et pro Ecbatanis, amanuensium oscitantia fuisse appositum Rages; quum in graeca Tobiae versione revera habeatur Ecbatanis. Ad 2. Angelus absque veritatis jactura testari utique potuit se esse ex filiis Israel, quoniam munus protegendi populum sibi a Deo demandatum sciebat. Ad 3. eadem de caussa affirmare citra mendacium potuit se pluries itinera illa more tamen angelico confecisse; nam filii Israel sibi commissi per Assyriam ac Mediam erant dispersi. Ad 4. quum Raphael angelus humana specie indutus Azariae assumpsisset similitudinem, asserere utique potuit se juxta id quod repraesentabat esse Azariam. Ob singularem quam erga tribum Nephtali in qua multi erant justi gerebat tutelam, cur tandem affirmare non potuit se esse de tribu Nephtali?

Obj. 2. adv. lib. Judith. Hoc quoque volumen multis scatet mendaciis. I. Judith cap. 9. se ipsam Simeonis filiam et ex ejus tribu appellat. Et cap. 8. dicitur filia Ruben patris Simeonis; quum nullus in tribu Ruben fuerit Simeon. II. in fine libri narratur celebrare Judaeos usque in praesentem diem solemnia ob reportatam a Judith de Holoferne victoriam; et interim de hac festivitate ne vestigium quidem in vetustissimis Judaeorum ritualibus apparet. III. Judith quae ad facinus perpetrandum a Deo mota supponitur, turpiter mentita est Holoferni cum dixit cap. 9. *Ego adducam te per mediam civitatem*.

Resp. neque in hoc libro vel minimum haberi mendacium. Et ad 1. Judith revera de tribu Simeon erat. Ruben autem qui Simeonis pater hoc in loco dicitur, non est patriarcha suae tribus auctor; sed insignis aliquis ex familia sua qui commemorari meruerit. Ad 2. ut libro huic stet veritas sufficit si dicamus solemnia ob partam a Judith victoriam instituta utique fuisse, sed fuisse per aliquot annos dumtaxat celebrata. Quod vero in ritualibus Judaeorum voluminibus modo non reperiatur, mirari non subit; agitur enim de re antiquissima cujus memoria intercidere potuit, ut accidit nobis etiam Christianis. Vel forte solemnitas illa celebrabatur dumtaxat in urbe Bethulia. Ad 3. licet daremus mentitam fuisse Juditham, non inde sequeretur in Deum refundendum esse mendacium; a Deo enim excitata fuit non ad mentiendum, sed ad celebre illud factum perpetrandum. Ast Judith a mendacio excusari facile potest si animadvertamus Holofernem revera per mediam ductum fuisse Bethuliam, non victorem, ut ipse intellexerat, sed victum et capite imminutum, ut Juditha promiserat.

Obj. 3. contra sex postrema capita libri Esther. Postrema haec capita pugnant cum antecedentibus quae canonica sunt. I. cap. 12. Eunuchorum insidiae a Mardochaeo detectae dicuntur anno Artaxersis 2; et cap. ejusdem libri 2. anno 7. II. cap. 6. narratur nihil omnino mercedis Mardochaeum pro delatione accepisse; et cap. 12. legitur regem praecepisse Mardochaeo ut moraretur in aula, *datis pro delatione muneribus*.

III. in prioribus capitibus rex appellatur Assuerus; in posterioribus autem Artaxerses. IV. capite quinto habetur Esther ad regem non vocatam venisse; capite vero 15. accessisse vocatam. V. nil ergo mirum si e Canone Judaeorum et a Hieronymo et ab aliis exploduntur.

Resp. ad singula. Et ad 1. animadvertendum est septem capita quae in nostra Vulgata postrema sunt, quaedam pertinere ad initium libri ut capita 11. et 12. nonnulla ad medium ut capita 13. 14. 15. et 16. aliqua autem ad calcem, ut caput 10. Rem ita se habere constat ex graecis editionibus ubi omnia haec recto ordine sunt digesta. Insidiarum itaque detectio quae cap. 12. legitur, revera pertinet ad initium libri, sed tamen facta non est nisi anno Artaxersis septimo, prout in cap. 2. narratur. Duo quippe in insidiarum historia consideranda veniunt, somnium scilicet Mardochaei, et insidiarum detectio. Capitibus 11. et 12. quae ut mox ajebam ad libri spectant initium, Mardochaei somnium quod secundo Assueri anno contigit describitur; cap. autem secundo narratur earumdem insidiarum detectio. Nec obstat quod post narratum cap. 11. somnium, statim capitis 12. initio dicatur: *Morabatur autem eo tempore Mardochaeus in aula Regis*; siquidem verba haec ad alia quae immediate cap. 11. praecedunt referuntur, ad tempus videlicet illud quo Mardochaeus somnium patefacere statuit; ibique ponuntur per anticipationem juxta morem S. Scripturae observatum jam ab Augustino lib. 3. de Doctr. Chr. ad sextam regulam Tichonii.

Ad 2. Posita eadem regula anticipationis, facillime solvitur ex muneribus deductum argumentum. Nempe cap. 12. quod ad initium spectat voluminis, mentio fit munerum per anticipationem: de quibus postea fuse loquitur Auctor cap. 6. Vel dici etiam potest bis data fuisse munera Mardochaeo, statim nimirum post detectionem, et subinde cum Assuerus regios ei destinavit honores. Dicitur autem nihil accepisse mercedis, quoniam tam modica delata sunt munera, ut grandi beneficio Regi munificentissimo exhibito non responderent.

Ad 3. Artaxersis Assuerique nomina dignitatem significabant, quemadmodum nomina Pharaonis ac Caesaris, illud apud Ægyptios, haec apud Romanos denotabant. Atque idcirco maritus Esther nunc Assuerus nunc Artaxerses eo in libro appellatur.

Ad 4. Quod contractius ac brevius in cap. 5. narratur, latius id ac lucidius describitur cap. 15.

Ad 5. Plura forte fuerunt olim libri Esther exemplaria, quum a Synagoga magna fuerit opus consarcinatum; proindeque priscis temporibus in Hebraeorum Canone etiam septem capita haec extiterunt. Ob temporum autem injuriam interciderunt; et ex his adornata a Lysimacho graeca versio dumtaxat remansit. Ita docet Origenes in Ep. ad Julium africanum. Hieronymus dum capita haec videtur rejicere, ex Judaeorum sententia magis quam ex sua loquitur. Nam Com. in Ep. ad Gal. cap. 1. versum undecimum capitis 14. libri Esther, *ne tradas Domine sceptrum tuum iis qui non sunt*, tamquam ex divina Scriptura excerptum citat atque com-

mendat. Alii autem, si de novitiis loquamur scriptoribus, Hieronymi non assequnti sententiam absque praevio examine illi subscripserunt. Si vero de veteribus, omittunt illi non sex modo postrema capita, sed et integrum librum.

Obj. 4. contra librum Baruch, Sapientiae, et Ecclesiastici. 1. Liber Baruch a compluribus Patribus non reponitur in Canone. 2. Libri autem Sapientiae et Ecclesiastici ideo a Patribus aliquot ut canonici habentur, quoniam a Salomone editos fuisse arbitrabantur; quae opinio falsa est.

Resp. ad 1. Ideo veteres Patres et Concilia libri Baruch expresse non meminerunt, quoniam existimarunt partem esse Jeremiae. Ita S. P. Augustinus lib. 18. de Civ. Dei cap. 33.

Ad 2. Caussa cur libri Ecclesiastici et Sapientiae habiti sunt pro canonicis, non est quod fuerint a Salomone conscripti, sed quia doctrinam continent divinitus inspiratam. Imo falsum est sanctos Patres existimasse laudatos libros, prout modo leguntur, a Salomone editos fuisse: sed eo sensu Salomoni adscripserunt, quod ex sententiis ab illius libris decerptis compositi fuerint.

Obj. 5. contra additamenta Danielis. I. ea additamenta desiderantur in Bibliis hebraicis. II. multi veteres Patres, quos inter Hieronymus, historiam his additamentis comprehensam ad fabulas amandarunt. III. in his Daniel graece loquens inducitur, quod ridiculum est. IV. cap. 14. Daniel dicitur in lacu leonum sex commoratus diebus quum cap. 5. legatur unica tantum nocte ibi mansisse.

Resp. ad singula. Atque ad 1. etsi ea additamenta in Bibliis hebraicis nunc non existant, probabile tamen est lecta olim ibi fuisse, et avulsa deinceps ab Hebraeis ne posteri progenitorum agnoscerent impuritatem. Ita docet Origenes in Ep. ad Africanum. Ceterum fuisse duo illa capita hebraice adornata demonstrant frequentes hebraismi quibus scriptionem redundare observarunt viri doctissimi.

Ad 2. Nonnulli quidem Patres de Susannae, draconis, ac Beli historia dubitarunt; at alii numero longe majores absque ulla haesitatione divinam tribuunt capitibus illis auctoritatem. Et Hieronymus dum illa respuere videtur, loquitur ex sententia Judaeorum, ut in Apol. II. adv. Rufinum ipse testatur.

Ad 3. respondet Origenes graecas allusiones ex arboribus *Schino*, *Lentisco*, et *Prino* desumptas, non esse Danielis, sed interpretis graeci. Forte Daniel, inquit Origenes, consimilibus usus est allusionibus ex chaldaica lingua desumptis.

Ad 4. dico bis Danielem in lacum fuisse detrusum, semel sub Dario qui Balthasari successit, ut cap. 5. habetur; et iterum sub Cyro rege Persarum, prout legitur cap. 14.

Obj. 6. contra priores duos libros Machab. I. hi duo libri pugnant ad invicem. Nam Antiochi mors diversimode lib. 2. cap. 1. ac ejusdem libri cap. 9. et lib. 1. cap. 6. describitur. Etenim lib. 2. cap. 1. dicitur Antiochus a Sacerdotibus in templo Nannaeae membratim discerptus; capite

autem ejusdem libri 9. mortuus describitur viscerum dolore in montibus, cum victus e Persepoli rediret. Et lib. 1. cap. 6. narratur in Babylonia et in lecto suo prae animi moerore occubuisse. II. errant hi libri in annorum quoque supputatione. Lib. siquidem 1. cap. 1. Antiochus Epiphanes regnare coepisse dicitur anno Graecorum 137. et tamen Eusebius in Chronico omnesque graeci scriptores illius regni initium ad annum Graecorum 153. consignant. Et lib. 1. cap. 6. idem Antiochus mortuus supponitur an. 149. quum lib. 2. anno 148. filius ejus regnare inducatur. III. dissonant etiam ab historia saeculari et exotica. Nam lib. 1. cap. 6. Magnus Alexander primus in graecia regnasse affirmatur; quum historici omnes fidem faciant plures ante Alexandrum in Graecia imperasse. Deinde libro eodem et capite narratur Alexandrum pueris regnum suum divisisse, quod post ejus mortem factum fuisse tradunt Augustinus, Diodorus, et Curtius. IV. cum aliis Scripturae libris non cohaerent; desolatio enim a Daniele praedicta accidisse dicitur lib. 1. cap. 1. sub Antiocho; et interim Christus Matth. cap. 24. eventuram praedixit in novissimis diebus. Rursus septuaginta annorum captivitas quae in libris Regum babylonica appellatur, lib. 2. cap. 1. dicitur persica.

Resp. ad 1. breviter narrando mortis Antiochi historiam. Cum is militum copia Persepolim ut templum ejusque thesauros diriperet advenisset, a Sacerdotibus Dianae dolo in templo cum exiguo comitatu conclusus, lapidibus inhoneste obrutus fuit. Mortem proinde reformidans, per occultum templi Nannaeae aditum per quem penetraverat hostium manus evasit, discerptis interea membratim militibus suis amputatisque capitibus. Hoc sensu lib. 2. cap. 1. narratur Antiochum membratim fuisse discerptum et capite imminutum, in persona videlicet suorum militum. Quum autem Antiochus inde fugam arripuisset, infaustum accepit nuncium de clade Nicanori ac Timotheo ducibus ejus illata a Judaeis; propter quod furore percitus currum agitari praecepit, quo cito Babyloniam reverteretur. Sed quum non longe esset ab Ecbatana Mediae metropoli, peregre in montibus insanabili percussus a Deo ulcere, miserabili obitu impiam animam efflavit. Ita verum est quoque quod de Antiochi morte dicitur lib. 2. cap. 9. quod certe cum mortis historia narrata lib. cap. 6. non pugnat; ubi non definitur an Antiochi mors intra moenia vel extra in vicinioribus montibus acciderit.

Ad 2. Graeci scriptores annos ab initio regni Alexandri supputare consueverunt; atque hic supputandi modus epocha appellatur Lagidarum. Judaei autem annorum supputationem incipiebant ab initio regni Seleuci Nicatoris qui undecim post Alexandrum annis regnare coepit; et haec est epocha Seleucidarum. Praeterea Judaei annum auspicantur a mense Nisan verno tempore; Graeci vero a mense Septembri. Non pugnant itaque libri Machabaeorum cum graecis scriptoribus in assignandis regni Antiochi initiis, quoniam hi Lagidarum, illi autem Seleucidarum aeram sequuntur. Hinc si ab annis 153. juxta graecos scriptores, annos undecim qui ab Alexandri morte ad regni Seleuci Nicatoris initium interfluxerunt demas; et

alios annos quinque quibus Dario debellato regnavit Alexander, ad annum descendes 137. juxta libros Machabaeorum. Quod vero a libri 1. Machabaeorum auctore Antiochus obiisse dicatur anno 149. ab auctore autem 2. an. 148. et rursus Judam hierosolymitanam arcem occupasse an. 150. quod ab Auctore libri 2. evenisse narratur an. 149; et si quae sunt ejusdem generis alia quae unius anni discrimen faciunt, facile solvuntur si meminerimus Auctorem libri 1. annum a mense Nisan auspicari; Auctorem vero libri 2. a mense Tisri seu Septembris: quae diversa anni auspicandi consuetudo unius anni discrimen importat.

Ad 3. Eo sensu libri 1. Machabaeorum auctor affirmat Alexandrum primum in Graecia regnasse, quod eversa Persarum monarchia et Graecorum imperio condito solus in tota Graecia regnaverit. Item nec mendacii librorum Auctor argui potest, quod Alexandrum adhuc viventem pueris imperium suum divisisse referat; quum id Flavius etiam Josephus tradiderit lib. 12. Antiq. cap. 1. Diodorus siculus lib. 18. Biblioth. et Quintus Curtius lib. 10. cap. 15.

Ad 4. Sed neque cum Evangeliis, aut libris Regum libri Machabaeorum pugnant. Non cum Evangeliis. 1. quoniam idem vaticinium multiplicem quandoque habere potest sensum, ut quae de uno dicta videntur, praedicta esse possint de pluribus. 2. quoniam Auctor Machabaeorum Danielis vaticinium non interpretatur, sed ad illud alludat quomodo sancti Patres Scripturae verba aliquando in alium sensum usurpant. Neque cum libris Regum pugnant ex quo babylonica captivitas persica nuncupetur. Nam Auctor non solum eam regionem quae proprie Persides est, sed alias quoque finitimas Persidem vocat. Solet namque Persidis nomen a scriptoribus usurpari ad regiones trans-euphrateas significandas, ut ex Lucano et Chrysostomo liquet.

Obj. 7. adv. Pauli Epist. ad Hebr. Hujus Epistolae Auctor nonnulla contra Fidem, alia contra veritatem historiae tradit; nec a Paulo scripta est. I. nonnulla tradit contra Fidem. Nam cap. 6. affirmat impossibile esse eos qui semel sunt illuminati et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam. Deinde favere videtur Arianis; quum Dei Filium splendorem gloriae, imaginem et figuram Patris appellet. II. aliqua tradit contra veritatem historiae; nam primitus asserit fuisse in Arca Manna, Virgam et Tabulas Legis, et tamen in lib. 3. Reg. mentio fit dumtaxat Tabularum. Praeterea verba illa, *Ego ero illi in Patrem*, quae de Salomone ad literam prolata sunt, usurpat ad Christi demonstrandam generationem. III. non videtur a Paulo exarata; quum initio Pauli nomen non habeat, ab aliis tredecim stilo differat, ac denique veteres nonnulli num haec Epistola Pauli sit dubitaverint.

Resp. ad 1. Docet Apostolus nonnullos peccatores, eos nempe qui in Spiritum sanctum peccant, nullam mereri veniam, eo sensu quo idipsum astruit Matthaeus cap. 12. 2. Omnes sancti Patres affirmant Apostolum de renovatione per iteratum Baptisma loqui, ita ut sensus sit: impossibile est eos qui per Baptisma semel sunt illuminati et subinde prola-

psi sunt rursus renovari per aliud baptisma. 3. Impossibile appellat Apostolus quod difficillimum est. Cumque renovari ad poenitentiam eos qui in Spiritum sanctum peccant sit difficillimum, optime Apostolus inquit: *Impossibile est* etc. Quod e vestigio additur sine ullo solvitur negocio, si animadvertamus Arium primum fuisse qui Epistolam hanc apostolicam esse negavit, ut testatur Haer. 69. Epiphanius; adeo falsum est favere illam Arianorum blasphemiis. Dum igitur Paulus affirmat Filium splendorem esse et figuram et imaginem Patris, confirmat potius quam denegat Verbi cum Patre consubstantialitatem: in divinis quippe eamdem habent naturam ea quae per splendorem et gloriam, per imaginem et prototypum, per figuram et substantiam significantur, scilicet Pater et Filius.

Ad 2. nonnulli respondent non fuisse intra Arcam nisi tabulas Legis; Virgam autem et urnam fuisse juxta ipsam Arcam appensa: atque hoc sensu verum esse quod narrat Apostolus; verum quoque quod in Regum voluminibus legitur. Putant autem alii urnam et Virgam non fuisse quidem intra Arcam tempore Salomonis, sed extitisse tempore Moysis; quod per Traditionem Apostolus sciens, ad illud tempus in Epistola alludit. Verba autem illa, *Ego ero illi in Patrem*, optime de Christo Domino interpretatur Apostolus. Nam quamvis literaliter fuerint de Salomone prolata, mystice tamen referuntur ad Christum, cujus Salomonem typum gessisse Hebraei ad quos scribebat fatebantur. Praeterea, nonne eodem modo argumentatur Apostolus in Ep. ad Rom. cap. 10. et in 1. ad Cor. cap. 9? Nec proinde adversarii affirmant Epistolas illas cum historiae veritate pugnare.

Ad 3. hoc habeto responsum. Non evincitur Epistolam hanc non esse Pauli ex quo nomen ejus initio desideretur; id namque factum est, *quia Paulus scribebat ad Hebraeos, et propter invidiam sui apud eos nominis, titulum in principio salutationis amputavit*, ait in Catal. cap. 5. Hieronymus. Sed neque ex stili a ceteris Epistolis dissonantia; alias siquidem tredecim graece, hanc autem hebraice conscripsit, ut Clemens alex. docet apud Euseb. H. E. lib. 6. cap. 14. Postremo non diffitemur Cajum rom. presbyterum, aliosque nonnullos de hujus Epistolae subdubitasse auctoritate. Sed longe plures sunt et auctoritate majores, qui illam Paulo adscribunt. Audias Hieronymum in Ep. ad Dardan. *Epistola*, quae inscribitur *ad Hebraeos, non solum ab Orientis Ecclesiis, sed ab omnibus retro ecclesiasticis graeci sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipitur*. Ante Origenem ergo et ab Origene ad Hieronymi aetatem, omnes ferme credebant Epistolam hanc Paulum auctorem habere.

Obj. 8. cont. Ep. Jacobi. I. Eusebius lib. 2. H. E. cap. 23. et 25. fidem facit Epistolam hanc a nonnullis admitti; ab aliis repudiari; nec multos ex antiquis illius meminisse. II. non more Apostolorum, sed more potius Gentilium salutationem usurpat. III. merita hominum nimis extollens, adversatur Paulo qui justificationem per Fidem haberi apertissime docet.

Resp. ad 1. ipsius Eusebii verbis, qui H. E. lib. 7. cap. 23. scribit:

Sciendum est quod a nonnullis non recipiatur: nos tamen scimus etiam istam cum ceteris ab omnibus pene Ecclesiis recipi.

Ad 2. eadem Jacobi salutatione usi sunt omnes Apostoli Actor. cap. 15. Nec refert quod Apostoli nomen ea in Epistola non apponatur, quoniam scribebat ad illos qui perspectam dignitatem ejus habebant: atque idipsum praestitit Paulus eadem de caussa in Ep. ad Philippenses, ubi non Apostolum sed Dei servum se dicit.

Ad 3. respondet S. P. Augustinus lib. de Fide et Oper. cap. 14. *Quoniam ergo haec opinio* (Simonis magi) *tunc fuerat exorta, aliae apostolicae epistolae, Petri, Johannis, Jacobi, Judae, contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse Paulus, non qualemlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt.*

Obj. 9. adv. Ep. 2. Petri. Haec Epistola stilo differt a prima, quae dubio procul est Petri.

Respondet S. Hieronymus in Ep. ad Hedibiam stili dissonantiam inter primam ac secundam Epistolam Petri, ortum a diversis interpretibus ducere; non enim uno codemque semper interprete usus est Petrus.

Obj. 10. cont. secundam ac tertiam Johan. I. Papias apud Eusebium lib. 3. H. E. cap. 5. et S. Hieronymus de Script. eccles. tradunt duos fuisse Johannes, apostolum unum, alterum presbyterum: atque a presbytero duas hasce scriptas fuisse Epistolas. II. harum Epistolarum auctor seniorem se, non apostolum nominat.

Resp. ad 1. Papias asserit quidem duos extitisse Johannes. Ast a Johanne presbytero Epistolas fuisse exaratas non affirmat. Hieronymus autem aliorum, non suam prodit sententiam. Quare in Ep. ad Evagr. Johanni evangelistae ambas Epistolas tribuit.

Ad 2. merito Johannes seniorem se dicit, tum quia Epistolas illas in extrema scripsit senectute, tum etiam quia ceteris supervixit Apostolis. Titulus autem Apostoli nec in priori illius Epistola nec in Evangelio invenitur adhibitus, et nihilominus nemo negare ausus est Evangelium ac primam Epistolam ejusdem esse Johannis.

Obj. 11. adv. Epist. Judae. Hujus Epistolae auctor meminit libri Enoch qui apocryphus est; unde S. Hieronymus de Script. eccl. tradit non recipi a multis. Quod idem scripserat jam Eusebius lib. 3. H. E. cap. 23.

Resp. Etiam Paulus testimonia recitat ex Arato, Menandro, et Epimenide poetis profanis. Cur ergo non licuit Judae sententiam assumere ex apocrypho libro? Deinde, num Judas ad Prophetiam Enoch aliquo libro contentam, vel potius ore prolatam et a majoribus per Traditionem acceptam alludat incertum est. Denique Spiritu sancto inspirante potuit utique in apocrypho codice non apocryphum vaticinium dignoscere, illudque ad nos transmittere. Quoad Hieronymum, ipse idem allatis in argumento verbis respondet dicens: *Auctoritatem tamen vetustate jam et usu meruit, et inter sacras Scripturas computatur.* Eusebius autem affirmans

non multos Veteres Epistolae hujus meminisse, jam fatetur plures certe meminisse: iis autem qui eam neglexerunt, concilia Laodicenum et Carthaginensia, Athanasium, hierosolymitanum Cyrillum, Gregorium nazianzenum, Augustinum, aliosque innumeros opponimus.

Obj. ultimo. Liber Apocalypsis nec canonicus est nec a Johanne evangelista scriptus videtur. I. quoniam hoc in volumine Johannes nomen suum saepissime repetit, ac de se in propria loquitur persona; quum in aliis operibus nec nomen apponat, nec nisi ex aliena loquatur persona. II. Johannes idem facit initium Evangelio et Epistolis; eadem utitur phrasi ac verbis eisdem. Ast in Apocalypsi nihil legere est quod cum Epistolis et Evangelio conveniat. III. inquit Auctor Apocalypseos beatum fore qui verba Prophetiae hujus custodierit. Sed quis servare poterit, inquit Lutherus, quod non intelligit? IV. hujus voluminis Auctor Ecclesiae meminit Thyatirae quae Johannis aetate fundata adhuc non erat. V. in graecis codicibus adscribitur Johanni theologo. VI. veteres multi dubitarunt an liber esset Johannis, et an esset canonicus.

Resp. ad 1. Liber Apocalypseos propheticus est, adeoque prophetico more apponere ei nomen debebat.

Ad 2. aliud est Apocalypsis, et aliud Evangelii Epistolarumque argumentum. Nil mirum ergo si Apocalypseos stilus a stilo Epistolarum differt et Evangelii.

Ad 3. quamvis obscurissima plura in Apocalypsi legantur, multa tamen vitae occurrunt praecepta luculentissima, ut constantia in persecutionibus, odium in haereses, fuga a falsis prophetis etc. Comparate ad haec inquit Auctor: *Beatus, qui servat verba Prophetiae hujus*.

Ad 4. quum liber Apocalypsis propheticus sit, potuit de futura Ecclesia Thyatirae velut de praesenti Auctor disserere. Verum non constat adhuc tempore quo liber Apocalypsis scriptus est Ecclesiam Thyatirae non fuisse fundatam. Imo ex Actib. Apost. cap. 16. deducitur non subobscure, jam tum extitisse. Legitur enim mulierem quamdam nomine Lydiam Thyatirenorum purpurariam fuisse a Paulo ad Fidem conversam.

Ad 6. iis qui de Auctore et auctoritate Apocalypsis dubii fuerunt, innumeros apponimus cujusvis saeculi scriptores et Concilia et Pontifices, qui librum hunc a Johanne evangelista scriptum, et canonicum esse tradiderunt. Legant interim tyrones pro omnium sacrorum librorum divina astruenda auctoritate Natalem Alexandrum H. E. suis locis, Melchiorem Canum lib. 2. de locis, Danielem Huetium Prop. 3. et 4. Dem. Evang. Bellarminum lib. 1. de Verbo Dei, Rhemigium Ceiller t. 1. Hist. Gen. sacror. Auctor. et alios.

CAPUT II.

De sensibus sacrae Scripturae.

In sacra Scriptura plures latere sensus nemini dubium est, unde S. P. Augustinus de Doctr. Chr. lib. 3. cap. 27. scribit: *Quid in divinis elo-*

quiis largius et uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina contestantia faciant approbari? Hi antem sensus ad tres praecipue reducuntur; nimirum sacrae Scripturae sensus vel *literalis* est, vel *mysticus*, vel *accommodatitius*.

Sensus sacrae Scripturae literalis ille est qui proxime et immediate ab ipsius sacrae Scripturae profluit verbis. Sensus v. g. literalis horum verborum, *Diliges Dominum Deum tuum*, est ille quem verba ipsa, prout sonant, significant. Sensus autem literalis duplex est, *proprius* scilicet, et *improprius*, qui etiam *metaphoricus* appellatur. Proprius est ille qui ex verbis proprie acceptis proxime exurgit, ut in mox allato exemplo. Improprius vero seu metaphoricus est quem proxime significant verba improprie vel metaphorice sumpta. Metaphora autem, ut norunt omnes, est translatio vocis a propria in aliam minus propriam significationem ob aliquam similitudinem. Sit in exemplum sensus literalis improprii seu metaphorici quod de Christo Domino legitur in Evangeliis, ubi *leo*, *agnus*, *petra*, *vermis*, *vitis etc.* nuncupatur, quae nomina ob aliquam similitudinem quae inter illum et leonem et agnum etc. intercedit, Christo Domino aptantur. Similiter ubicumque sacrae Scripturae Deo pedes, manus, oculos, brachia attribuunt, hae similesque loquutiones sensu plane metaphorico accipiendae sunt.

Hic obiter animadvertendum est sanctos Ecclesiae Patres sacrae Scripturae sensum metaphoricum appellare aliquando mysticum vel figuratum, ad significandum non esse sensum literalem proprie acceptum. Sic v. g. loquutio isthaec, *Ego sum vitis vera, vos palmites*, inquiunt sancti Patres, non est accipienda literaliter, sed mystice seu figurate, quoniam nec Christus vitis vera est, nec nos palmites nisi ob aliquam similitudinem. Quod idem est ac si dicant in ejusmodi loquutione non esse sensum literalem proprie, sed improprie sive metaphorice acceptum.

Disputare solent Theologi num unus Scripturae locus plures habere possit literales sensus. Negantem partem tuetur cl. Estius Orat. Theol. 18; affirmantem vero tenet major Eruditorum pars cui et nos utroque pollice subscribimus. Inquit enim S. P. Augustinus lib. 12. Conf. cap. 31. *Ita cum alius dixerit, Hoc sensit* (Moyses) *quod ego; et alius, Immo illud quod ego; religiosius me arbitror dicere, Cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non omnia illa vidisse credatur, per quem unus Deus sacras litteras vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit?* Et ne quis suspicetur S. Doctorem de pluralitate sensuum qui literales non sint loqui, ita Augustini mentem interpretatur S. Thomas 1. Q. 1. art. 10. *Quia vero sensus litteralis est, quem auctor intendit; auctor autem sacrae Scripturae Deus est qui omnia simul suo intellectu comprehendit; non est inconveniens, ut dicit Augustinus lib. 12. Conf. si etiam secundum litteralem sensum in una littera Scripturae plures sint sensus.* Eadem veritas demon-

strari potest etiam exemplis. In illis verbis, *In principio creavit Deus caelum et terram*, quinque literales sensus nedum a Deo, sed etiam a Moyse intentos inveniri affirmat laudatus Augustinus citato lib. Conf. cap. 20. Idipsum asserit de verbis illis, *Terra autem erat inanis et vacua*. Item vaticinium Danielis, *Erit in templo abominatio desolationis*, templi desolationem factam a Romanis, et templi desolationem ab Antichristo inducendam literaliter significat. Multa alia exempla ne longus sim omitto.

Opponit nihilominus Estius et inquit. I. sensus literalis est mysticorum sensuum fundamentum et veluti substratum; unde unus esse debet. II. omnes ejusdem Scripturae sensus debent esse coordinati. Non essent autem si plures sint literales sensus. III. omnes Scripturae interpretes eo tendunt ut sensum ab auctore intentum inveniant. Ast si plures essent sensus ab auctore intenti, vanus esset illorum conatus, quod nefas est dicere.

Resp. ad 1. Mystici sensus sacrae Scripturae habent utique in sensu literali fundamentum. Ast falsum est unicum dumtaxat esse debere mysticorum sensuum substratum ac fundamentum; plures quippe sensus literales plura fundamenta sunt mysticorum sensuum.

Ad 2. non repugnat ut plures sensus literales ejusdem sacrae Scripturae coordinati non sint, dummodo omnes primario ab auctore sint intenti. Sufficit si sibi non adversentur.

Ad 3. interpretes qui plures literales sensus ab auctore intentos inquirunt, invenient si contextum et circumstantias accurate rimentur, quomodo illos S. P. Augustinus in v. 1. cap. 1. Gen. et alibi invenit. Sicut enim unus idemque auctor plura per unam intendere potuit loquutionem, ita et interpres plures literales sensus inquirere in una loquutione potest.

Sed quasdam oportet tradere regulas pro uberiori literalis sensus intelligentia. *Maxime itaque investigandum est*, inquit Augustinus lib. 3. de Doctr. Chr. cap. 24. *utrum propria sit, an figurata locutio, quam intelligere conamur*. Sit itaque

Regula I. *Quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad Fidei veritatem proprie referri potest, figuratum* (idest metaphoricum) *esse cognoscas*. Ita S. P. ad verbum lib. 3. de Doctr. Chr. cap. 10.

Regula II. *Quae autem quasi flagitiosa imperitis videntur, sive tantum dicta, sive etiam facta sunt, vel ex Dei persona, vel hominum quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt*. Ita Augustinus idem lib. citato cap. 12.

Regula III. *Si praeceptiva locutio est aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata*. Augustinus ibid. cap. 16.

Regula IV. *Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est*. Ibidem.

Regula V. Si aliqua in sacris Scripturis obscura sunt, ex locis apertio-

ribus explicanda sunt. *Ubi autem apertius ponuntur, discendum est quomodo in locis intelligantur obscuris*. Idem ibid. cap. 26.

Regula VI. *Servabitur ergo in locutionibus figuratis regula hujusmodi, ut tamdiu versetur diligenti consideratione quod legitur, donec ad regnum caritatis interpretatio perducatur. Si autem hoc jam proprie sonat, nulla putetur figurata locutio*. S. Pater ibid. cap. 15. Sed legatur integrum opus de Doctr. Christiana.

De sensu mystico.

Mysticus sensus ille est qui mediate a verbis, immediate vero a sensu literali profluit. Ex. gr. verba Psalmi 147. *Lauda Jerusalem Dominum*, literaliter significant; Jerusalem (quae es urbs in Palaestina,) lauda Dominum. Mystice autem significant Ecclesiam militantem vel triumphantem, quae per Jerusalem significantur terrenam, debere laudare Dominum. Mysticus sensus appellari etiam solet spiritualis, quoniam in spiritu magis quam in litera haeret. Is autem triplex est, scilicet *tropologicus*, *allegoricus*, *anagogicus*.

Sensus mysticus tropologicus est ille qui mediate a verbis, immediate a sensu literali eruitur ad aliquid significandum quod morum respiciat instructionem. V. G. vox *lepra* quae in Scripturis corporis morbum literaliter significat, tropologice denotat peccatum.

Sensus mysticus allegoricus est ille quo mediate per verba, et immediate per literalem sensum aliquid indicatur ad Ecclesiam pertinens militantem. Puta vox *Tabernaculum* in sensu mystico allegorico Ecclesiam significat militantem.

Sensus mysticus anagogicus eodem definitur modo, sed per illum denotatur aliquid ad Ecclesiam spectans triumphantem. V. G. *atria Domini*, verba haec literaliter denotant atria materialia; in sensu mystico allegorico Ecclesiam militantem; si sumantur autem in sensu mystico anagogico Ecclesiam significant triumphantem.

Quaeri hoc in loco potest quinam potior sit sensus, literalis an mysticus. Cui quaestioni respondeo sub uno respectu praeferendum esse sensum literalem mystico; sub alio vero respectu sensum mysticum praeferendum esse literali. Si literalis sensus sub hac ratione consideretur quod clavis sit ac fundamentum sensus mystici, nemini dubium quin sit mystico praeferendus. Sensum autem literalem clavem esse et fundamentum mystici sensus, patet vel ex ipsa mystici sensus definitione quam attulimus, quaeque ab omnibus admittitur Theologis. Si autem animadvertamus sensum literalem datum esse a Spiritu sancto propter mysticum, sub hac certe ratione mysticus sensus literali praecellit. Nec verti potest in dubium quin literalis sensus propter mysticum datus sit. Nam explicans Apostolus in 1. ad Cor. cap. 9. mosaicum praeceptum, *Non alligabis os bovi trituranti*, inquit: *Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit?* Regulae nonnullae ad mystici sensus intelligentiam hic subjiciendae sunt.

Regula I. In praecipuis V. Testamenti partibus mysticus sensus reperitur. Patet regula ex Apostolo in 1. ad Cor. cap. 10. scribente: *Omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram.* Et cap. 10. Ep. ad Hebr. subdit: *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem*. Quare Augustinus noster lib. 12. cont. Faust. cap. 7. *Omnia*, inquit, *quae illis continentur libris*, *vel de ipso* (Christo) *dicta sunt*, *vel propter ipsum*.

Regula II. In aliquibus V. Testamenti particulis sensus mysticus non invenitur. Nititur regula haec S. P. Augustini auctoritati, qui lib. 17. de Civ. Dei cap. 3. ita loquitur: *Mihi autem sicut multum videntur errare*, *qui nullas res gestas in eo genere litterarum* (V. Testamenti) *aliquid aliud praeter id quod eo modo gestae sunt significare arbitrantur*; *ita multum audere*, *qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt*. Tradita regula est contra Origenem qui ubique allegorias in V. Testamento inquirebat.

Regula III. Historiae V. Testamenti praeter sensum literalem plures continent aliquando mysticos sensus. Veritas hujus regulae ex iis liquet quae narrantur de Jerusalem, quae literaliter significat urbem; tropologice animam; allegorice Ecclesiam militantem; anagocice Ecclesiam triumphantem.

Regula IV. Nonnulla sunt licet pauca etiam in N. Testamento quae sumi nonnisi mystice possunt. V. G. quod inquit Apostolus in Ep. ad Hebr. cap. 13. *Exeamus igitur ad eum extra castra*, *improperium ejus portantes*.

Regula V. Ad mysticum sensum recte assequendum requiritur oratio, pietas, legisque meditatio juxta illud Psal. 118. *Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi: quia mandata tua quaesivi*. Quoad N. Testamentum ut recto sensu intelligatur, legendus est S. P. Augustinus de Consensu Evangelistarum ubi accuratissimae ab eo traduntur regulae.

De sensu accommodatitio.

Sensus accommodatitius sacrae Scripturae ille est per quem verba accommodantur ad significandum aliquid quod a verbis ipsis sacrae Scripturae nec immediate nec mediate significatur. V. G. verba quae ab Ecclesia pro officio divino in Communi sanctorum Martyrum vel Virginum vel Confessorum recitari solent. Constat enim alio plane sensu fuisse a Spiritu sancto dictata. Ecclesia tamen Sanctis illis de quibus officium celebratur accommodat.

Ex allata mox definitione apparet sensum accommodatitium non esse proprie sacrae Scripturae, sed illius potius qui eo ad aliquid significandum quod a Spiritu sancto intentum non sit, utitur; atque idcirco firmum ex eo non posse desumi argumentum ad Fidei dogmata demonstranda vel formandas regulas morum. Hunc sensum in suis sermonibus usurpavit Ber-

nardus; atque hunc plerique Concionatores e suggestu loquentes solent adhibere. Sed quoniam in eo usurpando decipi facile possumus, nonnullae hic subjiciendae sunt Regulae.

Regula I. Si quis falsum sensum per accommodationem tribuat Scripturae, qui videlicet literali aut mystico sensu contrarius sit, in errorem incidit Montanistarum, qui Montano accommodare solebant quae de Spiritu sancto leguntur in sacris Scripturis.

Regula II. Si qui accommodatitio sacrae Scripturae sensu ad res non pias utatur, temerarii sunt et violatores verbi Dei. Ita Tridentina Synodus sess. 6.

Regula III. Si quis accommodatitium sacrae Scripturae sensum tamquam literalem aut mysticum venditet, cum iis facit quos Hieronymus in Ep. ad Paulinum his verbis redarguit: *Nec scire dignantur quod Prophetae, quod Apostoli senserint: sed ad suum sensum congrua aptant testimonia, quasi grande sit et non vitiosissimum dicendi genus depravare sententias, et ad voluntatem suam Scripturam trahere pugnantem.*

Regula IV. Si quis literalem aut mysticum sensum sacrae Scripturae tamquam accommodatitium proferat, adhaeret Theodoro Mopsuesteno qui hoc modo vaticinia de Christo interpretabatur.

Solent hoc in loco nonnulli Theologi inquirere ad quem spectet germanum tradere Scripturae sensum, adversus Lutheranos et Calvinistas qui ut Ecclesiae Traditionisque contemnant auctoritatem, docere non verentur Scripturam adeo per se facilem esse omnibusque perspicuam, ut quilibet absque ullo externo magisterio, dummodo humilis ad lectionem accedat, vel primo intuitu, vel si paullulum obscura sit, per alia lucidiora loca reconditiores etiam illius sensus scrutari et assequi valeat. Verum quum capite 3. hujus libri fuse demonstraverimus non ab ipsa Scriptura nec a privato cujusque spiritu, sed ab Ecclesia judicium de Scripturarum inspiratione pendere; quaestio haec ex iis quae laudato capite diximus resolvi facile potest. Eadem enim argumenta quae demonstrant non ad Scripturam, non ad privatum cujusque spiritum, sed ad Ecclesiam jus pertinere definiendi quinam libri canonici sint, quinam apocryphi; suadent etiam non ad Scripturam ipsam nec ad privatum spiritum, sed ad Ecclesiam spectare jus germanum tradendi sacrae Scripturae sensum.

COROLLARIUM.

Ex hactenus disputatis colligitur sacram Scripturam non quidem judicem, sed normam esse atque regulam nostrae Fidei controversiarum, morumque formandorum. Si namque divinitus inspirata est, si eo fine inspirata ut quique Fideles mysteria ac dogmata Fidei et regulas morum in ea inveniant, juxta illud Apostoli ad Rom. cap. 15. *Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, quis umquam negare audebit sacram Scripturam regulam esse ac normam ad quam Fides et mores exigi debeant? Qua de re tenetur Theologus in suis dispu-

tationibus, disquisitionibus, concionibus, tractatibus etc. etiam ad sacram Scripturam juxta Ecclesiae sensum acceptam et interpretatam, tamquam ad regulam seu normam confugere, ut ibi mysteria, dogmata, ac regulas morum inveniat: quo sensu scribit idem Apostolus in Ep. 2. ad Timoth. cap. 3. *Ab infantia sacras literas nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per Fidem quae est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. Et in 2. ad Cor. cap. 10. sacras literas appellat arma militiae nostrae dicens: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Dei ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Quibus Apostoli verbis libro huic imponimus finem.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER III.

DE TRADITIONIBUS.

Lotherani, Calvinistae, Sociniani, aliaeque recentiorum haereticorum pestes, agnoscentes propria eorum dogmata nova esse, ac in universali Ecclesia penitus inaudita, ut illa pertinacius defendere queant, solam Scripturam Fidei regulam, ut ad calcem praecedentis libri diximus, et judicem statuunt: quam quidem adeo per se claram esse contendunt, ut ad omnis Fidei dirimendas controversias per se sola sufficiat; Traditiones autem quascumque veluti superstitiosorum hominum inventa rejiciunt et execrantur, blaterantes nullam prorsus sive divinam sive apostolicam dari Traditionem. Multa enim in catholica Ecclesia Fidei dogmata sunt quorum non habetur in sacris literis expressa mentio, quaeque ideo admittuntur quia a Christo, aut a Spiritu sancto Apostolis, et ab his Ecclesiae fuisse revelata, Traditione a Patribus nostris accepimus. Ut illa ergo e medio tollant Novatores, ac in locum illorum alia ab iis inventa sufficiant, Traditionum vim et auctoritatem eliminant, imitatores veterum haereticorum facti. Ante Lotherum siquidem idipsum docuerat Wiclefus, ut testis est Thomas Valdensis lib. 2. Doct. Fid. anti. cap. 19. ante Wiclefum nonnulli apud Bernardum Hom. 65. in Cant. qui pestiferam hanc doctrinam a Pelagianis et Arianis hauserant, de quibus S. P. Augustinus lib. de Nat. et Gr. cap. 39. et lib. 1. cont. Maxim. a Macedonianis et Eutychianis a Basilio in Ep. ad Amphil. refutatis, a Gnosticis ac Valentinianis, hujusque furfuris aliis quos Irenaeus lib. 3. adv. Haer. cap. 2. perstringit. Contra itaque nefandam hanc haeresim pertractaturi videndum est 1. quid et quotuplex sit Traditio. 2. An dentur divinae Traditiones. 3. Utrum ex ipsis ineluctabile peti possit ad stabiliendam Fidem moresque reformandos argumentum.

CAPUT I.

Quid et quotuplex sit Traditio.

Traditio ergo universim accepta est doctrina ab uno alteri communicata sive oretenus, sive etiam scripto. Hoc Apostolus in Ep. 2. Thessal. cap. 2. exprimere voluit dicens: *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Si stricte autem loqui velimus, Traditionis nomine nil aliud intelligitur quam doctrina quaedam non scripto, sed viva voce de aure in aurem successive tradita. V. G. hoc in tumulo majorum ossa jacere, per Traditionem viva voce successive nobis communicatum novimus. Utraque haec definitio sacris ex aequo profanisque Traditionibus aptari potest. Non enim sola Fidei aut morum aut disciplinae doctrina sive scripto sive oretenus communicata Traditio appellari potest: sed scita quoque Philosophorum aut Veterum gesta, hisque similia quorum fama vel viva voce vel literis tradita ad nos usque pervenit, dici possunt Traditiones. Nos autem cum haereticis disputantes nonnisi de Traditionibus sacris pertractabimus.

Hoc sensu igitur sumptae Traditiones spectari possunt vel ex parte auctoris, vel ex parte materiae, vel secundum rationem ipsarum Traditionum. Traditio sacra ex parte auctoris considerata, dividitur in divinam, apostolicam, et ecclesiasticam. Traditio sacra comparate ad materiam, vel circa Fidem ac mores, vel circa disciplinam, vel circa ritus et caeremonias versatur. Traditio demum, secundum Traditionis ipsius rationem spectata, dividitur in necessariam et arbitrariam, in perpetuam et temporalem, in mutabilem et immutabilem. Singularum hic apponendae sunt definitiones.

Traditio divina est doctrina a Christo divinitus revelata Apostolis, et ab Apostolis Ecclesiae, non in Scripturis, sed viva voce dumtaxat. V. G. doctrina de perpetua Deiparae virginitate, de baptizandis etiam ante rationis usum parvulis etc. dicitur non scripta, in libris nempe canonicis. Ceterum potest scripta inveniri aut in sanctis Patribus aut in Conciliis etc. Ita allata mox exempla de perpetua Deiparae virginitate ac de Baptismate puerorum, non in libris canonicis, sed in Patrum, Conciliorumque codicibus scripta inveniuntur. Hoc sensu Tertullianus lib. de Cor. Mil. inquit: *Si leges postules, Scripturam nullam inveniam; Traditio tibi protenditur auctrix.*

Traditio apostolica est doctrina ab Apostolis, Spiritu sancto dictante, non scripto, sed voce Ecclesiae communicata, ut institutio Quadragesimae, Fidei symbolum a Catechumenis Baptismo expiandis recitandum, diei Dominici loco Sabbati observatio etc. Traditionem divinam et apostolicam significavit Apostolus in 1. ad Cor. cap. 11. ubi inquit: *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis*. Et cap. 7. *Ego dico, non Dominus*.

Traditio ecclesiastica dicitur illa quae nec a Christo nec ab Apostolis instituta est, sed vel ab Ecclesiae auctoritate, vel ab usu populorum ab Ecclesia probato ducit originem. Hujus generis sunt abstinentia a carnibus certis anni diebus, solemnitas ac observatio Festorum, ordo precum, aliaque similia. Traditio haec aliquo sensu humana potest appellari, quatenus nimirum nec a Christo dimanat nec ab Apostolis. Verum quoniam ab hominibus suprema potestate, hoc est auctoritate ecclesiastica fretis est instituta, vim legis habet. Quod si Traditio ejusmodi sit universalis, ut aquae benedictae, exorcismorum, aliorumque similium usus, omnes omnino obligat Fideles. Si vero sit Traditio alicujus dumtaxat Ecclesiae, eos tantum obstringit apud quos ea Traditio recepta est, ut mos jejunandi in Sabbato, de quo S. P. Augustinus loquitur in Ep. ad Casulanum.

Traditio de Fide est doctrina quae licet in libris canonicis non reperiatur; nihilominus ut verum Fidei dogma creditur atque tenetur, ut dogma de non rebaptizandis haereticis, de Canone sacrarum Scripturarum, de sanctarum Imaginum cultu.

Traditio de moribus ea est qua aliquid ad mores pertinere tenemus, quamvis expressa in sacris literis mentio de eo non fiat, ut jejunium, monachalis institutio, abstinentia in die Dominico ab opere servili.

Traditio circa disciplinam doctrina illa dicitur qua praescribitur ali-

quid quod ad Fidei ac morum servandam doctrinam valde utile est. Collatio v. g. Baptismi per trinam immersionem vel per ablutionem.

Traditio de ritibus ac caeremoniis externa respicit signa quibus res sacrae sunt peragendae, ut Traditio qua scimus hos potius quam illos adhibendos esse ritus in Baptismi administratione, has magis quam illas in exorcismis usurpandas esse caeremonias etc.

Traditio necessaria tradita doctrina est in forma praecepti, adeoque necessario servanda, ut traditio de materia et forma Sacramentorum, Paschatis celebratio die Dominica post lunam 14. Martii.

Traditio autem libera sive arbitraria traditur in forma consilii, ejusque observatio libera est, ut aspersio aquae lustralis vespere ac mane facienda etc.

Traditio perpetua praescripta est ut duret in perpetuum, veluti est traditio de numero et ministro Sacramentorum.

Traditio temporaria ea est quae servari debet ad tempus, ut fuit legalium observatio initio Ecclesiae.

Traditio immutabilis variari non potest, licet temporis aut locorum circumstantiae mutentur, v. g. traditio de materia ac forma Sacramentorum, de necessaria ad illa suscipienda dispositione etc.

Traditio demum *mutabilis* pro variis personarum, temporum, et locorum circumstantiis variari potest, ut ritus et caeremoniae quibus res sacrae peraguntur.

Nunc regulae nonnullae subjiciendae sunt quibus divina Traditio ab humana et vicissim discerni facile queat; non enim Traditiones nostras Pharisaeorum more cum divinis et apostolicis, ut calumniantur haeretici, confundere volumus. Sed antequam ad rem accedamus, tamquam certum principium statui debet, quod post Christi Apostolorumque mortem novae circa Fidem et mores non fiunt in Ecclesia revelationes. Ex hoc enim principio plurium regularum veritas et ratio dependet. Non fieri autem Ecclesiae novas circa Fidem et mores revelationes patet 1. ex eo quod Christus omnia quae ad Fidem ac mores spectant, partim per se, partim per Spiritum sanctum quem in sacro Pentecostes die misit, Apostolis et per Apostolos Ecclesiae suae revelavit. Hinc Tertullianus de Praescript. cap. 22. *Solent dicere*, inquit, *non omnia Apostolos scisse: agitati dementia, qua rursus convertuntur, omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnibus omnia tradidisse; in utroque Christum reprehensioni subjicientes, qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit*. 2. Si novae circa Fidem et mores fierent in Ecclesia revelationes, sequeretur illos qui antequam circa dogma aliquod nova revelatio fieret ex hac vita migrarunt, integram, explicitam, perfectamque non habuisse Christi Fidem. 3. Sub novae revelationis obtentu unicuique via pateret nova circa Fidem et mores dogmata venditandi: quod est contra Apostoli mentem in 1. ad Timoth. cap. 6 expressam: *O Timothee, depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa Fidem excide-*

runt. In quam sententiam ita Vincentius Lerinensis scribit Comt. cap. 22. *Quid est depositum? Id est quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinae; non usurpationis privatae, sed publicae Traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam*.

Animadvertendum praeterea est in sanctorum Patrum operibus regulas ad divinas ab humanis discernendas Traditiones reperiri, sed de iis ex professo tractavit Vincentius qui Theodosio et Valentiniano regnantibus scripsit, cujus verba viam nobis ad ejusmodi inveniendas sternent. Sic enim inquit Com. cap. 3. *In ipsa item catholica Ecclesia magnopere cavendum est ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est ... Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem*. Ex allatis, inquam, verbis sequentes profluunt regulae.

Regula I. Doctrina quam ubique universalis Ecclesia de Fide tenet, quaeque in sacris literis non invenitur, divina est non humana Traditio. Quum enim Ecclesia errare in Fide non possit, quidquid de Fide credit, a Deo sit revelatum oportet. Sed post Christi Apostolorumque mortem quum novae non fiant Ecclesiae revelationes, consequitur accepisse illud a Christo et Apostolis per Traditionem. Hinc Lerinensis laudato proxime loco ait: *Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam Fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia*. Regula confirmatur ex Irenaeo lib. 1. adv. Haer. cap. 2. ex Tertulliano, qui lib. de Praescr. cap. 28. *Ceterum*, inquit, *quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum*. Vide etiam Cyprianum lib. 3. cap. 13. et Augustinum adv. Julian. lib. 5. Dixi de Fide, quoniam si pia dumtaxat credulitate doctrinam illam universalis Ecclesia teneat, dubium est an divina vel humana sit Traditio.

Regula II. Doctrina non scripta quam particularis aliqua tantum Ecclesia tenet, non est divina, sed humana Traditio. Quidquid enim in Ecclesia divinum est, suam a Christo et ab Apostolis ducit originem. Quod autem a Christo descendit et ab Apostolis, non alicui particulari, sed universali Ecclesiae revelandum erat, quum una sit Fides. Hinc Vincentius Lerinensis cap. 4. *Quid igitur*, inquit, *tunc faciet Christianus catholicus, si se aliqua Ecclesiae particula ab universalis Fidei communione praeciderit? Quid utique, nisi ut pestifero corruptoque membro sanitatem universa corpori anteponat?*

Regula III. Doctrina in canonicis libris non scripta quam semper, hoc est, quovis saeculo universalis Ecclesia credidit, divina est, non humana Traditio. *Sequemur*, inquit Lerinensis cap. 3. *antiquitatem ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus quos sanctos Majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est*. Et Tertullianus de Praescr. cap. 21. *Id est dominicum et verum, quod est prius traditum*.

Regula IV. Doctrina quae non semper in Ecclesia viguit, licet modo ab universali admittatur Ecclesia, non est divina, sed ecclesiastica Traditio.

Regula V. Doctrina quam Patres unanimi consensu tradunt, quamvis in sacris expressa non sit literis, credendum est ex divina et apostolica descendere Traditione. Lerinensis ibidem: *Sequemur consensionem quoque, si in ipsa vetustate, omnium, vel certe pene omnium Sacerdotum pariter, et Magistrorum definitiones, sententiasque sectemur*. Et hujus regulae ratio manifesta est, quoniam quidquid unanimi consensu Patres docent, de Fide est. Quidquid de Fide est, vel a Deo in Scripturis revelatum esse debet, vel a Christo Apostolis, et ab Apostolis Ecclesiae traditum.

Regula VI. Doctrina quae a paucis scriptoribus contra aliorum sententiam traditur, humana est, non divina. *Quod si*, subdit Lerinensis loco saepe citato, *in ipsa vetustate duorum aut trium hominum, vel certe civitatis unius, aut etiam provinciae alicujus error deprehendatur; tunc omnino curabit ut paucorum temeritati vel inscitiae, si qua sunt universaliter antiquitus, universalis Concilii decreto praeponat*.

Regula VII. Doctrina quam semper universalis Ecclesia tenuit, quaeque auctoritatem excedit humanam, aut quamvis ab Ecclesia institui potuerit, in Conciliis tamen instituta non videtur, divina, non humana Traditio est. Traditur regula haec ab Augustino lib. 4. cont. Donat. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur*.

Regula VIII. Doctrina quae semper in praecipuis et apostolicis Ecclesiis, quarum Episcoporum numquam fuit interrupta successio servata est, non humana proculdubio est, sed divina Traditio. Ex Tertulliani lib. de Praescr. regula sumpta est, ubi sic inquit: *Quid praedicaverunt Apostoli, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt, tam viva voce, quam per Epistolas postea. Si haec ita sint, constat proinde omnem doctrinam quae cum illis Ecclesiis apostolicis, matricibus, et originalibus Fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit*.

Regula IX. Doctrina quae apostolicarum Ecclesiarum Fidei contraria est, etiamsi teneatur ab aliquibus, humana est, non divina Traditio. *Reliquam omnem doctrinam*, scribit laudato loco Tertullianus, *de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem Ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi*.

CAPUT II.

An admittendae sint divinae Traditiones.

CONCLUSIO I.

Admittendae sunt divinae Traditiones.

Prob. 1. ex Script. Jeremias cap. 6. ita N. Testamenti cultores prophetice alloquitur: *State super vias, et videte, et interrogate de semi-*

tis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea. Prov. cap. 1. *Audi, fili mi, disciplinam Patris tui, et ne dimittas legem matris tuae*. In quae verba Epiphanius Haer. 76. scribit: *A Salomone scriptum est: Audi, fili, sermonem patris tui, et ne repellas legem matris tuae. Quibus patrem, hoc est Unigenitum Deum cum Spiritu sancto, declarat partim scripto, partim sine scripto docuisse; matrem vero nostram Ecclesiam decreta quaedam habere penes se, quae dissolvi et everti nequeunt*. Eccli. cap. 8. *Non te praetereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt a patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum*. In N. autem Testamento haec praecipua occurrunt momenta. Paulus in 2. ad Timoth. cap. 1. *Formam*, inquit, *habe sanorum verborum, quae a me audisti ... Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum*. Haec de Traditionibus dicta esse testatur Chrysostomus Hom. in hunc loc. dicens: *Ne igitur minus aliquid doctrinae habere putemus. Plurima illi absque scripto tradidit, quae nunc ad memoriam revocans, dicit: Formam habe sanorum verborum*. In 2. ad Thessal. cap. 2. *Itaque, fratres, state, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*. In quod testimonium Chrysostomus Orat. 4. ait: *Hinc perspicuum est, quod non omnia tradiderunt per Epistolas, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque fide digna esse. Quamobrem Ecclesiae quoque Traditionem censemus esse fide dignam. Est Traditio? Nihil quaeras amplius*. Haec perspicua sunt pro catholica sententia.

Prob. 2. Extiterunt divinae Traditiones omni tempore, in lege nimirum naturae, in lege mosaica, et initio legis evangelicae; cur ergo nunc admittendae non sunt? Extiterunt inquam in lege naturae hoc est ab Adam usque ad Moysem, quo tempore vera sane vigebat Religio, in qua unius summi Dei cultores plura ad salutem necessaria Fidei dogmata credebant; v. g. mundum a Deo fuisse conditum, Messiam fore venturum, existere originale peccatum, aliquod dari ad ipsum delendum remedium, aliaque hujusmodi. Haec autem non per Scripturas quae tunc non exstabant, sed per Traditionem a Patribus acceptam didicerant. Tempore quoque legis scriptae multa a judaica gente per Traditionem Fidei dogmata admittebantur; puta Fides de sacrorum inspiratione voluminum, de remedio ad originale peccatum tollendum in foeminis, de figurata per cruenta sacrificia morte Messiae, et alia similia. Haec sane nonnisi per Traditionem ad Fidem spectare tenebant Hebraei; ad quae alludere videtur David Psal. 77. *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera*. Demum Christum Dominum nihil quod canonicum sit scripsisse, imo nec Apostolis suis ut Evangelia in literas referrent jussisse, norunt omnes, et colligitur ex quo mandatum eis dederit dumtaxat de annuncianda hominibus Fide oretenus: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae*; ut adimpleretur quod praedictum fuit a Prophetis, novam videlicet legem in cordibus prius quam in tabulis atque membranis fore scribendam. Literis subinde mandarunt Evangelistae Epistolas et Evangelia, sed diu postquam

Christi Fides spargi coepit; et non omnes nec omnia scripserunt. Quare inquit Johannes cap. ultimo: *Sunt autem et alia multa, quae fecit Jesus: quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros*. Et Ep. 2. subdit: *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum: spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui*. Et tamen ab initio praedicationis Christi usque ad tempus illud quo omnia apostolica edita sunt scripta, vera vigebat inter homines N. Testamenti Fides et lex. Existebat ergo penes illius temporis Fideles divina Traditio. Quidni ergo dicamus nunc etiam existere? Neque enim reponi potest non existere nunc Traditionem, quoniam existit Scriptura; non omnia siquidem, ut mox ajebam, scripta sunt in Evangeliis.

Prob. 3. ex Conciliis. In V. generali Synodo ita definitiones concluduntur: *Cum igitur haec ita recte confessi sumus, quae tradita nobis sunt, tam a divinis Scripturis, quam a SS. PP. doctrina ... Si quis conatus fuerit contra haec quae pie disposuimus, vel tradere, vel docere etc.* In Synodo VI. catholicum dogma definitum est *per testimonia sanctorum ac probabilium Patrum, ostendentia duas voluntates, et duas operationes in Domino et Deo Salvatore nostro J. Christo*. Patres septimae Synodi hanc adversus Iconoclastas Fidei ediderunt definitionem: *Fatemur unanimiter nos ecclesiasticas Traditiones sive scripto sive consuetudine valentes et decretas retinere velle, quarum de numero est Imaginum effiguratio*. Concilium generale VIII. eadem fere utitur phrasi: *Quapropter sanctiones Ecclesiae catholicae et apostolicae per Traditionem ... acceptas, servandas, custodiendas, ut profitemur*. Eodem prorsus modo loquutos fuisse Patres posteriorum omnium Conciliorum nec ipsi diffitentur haeretici. Qua de re non erraruut Tridentinae synodi Patres, cum sess. 4. definierunt: *Omnem salutarem veritatem et morum disciplinam contineri in libris scriptis, sine scripto Traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt*. Hoc ipsum omnium omnino Patrum, quorum testimonia sequenti propositione afferemus, confirmat auctoritas.

CONCLUSIO II.

Divinae et apostolicae Traditiones sunt in Ecclesia necessariae.

Prob. 1. Necesse est ut in Ecclesia libri canonici a non canonicis absque erroris periculo secernantur; secus fieri posset ut christiana Religio humani verbi dumtaxat niteretur auctoritate. Ast libri canonici a non canonicis nequeunt absque erroris periculo discerni nisi per divinam et apostolicam Traditionem. Nam tres esse possunt viae ad canonicos a non canonicis libros dignoscendos, videlicet vel ipsa Scriptura, vel cujusque Fidelis privatus spiritus, vel denique Traditio. Per ipsam Scripturam, aut cujusque Fidelis spiritum privatum sacros libros a non sacris non posse discerni, fuse harum Institutionum lib. 2. cap. 3. demonstravimus; unde necessaria est Traditio.

Prob. 2. Necesse est ut absque erroris periculo genuinum sacrae Scripturae sensum a non genuino distinguamus; alioqui nil certi poterimus ex Scripturis eruere. Non potest autem genuinus Scripturae sensus a non genuino discerni nisi per solam Traditionem: Scriptura enim per se obscura est; unde Psal. 118. David inquit: *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam*. Et Eunuchus Reginae Candacis Actor. cap. 8. interrogatus a Philippo num quemdam Isaiae locum intelligeret respondit: *Quomodo possum* (intelligere,) *si non aliquis ostenderit mihi*? Unde S. P. Augustinus Praef. in Psal. 140. *Sunt*, inquit, *in Scripturis sanctis profunda mysteria, quae ad hoc absconduntur, ne vilescant; ad hoc quaeruntur, ut exerceant; ad hoc aperiuntur, ut pascant*. Porro Scripturarum isthaec obscuritas per ipsam Scripturam, ut Lutherani contendunt, vel per privatam cujusque persuasionem, ut docent Sociniani, aperiri non potest: idque iisdem de caussis ob quas per Scripturam aut spiritum privatum idoneum ferri nequit judicium de sacrorum librorum inspiratione, ut in superioribus demonstravimus. Itaque ut Scripturarum tollatur obscuritas, necessaria est divina Traditio. Accedit his quod qui ab initio Ecclesiae ad haec usque tempora in sacrarum interpretatione literarum Traditione uti noluerunt, praecipua Scripturae loca etsi minime obscura, quibus nostrae Fidei statuuntur articuli, in perversos semper sibique contrarios sensus distraxerunt. Apertissimis et haud ambiguis testimoniis aperitur in Scripturis Dei Unitas, Trinitas Personarum, Spiritus sancti divinitas, realis Christi in Eucharistia praesentia, aliaque similia. Nihilo tamen secius Manichaei, Paulianistae, Ariani, Macedoniani, Zuingliani, ceterique hujus furfuris homines qui divinas aspernantur Traditiones, ea Scripturae loca quae memoratos Fidei articulos probant, in quot sibi contrarios sensus explicarunt ac detorserunt? Optime itaque Vincentius Lerinensis Com. cap. 2. inquit: *Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt: sed ejusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur; ut pene quot homines sunt, tot illic sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus etc. aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur*. Et cap. 28. *Hoc facere magnopere curabunt ... ut divinum Canonem secundum universalis Ecclesiae Traditiones, et juxta catholici dogmatis regulas interpretentur*.

Prob. 3. Multa Fidei dogmata nobis, Lutheranis, Calvinistis, aliisque heterodoxis communia sunt. V. G. adversus Helvidium Deiparam fuisse perpetuo virginem, adversus Apollinaristas Christum Dominum descendisse ad inferos, contra Anabaptistas ante usum rationis baptizandos esse pueros etc. Horum autem aliorumque similium dogmatum, aut nulla aut nonnisi obscura in sacris literis occurrit mentio; unde admittantur oportet divinae Traditiones. Si namque Helvidiani, Apollinaristae, Anabaptistae, laudata mox dogmata praefracte ut faciunt denegent, Lutherani et Calvinistae quo se vertent ut illos revincant? Non ad Scripturam, quia

ut animadvertimus, vel nulla vel obscurissima horum ibi dogmatum fit commemoratio. Non ad spiritum privatum, quoniam a contrario spiritu se edoctos esse adversarii reponent. Itaque aut fide dumtaxat humana et fallibili dogmata nonnulla haeretici credunt, aut coguntur admittere Traditiones. Hinc Grotius et ipse de numero Protestantium, in Annot. ad Consult. Cassandri: *Et jam Protestantes*, inquit, *quae tuentur, ea non sunt* αὐτολεξεὶ (ad verbum,) *in sacris litteris. Dicunt admittendes esse consequentias. At ipsi consequentias saepe admittunt ex privato cujusque ingenio. Catholici vero eas admittunt consequentias, quas admisit vetus Ecclesia antiquo et universali consensu. Atque ita stat omne verbum in duobus testibus, in Scriptura et in Traditione, quae mutuo facem sibi allucent.*

Prob. 4. unanimi Patrum consensu, nam Conciliorum definitiones paullo supra recitavimus. Irenaeus lib. 3. cap. 4. *Quid*, inquit, *si neque Apostoli quidem Scripturas nobis reliquissent? Nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis quibus Ecclesiam committebant?* Quo sane in loco Traditionis nomine Scriptura nequit intelligi, ut comminiscitur Grabius, quum unum ab alio diserte secernat; unde e vestigio subdit: *Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum eorum qui Christum credunt sine charta et atramento, scriptam habentes per Spiritum in cordibus salutem, et veterem Traditionem custodientes*. Tertullianus per totum librum de Praescriptionibus ita divinas apostolicasque commendat Traditiones, ut iis solum ad revincendos haereticos utatur. In lib. autem de Cor. Milit. cap. 4. inquit: *Harum et aliarum hujusmodi disciplinarum si legem expostules, Scripturam nullam invenies; Traditio tibi praetenditur auctrix, et fides observatrix*. Gemina habet lib. de jejun. cap. 11. et lib. 5. cont. Marc. cap. 17. Origenes in cap. 6. Ep. ad Rom. *Ecclesia*, inquit, *ab Apostolis Traditione accepit etiam parvulis Baptismum dare*. Stephanus R. P. in causa Rebaptizantium: *Nihil*, ait, *innovetur, nisi quod traditum est;* in quae verba ita Vincentius Lerinensis scribit Com. 1. cap. 9. *Intelligebat enim vir sanctus et prudens nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia qua fide a Patribus suscepta fuerant, eadem fide filiis consignarentur*. Athanasius Ep. pro Decret. Nic. syn. contra Arianos: *Ecce*, inquit, *nos demonstramus istiusmodi sententiam a Patribus ad Patres quasi per manus traditam esse*. Epiphanius Haer. 60. scribit: *Sed et Traditione quoque opus est; neque enim ex Scriptura peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, Traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt*. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 25. *Dogmata et instituta quae in Ecclesia praedicantur, quaedam habemus e doctrina scripto prodita, quaedam rursus ex Apostolorum Traditione ... quorum utraque parem vim habet ad pietatem; nec his contradicit quisquis sane vel tenuiter expertus est quae sint jura ecclesiastica*. Sententia haec rem nostram ita conficit, ut ea pressus Hermannus existimaverit aliena manu in Basilii opera fuisse intrusam. Sed fallitur apertissime, tum quia eadem eisdemque verbis tradit Basilius cap. 29.

et Hom. 28. tum etiam quia mox allata verba ex integro recitat in Orat. 1. de Imag. Johannes damascenus. S. Gregorius nyssenus lib. 3. cont. Eunom. haec habet: *At ne mihi aliquis obstrepat ... sciatis sufficere nobis ad nostri dogmatis probationem, quod venientem ad nos e majoribus Traditionem habemus velut haereditariam quamdam per successionem ab Apostolis continuata per sequentes Sanctos serie transmissam*. Infinitus essem si omnia S. P. Augustini loca Traditionis necessitatem demonstrantia in medium afferre vellem. Satis sit illius recitare verba quae ex Ep. 54. ad Januarium deprompta sunt, ubi ita scribit: *Illa autem quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis ... commendata atque statuta retineri*. Interim legantur lib. 2. cont. Donat. cap. 7. lib. 5. cap. 23. et 24. Item lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 23. lib. 2. adv. Jul. etc. Mitto Chrysostomum, Hieronymum, et eos qui initio Ecclesiae floruerunt, Papiam nempe, Justinum, Ignatium, quorum testimonia collegerunt Annatus, Natalis Alexander, l' Hermenier, Bellarminus, Bacchini, Tonti, Moreau, aliique.

CONCLUSIO III.

Divina Traditio pari pietatis affectu suscipienda est ac ipsum Dei verbum scriptum.

Haec propositio ex superius demonstratis manifesta est, et rursus hac ratione suadetur. Nil aliud est divina Traditio quam ipsum Dei verbum, ut jam saepe monuimus; alioquin non divina esset, sed humana: nec aliud Traditionem divinam inter ac sacram Scripturam discrimen intercedit, nisi quod haec literis consignata est, illa vero oretenus tradita. Quare pari studio eodemque pietatis affectu ac sacra Scriptura, divina Traditio amplectenda est. Deinde Apostolus in 2. ad Thessal. cap. 2. *State*, inquit, *ac tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem*, (en Traditio,) *sive per epistolam nostram*. Eodem modo loquitur in 1. ad Cor. cap. 2. in 2. ad Timoth. cap. 1. et alibi saepe. Quibus in locis eamdem vim auctoritatemque Traditioni ac sacris Scripturis adscribit. Accedunt Conciliorum sanctorumque Patrum sententiae in superioribus laudatae propositionibus. Nam Concilia et Patres docent 1. divinas Traditiones verbi Dei scripti tenere locum; quum necesse minime fuerit omnia in literas referre. 2. Docent auctoritate et exemplo haereticos omnes Scripturis ex aequo ac Traditionibus esse revincendos; et ubi Scripturae non suppetunt, recurrendum esse ad Traditionem. Docent 3. doctrinam quam Traditione tenemus, a Christo datam esse Apostolis oretenus, et ab Apostolis Ecclesiae; proindeque esse ipsum Dei verbum ore prolatum, licet non traditum scripto; unde eadem est utrinsque auctoritas. Hinc Tridentina synodus: *Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam V. quam N. Testamenti, cum utriusque Deus sit auctor; nec non Traditiones ipsas,*

tum ad Fidem , tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo , vel a Spiritu sancto dictatas , et continua successione in Ecclesia catholica conservatas , pari pietatis affectu et reverentia suscipit et veneratur .

CAPUT III.

In quo continentur responsiones ad praecipua haereticorum argumenta .

Obj. 1. cont. prim. prop. Sacrae literae expresse vetant quascumque Traditiones . Nam Moyses Deut. cap. 4. *Non addetis* , inquit , *ad verbum quod vobis loquor , nec auferetis ex eo* . Ad Gal. cap. 1. Apostolus ait: *Sed licet nos aut Angelus de caelo evangelizet vobis , praeterquam quod evangelizavimus vobis , anathema sit* . Johannes in Apoc. cap. 22. *Si quis* , ait , *apposuerit ad haec , apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto* . Christus ipse denique Matth. cap. 15. ita Pharisaeos redarguit: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram* .

Resp. laudata Scripturae loca non additionem quamlibet , sed additionem verbo Dei scripto contrariam dumtaxat vetare . Nam si per allata Scripturae testimonia quaevis absoluto additio vetita esset , cur post scriptum Pentateuchum Prophetarum novique Testamenti recipimus volumina ? Cur praeter Epistolam ad Galatas , Apocalypsim , Matthaei Evangelium , ac reliquos sacros Scriptores admittimus ? Excludunt itaque laudata Scripturae testimonia additionem verbo Dei scripto contrariam . Quod patet singula exponendo : et quidem in Deuteronomio praescribitur Judaeis exacta legum observatio , ne illa neglecta in idololatrarum inter quos vivere deinceps debebant , superstitiones laberentur , ut ex lectione v. 30. apparet . In Ep. autem ad Galatas : *Non ait (Apostolus) plusquam accepistis : sed praeter quod accepistis* , inquit S. P. Augustinus Tract. in Johan. 98. hoc est , contra quam accepistis ; unde versiones arabica et aethiopica legunt : *Si nos , aut Angelus de caelo annuntiet vobis quidquam diversum etc.* Et apposite quidem ad scopum. Hortabatur enim Apostolus Galatas ne pseudo-apostolis qui judaicos ritus cum christiana lege jungendos esse docebant , aures accommodarent . Johannes in Apocalypsi vetat ne quis vaticiniis ibi recensitis aliud arbitratu suo confictum auderet apponere , ut constat ex capitis argumento . Christus denique in Evangelio Matthaei Pharisaeorum rejicit Traditiones quae plane evangelicis documentis directe opponebantur ; unde inquit : *Propter traditionem vestram* . Et cap. 15. *Sine causa autem colunt me , docentes doctrinas , et mandata hominum* . Itaque per allata Scripturae testimonia , humanas dumtaxat , superstitiosas , falsas , non divinas respuere jubemur Traditiones . Denique allatum supra argumentum est , ut inquiunt , de non supponente . Supponit quippe Traditionem de qua nunc disputamus , additionem esse ad verbum Dei , quasi et ipsa verbum Dei non sit. Est utique , quamvis in literas non relatum.

Obj. 2. cont. 2. thesim . Sola Scriptura ad definienda cum Fidei

tum morum dogmata sufficiens est. Nam Apostolus in 2. ad Timoth. cap. 3. *Omnis Scriptura*, inquit, *divinitus inspirata*, *utilis est ad docendum*, *ad arguendum*, *ad corripiendum*, *ad erudiendum in justitia*: *ut perfectus sit homo Dei*, *ad omne opus bonum instructus*. Johannes autem cap. 20. scribit: *Multa quidem*, *et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum*, *quae non sunt scripta in libro hoc*. *Haec autem scripta sunt*, *ut credatis*.

Resp. ad 1. Paulus eo loci non docet Scripturam sufficere, sed dumtaxat utilem esse ad instruendum, corripiendum etc. quod nos quoque fatemur. Et sicuti dum in eadem Ep. cap. 4. Marcum utilem esse affirmat, non excludit Lucam, Titum, Timotheum, Onesimum, quos in suis Epistolis laudat; ita cum utilem esse Scripturam affirmat, non rejicit divinas Traditiones quas in Epistolis ad eumdem Timotheum, Corinthios, et Thessalonicenses crebro commendat. His accedit quod Apostolus de Scriptura ibi loquitur V. Testamenti; nam paullo ante Timotheo dixerat: *Ab infantia* (antequam proinde N. scriberetur Testamentum) *sacras literas nosti*, *quae te possunt instruere ad salutem*. Quare si laudata in argumento verba demonstrarent solam Scripturam sufficere, nedum Traditiones, sed et N. Testamenti excluderet Scripturam. Ad 2. Johannes antem, non de omni absolute sufficientia, sed de sufficientia loquitur miraculorum; asserit videlicet miracula a Christo post passionem patrata satis abunde sufficere ad demonstrandum esse illum Filium Dei; unde inquit: *Haec scripta sunt*, *ut credatis*, *quia Jesus est Christus Filius Dei*.

Obj. 3. adv. eamd. prop. ex SS. PP. qui frequenter affirmant ad Fidei morumque dogmata perdiscenda solam sufficere Scripturam. Et 1. Irenaeus lib. 3. adv. Haer. cap. 1. *Non enim*, inquit, *per alios dispositionem nostrae salutis cognovimus*, *quam per eos per quos Evangelium pervenit ad nos*: *quod quidem tunc praeconiaverunt*, *postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt*, *fundamentum et columnam Fidei nostrae futurum*. Athanasius Orat. cont. Gent. haec habet: *Sufficiunt per se sacrae et divinae Scripturae ad veritatis indicationem*. Et in Ep. ad Serap. *Sufficiunt enim quae in illis* (Scripturis) *reperies documenta*. Repetit idem in lib. de Incarn. et in Ep. Fest. 3. S. P. Augustinus lib. 2. de Doctr. Chr. cap. 9. *In iis enim quae aperte in Scripturis posita sunt*, *inveniuntur ea omnia quae continent Fidem moresque vivendi*. Tract. 49. in Johan. *Ipse sanctus Johannes evangelista testatur*, *multa Dominum Christum et dixisse et fecisse*, *quae scripta non sunt*: *electa sunt autem quae scriberentur*, *quae saluti credentium sufficere videbantur*. Et de Bono Viduit. cap. 1. *Sancta enim Scriptura nostrae doctrinae regulam figit*.

Resp. singula SS. PP. dicta explicando. Et ad 1. Marcionitae eo devenerant temeritatis, ut *se Apostolorum jactarent emendatores*, ut inquit loco in argumento laudato Irenaeus; eaque de caussa Evangelia a se deturpata nostrisque contraria proferebant. Testatur idipsum etiam Tertullianus lib. 2. adv. Marc. et Epiphanius Haer. 42. Irenaeus itaque illos refellens

optime inquit, non recipere nos alia Evangelia ab iis quae relicta nobis fuerunt ab Apostolis; non illa a vobis ad libitum inventa aut correctionibus vestris deturpata. Quid hoc, quaeso, contra nostram catholicam sententiam?

Ad 2. Athanasius laudatis in sententiis affirmat dumtaxat sacram Scripturam sufficere ad nonnulla Fidei capita, non autem ad omnia stabilienda. Orat. enim cont. Gent. totus est ut Ethnicos de idolorum redarguat vanitate, ad quam demonstrandam sola utique sufficit sacra Scriptura quae undique clamat Deum unum esse. Ad Serap. scribens agebat contra Arianos ac Pneumatomachos quorum error per solas etiam Scripturas refutari facile potest. Scopus quem sibi Athanasius in lib. de Incarn. praefigit, est Apollinarium refellere: qui cum Christum non esse perfectum hominem blasphemaret, erroris per solas Scripturas convincitur; in quibus expressissime habetur Christum esse perfectum hominem ex anima rationali et humana carne subsistentem. In Ep. demum Fest. opponit S. Pater veras Scripturas apocryphis quas nonnulli haeretici obtrudebant, non autem Traditionibus, quas non obscure astruit etiam in locis quibus haeretici contra Catholicos abutuntur. Nam in Orat. cont. Gent. sic habet integra sententia: *Sufficiunt quidem, tum sacrae et divinitus inspiratae Scripturae ad veritatis indicationem, tum plurimi de eadem re libri a sanctissimis Magistris conscripti: quos si quis evolvat, intelliget aliquo modo Scripturarum mentem*. In Ep. autem ad Serap. *Videamus*, inquit, *tamen adhuc illam ipsam ab initio Traditionem, et doctrinam, et fidem apostolicae Ecclesiae*. Demum his concludit verbis Epistolam: *Ego enim secundum apostolicam a Patribus acceptam Fidem ista tradidi, nihil prorsus aliunde adjiciens*.

Ad 3. S. P. Augustinus adeo aperte Traditionis inculcat necessitatem, ut mirari subeat heterodoxos ad illius confugere auctoritatem. Augustini loca citavimus capite superiori, quibus illud ex lib. 5. de Bapt. cap. 23. depromptum addi nunc potest: *Sunt multa quae universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur*. Non ergo allata in argumento testimonia Traditiones excludunt. Equidem in lib. 2. de Doctr. Chr. docet sacram Scripturam sufficere ad cognitionem illorum quae omnibus simpliciter sunt necessaria, non vero ad universa dogmata Fidei. En integer textus: *In iis enim quae aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia quae continent fidem, moresque vivendi, spem scilicet atque caritatem*. Eo sensu quo Johannes inquit: *Haec autem scripta sunt, ut credatis*, loquitur etiam S. Doctor ubi ait: *Electa sunt quae scriberentur, quae saluti credentium sufficere videbantur*; hoc est miracula in Evangelio descripta, imo vel solam Lazari resurrectionem sufficere, ut credamus. Verba demum ex lib. de Bono Viduit. excerpta non de omnibus ac singulis Fidei dogmatibus, sed de ea tantum doctrina quam ibi S. Pater tradit intelligi debent, quamque doctrinam ex Apostolo mutuatus fuerat: *Quid*, inquit, *ego amplius te doceam, quam id quod apud Apostolum legimus? Sancta enim Scriptura*

nostrae doctrinae (de bono scilicet viduitatis) *regulam figit*. Illud postremo loco animadverto, quod ubi sancti Patres Scripturam sufficere docent, non continuo excludunt divinas aut apostolicas Traditiones. Nam de sufficientia ipsi semper loquuntur Scripturae quae exposita et interpretata sit secundum Fidem Ecclesiae quae est per Traditionem, ut expresse Athanasius in fine Epistolae ad Serap. docet. Relege illius testimonium paullo superius allatum.

Obj. 3. cont. 3. thesim ex SS. PP. qui nullam, ut plurimum, rationem habent Traditionum. Et I. Tertullianus cont. Herm. cap. 22. *Si non est scriptum*, inquit, *time vae illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum*. De carne autem Christi adv. Marc. ita illum alloquitur: *Non recipio quod extra Scripturam de tuo infers*. II. Cyprianus ad illa Stephani verba, *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*, Ep. 74. respondet: *Et facienda esse quae scripta sunt Deus testatur*. III. Basilius in Asceticis cap. de vera ac pia Fide: *Manifestissimum*, inquit, *hoc infidelitatis argumentum fuerit, et signum superbiae certissimum, si quis eorum quae scripta sunt aliquid velit rejicere, aut eorum quae non scripta introducere*. IV. Chrysostomus in Psal. 95. *Si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat*. V. Hieronymus in cap. 23. Matth. scribit: *Hoc quia de Scriptura auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur qua probatur*. VI. S. P. Augustinus lib. 2. de Peccat. mer. et rem. cap. 36. *Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana praesumptio, nihil faciens in partem alteram declinando*.

Resp. singula in suo lumine ponendo. Ad 1. Tertullianus redarguit Hermogenem, non quod divinis uteretur Traditionibus de quibus ne verbum quidem, sed quia Scripturae aliquod contra ipsam Scripturam addebat. Putabat enim Hermogenes materiam esse Deo coaeternam, atque ex ipsa jam praejacente conditum fuisse mundum contra apertissimam Scripturae sententiam, *In principio creavit Deus caelum, et terram*. Hinc Tertullianus postquam dixerat, *Spiritum sanctum hanc Scripturae suae posuisse rationem, ut quando quid ex aliquo fit, et quod fit, et unde fit, referat*, illico subdit: *Atqui Scriptura dicit, In principio creavit Deus caelum et terram. An autem de aliqua subjiciente materia facta sint, nusquam adhuc legi; ergo facta sunt ex nihilo: nisi scriptum esse doceat Hermogenes, timeat vae illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum*. Quod ex lib. de Carne Chr. apponitur nulla indiget explicatione. Nam non redarguit Marcionem quod aliquid praeter Scripturam, hoc est Traditionem, sed quod aliquid inferret de suo, falsam nempe et impiam interpretationem. Sciendum quippe est Marcionem ne humanam Christi fateretur generationem, verba illa Matth. 12. *Ecce mater tua, et fratres tui*, ita solitum fuisse interpretari: *Tentandi gratia nuntiaverant ei matrem et fratres, quos non habebat*.

Ad 2. S. Cyprianus in eadem Ep. 74. divinas et apostolicas fatetur Traditiones dicens: *Si in aliquo nutaverit et vacillaverit veritas, ad ori-*

ginem divinam, et evangelicam et apostolicam Traditionem revertamur. Ideo autem oppositam a Stephano non recipiebat Traditionem, quoniam falsam illam ac sacris Scripturis contrariam existimabat.

Ad 3. Auctor Asceticorum sive Basilius fuerit sive Eustachius Sebastenus, ut arbitratur Sozomenus lib. 3. cap. 15. redarguit haereticos qui plura sacrae Scripturae contraria audebant introducere.

Ad 4. Chrysostomus in Psal. 95. illos reprehendit qui humana figmenta pro sacrae Scripturae verbis et exemplis in Concionibus ad populum obtrudebant; quare inquit: *Neque enim oportet quidquam dicere sine testibus, solaque animi cogitatione; nam si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat.*

Ad 5. Contemnit Hieronymus loco in argumento citato ea quae ex apocryphis libris tamquam certa producuntur, non Traditiones; refert enim ibidem illorum sententiam qui ad demonstrandum Zachariam inter templum et altare interfectum, fuisse Zachariam patrem Johannis Baptistae, apocryphum librum in testimonium vocabant. Ceterum idem Hieronymus adversus Helvidium pertractans, non aliud quam ex Traditione depromptum urget argumentum: *Numquid non possum tibi totam veterum scriptorum seriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenaeum, Justinum martyrem, aliosque multos apostolicos et eloquentes viros?*

Ad 6. Quid ex Augustini sententia conficere possint heterodoxi non video; obscurissimarum enim quaestionum nomine intelligit S. Pater quae nec in Scripturis nec in Traditione fulcrum habent, ut quaestio erat de traduce animarum de qua illic agebat. In quibus sane quaestionibus sedulo cavendum est ne in partem alteram declinemus. Ex sanctis ergo Patribus nullum vel leve elici potest argumentum, quo valeant haeretici suadere divinas Traditiones non eodem pietatis affectu suscipiendas esse ac venerandas, quo suscipi et amplecti debet sacra Scriptura.

Sed quum adversarii innumera alia ex SS. PP. exprompta argumenta urgere soleant, quae longioris operis esset referre, nonnullas a cl. nostro Berti traditas hic addemus regulas quibus singula solvi facile possint.

Regula I. Quando SS. PP. ad solam Scripturam provocant haereticos, non negant Traditionem, sed Scripturam sufficere docent in subjecta materia.

Regula II. Quando SS. PP. Scripturam omnia continere affirmant, loquuntur de Fidei morumque dogmatibus quae omnibus ac singulis sunt necessaria.

Regula III. Ubi docent nihil probandum esse quod sacrorum voluminum non sit auctoritate firmatum, non Traditiones, sed vel conficta ab humana mente ratiocinia in quaestionibus obscurissimis, quae neque in Scripturis neque in Traditionibus habent fundamentum, vel apocrypha scripta vanasque historiolas, vel Fidei dogmata apocryphis scriptis et historiis innixa excludere intendunt.

Regula IV. Quoties vero aperte improbant Traditiones, Traditionum nomine non divinas, apostolicas, ecclesiasticas, sed humanas et pharisaicas semper intelligunt Traditiones.

CAPUT IV.

An et quomodo divinae Traditiones potuerint per tot saecula, et deinceps usque ad mundi finem possint custodiri.

Oraculis Scripturarum Sanctorumque sententiis haeretici denique victi, ad vanas se convertunt ratiocinationes et conjecturas quibus suadere conantur impossibile esse ut per tot saecula quae ab Apostolis ad nos usque fluxerunt, quaeque usque ad saeculi interfluent consummationem, divinae et apostolicae Traditiones servari potuerint aut possint deinceps integrae et incorruptae; praesertim si Veterum nostrorum summam ignorantiam ac simplicitatem, exilia, persecutiones, negligentiam, in memoriam revocemus, quibus sane infortuniis futuris etiam temporibus subjacere potest Ecclesia. Ad ineptam hanc refellendam ratiocinationem unica satis esset Christi sententia: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Providentia quippe ac solicitudine quam Christus de Ecclesia sua gerit semel admissa, quid facilius quam intelligere quomodo divinae Traditiones fideliter hactenus custoditae sint, et custodientur deinceps in Ecclesia? Quod si eam de medio tollamus, non de Traditionibus modo, sed et de verbo Dei scripto num ad nos usque integrum pervenerit fas erit dubitare. Hoc, inquam, unum, ad os haereticis obstruendum satis esset. Sed ut omnem praecludamus hostibus nostris rimulam, paullo fusius res est pertractanda. Quare sit

CONCLUSIO I.

Divinae Traditiones ab Apostolis ad haec usque tempora incorruptae custodiri potuerunt, et custodiri poterunt deinceps usque ad finem mundi.

Prob. 1. Per duo annorum millia, hoc est ab Adam usque ad Moysem, penes populum Dei fides de mundo ab ipso Deo condito, de peccati originalis existentia, de adhibendo ad illud delendum remedio, de alterius vitae poenis ac praemiis, deque aliis hujusmodi integra et incolumis servata est: alioquin dicendum foret per illa duo annorum millia veram Dei Fidem in terris non viguisse, quod absurdum est. Ast noverat retinebatque Dei populus omnia illa Fidei dogmata, non quidem per Scripturas quae adhuc in literas relatae non erant, sed ope dumtaxat Traditionis. Ab Adam ergo usque ad Moysem incorrupta custodita est in rebus Religionis Traditio. Cur ergo custodiri non potuerunt ab Apostolis ad haec usque tempora, et a nobis deinceps usque ad mundi finem? 2. Consimile urgeri potest argumentum a Moyse usque ad Christum. Nam etsi sacram Scripturam haberent Judaei, plura tamen quae in ea expressa non sunt, sola Traditione tenebant, ut divinam sacrorum librorum inspirationem, remedium pro foeminis ad abluendam originariam maculam, Christi per cru-

enta sacrificia praefigurationem, et cetera hujus generis. Quae plane dogmata sarta tecta per plura saecula custodita sunt penes illam gentem. An Christiani in Fide custodienda sunt Judaeis negligentiores?

Si dicant haeretici, exilia, persecutiones, ignorantiam, caussas fuisse Christianis cur Traditiones neglexerint, poteris respondere Judaeos quoque easdem passos fuisse vicissitudines, et nihilominus Patrum suorum non abjecisse Traditiones. Si regerant adhuc Christianos parvipendisse Traditionem quoniam habebant Scripturas, idipsum reponere poteris de Judaeis qui licet Scripturas haberent, Traditionem tamen fideliter custodiebant. 3. Traditiones humanae de Majorum gestis ac sanguinis claritate, etiam absque scripto in familia vel civitate facillime conservantur, ut experientia docet: idque duabus praecipue de caussis. 1. Quoniam familiarum urbiumque rectores illas natis ac civibus suis saepissime inculcant. 2. Quoniam de re civium ac familiarum est memoriter illas retinere. Verum ambae hae caussae ubi de Traditionibus divinis sermo est, multo magis militant. Et quoad primam, Apostoli divinas Traditiones non modo praedicarunt, sed praeterea mandarunt Episcopis ut velut inaestimabilem thesaurum illas custodirent: *O Timothee, depositum custodi*, inquit Paulus in 1. ad eumdem Timoth. cap. 6. Imo eosdem obtestati sunt Episcopos ut divinitus traditam doctrinam cunctos Fideles docerent: *Praedica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina*, ait idem Apostolus in 2. ad Timoth. cap. 4. Nec Episcopis solum, sed ceteris quoque de populo idipsum commiserunt: *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior*, rursus Apostolus in 1. ad Timoth. cap. 5. Quoad alteram vero caussam, illud in mentem revocare sufficiat, quod divinae Traditiones quum sint ipsum Dei verbum nostrae Fidei dogmata per quae salutem consequimur continens, nemini dubium quin summopere expediat ne de nostra deleantur memoria. Quare si hae duae caussae faciunt ne filii vel cives Traditiones de sanguinis claritate gestisque Majorum abjiciant, an non magis efficient ne Christiani divinas negligant Traditiones?

CONCLUSIO II.

Varii sunt modi quibus divinae Traditiones incorruptae servantur.

Idque patet enumeratione. I. servantur per usum Ecclesiae perpetuum. Nam quotidie, ut rem declaremus exemplis, in Ecclesia administrantur Sacramenta, materia forma ceterisque adhibitis ritibus; quotidie pariter preces funduntur pro mortuis, Sancti invocantur, reliquiae ac imagines coluntur, B. Maria semper Virgo appellatur, offertur Missae sacrificium, parvuli ante rationis usum baptizantur, numquam rebaptizantur haeretici, dies festi celebrantur etc. Nil ergo facilius quam istas aliasque Traditiones fideliter custodire per usum.

II. custodiuntur per Conciliorum acta scriptaque sanctorum Patrum, quibus plane verae ac divinae Traditiones continentur; quoniam tum Concilia tum Patres in literas retulere Traditiones, quando vel christianam plebem instruere, vel haereticos refutare, vel abusus oportuit compescere. Unde etiamsi fieri posset ut ab hominum de aure in aurem exceptae Traditiones abolerentur, nonne facilis esset ad Concilia sanctosque Patres recursus, atque ex iis denuo illas haurire?

III. conservat Deus Traditiones in Ecclesia per providentiam suam. Deum namque providentia sua Ecclesiam solicite gubernare, ne adversus illam inferi portae praevaleant, is dumtaxat inficiabitur qui aut Ecclesiam merum humanum opus esse putat, aut ignorat illa Christi institutoris sui verba: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*. Ast in hoc Dei providentia erga Ecclesiam suam praecipue relucet, ne videlicet sinat divinas Traditiones e Fidelium memoria excidere, quum sint illae, ut diximus, ipsum Dei verbum plurima tum Fidei tum morum dogmata ad salutem necessaria quae expressa non sunt in Scripturis continens. Alioquin permitteret Deus ut Fides ex Ecclesia periret, quod nefas est cogitare. Fecit ergo Deus ne ab Apostolis ad praesentem usque aetatem divinae Traditiones perirent, facietque deinceps ut in Ecclesia usque ad saeculi consummationem integrae custodiantur.

Respondetur objectis.

Obj. 1. Quidquid per famam oretenus praedicari ab hominibus solet et de uno ad aliud saeculum transmitti, perire aut immutari facillime potest. Hujus generis autem sunt divinae Traditiones. 2. Et revera in Ecclesia Romana nonne multae antiquatae sunt Traditiones? Tales sunt trina in conferendo Baptismate immersio, varii poenitentiae status ac ritus etc. Aliae fuere mutatae in oppositas, ut doctrina de visione beatifica ad judicii diem differenda. Aliae denique recenter intrusae, ut jejunium quatuor temporum etc.

Resp. ad 1. Paullo supra jam demonstravimus Deum providentia sua solicite vigilare ne in Ecclesia pereant aut deturpentur divinae et apostolicae Traditiones. Quare etiamsi quod argumentum contendit, accidere posset in rebus humanis, id autem in re de qua pertractamus non potest evenire. Neque enim res divinae et ecclesiasticae naturaliter tantum ut res humanae reguntur. Sed hoc omisso, falsum est fama solum et verbis ab uno ad aliud saeculum divinas et apostolicas transmissas fuisse Traditiones, sed statim post Apostolos a primi saeculi Patribus in literas referri coeperunt, quod et alii sequentium saeculorum Patres et Concilia continuata successione fecerunt: ad quae monumenta aditus cuique patet.

Ad 2. Ecclesia Romana perpetuae ac numquam interruptae omnium saeculorum Traditioni innixa, solemni definitione statuit justos homines statim vita functos aeterna frui in caelis visione: ad quam Traditionem Papias, Irenaeus, Justinus, aliique pauci non attendentes, a recta senten-

tia, tempore quo res adhuc obscura erat, exorbitarunt. Quoad reliqua allata in argumento exempla animadvertendum est, ea quae ad meram spectant disciplinam, quum a temporum locorum ac personarum dependeant circumstantiis, posse circumstantiis illis immutatis variare. Hujus generis est administratio Baptismi per trinam immersionem vel per ablutionem, et modus sacramenti Poenitentiae administrandi. Jejunium autem quatuor temporum non a Victore vel Callixto, sed ab Apostolis originem suam agnoscit. Nec alio sensu a laudatis summis Pontificibus definitum dici potest, nisi quatenus certos determinatosque jejunii dies statuerunt.

Obj. 2. cum Harduino. Nequeunt ex SS. PP. scriptis Traditiones comprobari. Nam si paucorum Gentilium excipias volumina, omnia omnino Veterum scripta interciderunt, et quae hodie sub nomine Patrum circumferuntur, supposititia sunt et ab impostoribus circa saeculum XIII. conficta. Ita auctor ille impudentissimus docet in libro cui titulus, *Chronologiae ex nummis antiquis restitutae Prolusio*, de nummis Herodiadum ad annum 51. Christi; et in alio inscriptus, *L' Atheisme decouvert par le R. P. Harduin Jesuite dans les ecrits de tous les Peres de l' Eglise, et des Philosophes modernes*, et alibi passim. II. addit Beroujerius in Hist. pop. Dei 3. p. t. 1. etiamsi nonnulla Patrum scripta ad nos incorrupta pervenissent, ex iis tamen divinae comprobari non possent Traditiones; omnia siquidem scripta ad Religionem pertinentia quamvis in se luculentissima sint, nihilominus nonnisi ab iis qui ea aetate qua scripta illa edita sunt vivebant, possunt intelligi: verba enim, phrases, loquutiones, ipsamet lingua qua SS. PP. scripserunt, arbitrariis obnoxia sunt variationibus.

Resp. ad 1. Harduini systema adeo novum, temerarium, et scandalosum visum fuit, ut illius auctor a Societatis Praepositis coactus fuerit solemniter illud retractare; quum nonnisi per summum nefas vel suspicari possit omnia sanctorum Patrum opera ab impostoribus fuisse conficta. Illud modo animadvertimus simile quidpiam docuisse Dallaeum, Rivetum, Clericum, Germonium. Et hunc quidem doctissimus P. Coustant admodum erudite confutavit; Dallaeum autem, Rivetum, et Clericum plures catholici scriptores; Harduinum denique Episcopus suessionensis in celebri pastorali Instructione anno 1760. exarata.

Ad 2. Hoc Beroujerii principio semel admisso, omnia veterum scriptorum opera, imo et ipsa sacra Biblia Ecclesiae inutilia prorsus erunt; quod quam stultum et impium sit nemo non videt. Itaque falsum penitus est linguam qua Fidei dogmata scripta inveniuntur, mutationi esse obnoxiam. Non minus quippe lingua qua Fidei dogmata elucubrata sunt quam ipsa Fides immutabilis est ac indefectibilis. Spiritus namque sanctus qui assistentiam suam Ecclesiae spopondit, ut Fidei servet immutabilitatem, continuo servare pergit et linguam qua ipsa Fides exprimitur; unde inquit Apostolus ad Rom. cap. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. Et in 1. ad Timoth. cap. 6. sic illum adhortatur: *Depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates*. Et in Ep.

2. ad eund. cap. 1. *Formam*, addit, *habe sanorum verborum*, *quae a me audisti ... Bonum depositum custodi*. Quare in sanctorum Patrum operibus intactae utique servantur adhuc juxta germanum a Christo et ab Apostolis intellectum sensum, divinae Traditiones: de quibus pro instituti nostri ratione satis.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER IV.

IN QUO DISSERITUR DE CONCILIIS.

Longioris operis est res de qua pertractaturi sumus, quam ut aliquam exigat praefationem. Inquiremus ergo hoc in libro quid et quotuplex sit Concilium, quibusque notis legitimum ab illegitimo secernatur. An Concilia Ecclesiae sint necessaria. Ad quem illorum spectet convocatio. Quinam habeant in illis jus ferendi suffragii decisivi. Tum quis illis praesidere debeat. Rursus an ad legitimum generale Concilium integra requiratur in Episcopis libertas. An eadem praeterea Concilia infallibilis sint auctoritatis. Ac denique historicam generalium Conciliorum trademus synopsim.

CAPUT I.

Quid et quotuplex sit Concilium, quibusque notis legitimum ab illegitimo dignoscatur.

Quod *Concilium* a Latinis, *Synodus* a Graecis solet appellari, et definitur: *Praelatorum Ecclesiae in unum locum legitima congregatio, ut de rebus agant ad Ecclesiam spectantibus*. Dicitur *congregatio Praelatorum*, quoniam ii dumtaxat quibus animarum vel alicujus particularis Ecclesiae cura commissa est, Concilio interesse jure possunt ac debent; quod si alii quandoque vocentur et admittantur, vel judicandi non habent facultatem, vel habent illam tantum ex privilegio. Dicitur item *congregatio legitima*, hoc est a legitimo capite sive jubente aut saltem sinente convocata. Additur, *in unum locum*, ad Praesulum exprimendam corporalem praesentiam. Nam si quilibet Praelatus suffragium suum in scriptis ad unum locum mitteret, ea suffragiorum in scriptis collectio magnae utique esset auctoritatis, sed Concilium dici non posset. Ac demum dicitur, *ut de rebus agant ad Ecclesiam spectantibus*, hoc est de rebus Fidei, vel morum, vel disciplinae etc.

Quoniam vero vel totius orbis, vel unius nationis, vel unius provinciae, vel unius dioecesis Pastores in unum locum ad res ecclesiasticas pertractandas congregari possunt, hinc quatruplex exurgit Conciliorum genus, *generale*, *nationale*, *provinciale*, *dioecesanum*. Concilium generale dicitur illud ad quod Summo Pontifice jubente vel annuente, omnes omnino vocantur et convenire possunt totius orbis, Patriarchae, Primates, Archie-

piscopi, Episcopi, (nomina haec Patriarcha, Primas, Metropolita variarunt in Ecclesia, quod semel animadvertisse sufficiat.) Vocatur etiam *oecumenicum* a graeco verbo οἰκέω quod significat, *habito*, *incolo*, quoniam ad illud ex qualibet orbis parte quae habitatur, Episcopi confluunt. A S. P. Augustino lib. 1. et 2. cont. Donat. appellatur etiam ***Concilium plenarium totius orbis***. A Concilio II. Arelatensi dicitur *Concilium magnum*, *Synodus magna*. Concilium nationale illud est ad quod a Primate sive Patriarcha totius suae nationis vel patriarchatus Archiepiscopi et Episcopi convocantur atque conveniunt. Ejusmodi Concilium dicitur aliquando *generale*, *universale*, *plenarium*, sed ut inquiunt, *secundum quid*, idest totius nationis vel regni. Quando vero Concilium aliquod generale, universale, ac plenarium vocatur absolute et absque ullo addito, tunc totius orbis Concilium intelligitur. Concilium provinciale habetur quando ab Archiepiscopo omnes suae provinciae Episcopi suffraganei ad unum locum convocantur. Denique illud est dioecesanum ad quod vocat Episcopus omnes suae dioecesis pastores.

Quodlibet Concilium ex recensitis, vel legitimum est, vel illegitimum. Legitimum omnes ad verum Concilium requisitas habere debet conditiones. Si vero vel unica tantum conditio deficeret, Concilium esset illegitimum. Atque hic conditiones numerandae sunt quae ad verum legitimumque requiruntur Concilium. Sed quoniam de Conciliis generalibus hoc in loco praecipue pertractamus, conditiones ad legitimum generale Concilium requisitas recensebimus simul et explicabimus.

I. ergo conditio ad verum generale Concilium requisita, est ut *convocatio* Episcoporum fiat a Romano Pontifice. Qui si justa aliqua de caussa nequeat illud convocare, requiritur saltem ut convocationi ab illegitima factae potestate libere assentiatur; alioquin erit illegitimum. Hinc octo priora generalia Concilia quamvis fuerint ab Imperatoribus convocata, quoniam tamen Romani Pontifices convocationi annuebant, fuere legitima.

Aliqui tamen sunt casus in quibus etiam Summo renuente Pontifice generale Concilium indici potest; suntque sequentes. 1. Quando duo de Papatu contendunt, et neuter illorum actu potestatem exercet; tunc si necessitas urgeat, a S. Ecclesiae Cardinalibus, qui inferioris ordinis Ecclesiae Romanae pastores repraesentantes, ipsam Romanam Sedem vacantem moderantur, generale convocari potest Concilium. 2. Quando duo de Papatu contendentes unus illorum pontificiam actu exercet jurisdictionem, sed veritus ne contra ipsum lis dirimatur renuit convocare Concilium, tunc etiam jus illud convocandi ex inolita consuetudine penes Cardinales resideret. 3. Item jus convocandi Concilium esset penes Cardinales si Summus Pontifex ut privata persona manifestus esset haereticus. 4. Si vero esset haereticus dumtaxat occultus, tunc ut Concilium convocaret monendus esset. Quod si repugnaret, jam tunc haereticum se esse proderet, proindeque Concilium a Cardinalibus esset convocandum. 5. Si maxima convocandi Concilii urgeret necessitas, et Summus Pontifex, quamvis nec publice nec occulte haereticus, ob pravum tamen aliquem finem illud convocare de-

trectaret, quoniam de suipsius fide suspicionem praeberet, jus esset pariter in Cardinalibus. Qui si etiam obstinate renuerent, possent variorum Primates dominiorum inter se convenire, et subjectos sibi Episcopos in unum advocantes locum Ecclesiae consulere periclitanti.

II. conditio est ut convocentur ad Concilium totius orbis Episcopi. Quum enim omnibns ac singulis Episcopis dictum sit, *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*, Actor. 20, sequitur inde esse illos pastores doctores ac judices: atque adeo potestatem habere de rebus Ecclesiae definiendi, quod fit in Conciliis. Quare nullum hactenus celebratum est universale Concilium ad quod totius orbis Episcopi non fuerint advocati.

III. conditio est ut ad generale Concilium tot reapse conveniant Episcopi quot ad universalem requiruntur repraesentandam Ecclesiam; quum enim in generali Concilio totius Ecclesiae pertractentur negocia, universa Ecclesia per Episcopos repraesentata debet ibi interesse. Necesse tamen non est ut omnes omnino, ne uno quidem excepto, illuc accedant; alioquin nullnm ex iis quae in Ecclesia celebrata sunt Conciliis esset legitimum, quum totius orbis Episcopi, nullo prorsus deficiente, in nullo praesentes fuerint Concilio.

Hinc oritur inter Theologos quaestio: quot ad universalem repraesentandam Ecclesiam requirantur Episcopi. Nonnulli arbitrantur unum tantum Episcopum plurium posse provinciarum vices supplere, adeoque paucos admodum Episcopos universalem repraesentare posse Ecclesiam. Sed haec sententia non satis librata videtur. Nam licet aliquando magna ingruente necessitate unus Episcopus plures repraesentare possit provincias, ut in Concilio Nicaeno I. accidit ubi tres tantnm Episcopi duoque Presbyteri omnium totius occidentis Episcoporum vices gesserunt, absolute tamen loquendo tutum non videtur asserere unum Episcopum plnres simul repraesentare provincias; alioquin plures etiam poterit repraesentare nationes, sicque universalis Ecclesia posset in Concilio a quatuor vel quinque repraesentari dumtaxat Episcopis, quod absonum omnino est. Putaverim ego ad universalem repraesentandam Ecclesiam plures requiri multarum provinciarum Episcopos; atque idcirco multarum provinciarum plures Episcopos se praesentes sistere generali Concilio debere. Quod si magna urgeat necessitas, plures provinciae aut etiam nationes uni vel aliquibns poterunt Episcopis propria suffragia committere; dummodo plures ac plures aliarum provinciarum ac nationum Primates, Archiepiscopi, Episcopi, in unum fuerint locum congregati. Ut autem intelligatur qua ratione pauci Episcopi multarum provinciarum vices gerere possint, observandum est Patriarchas seu Primates, habita generalis celebrandi Concilii convocatoria, solitos esse Metropolitanos, Archiepiscopos, ac Episcopos suos ad peculiare Concilium convocare ac de rebus in oecumenico Concilio peragendis synodice definire; tum vero quod omnium statutum est consensu paucis committere ad universale Concilium deferendum. Rem totam mirifice explicant epistolae Agathonis R. P. et Synodi item Romanae ad Constantinum Imperatorem quae extant

in Concilio generali VI. Act. 4. sic Agatho inquit: *Dum de diversis provinciis familiare nobiscum Concilium congregatur, et dum personas quasdam quidem de hac servili vestri serenissimi principatus romana Urbe vel de proximo dirigere procuramus, quasdam de longe positis provinciis ... remeare praestolamur, non parvus temporum cursus elapsus est* etc. Synodus autem Romana: *Personas*, inquit, *de nostrae humilitatis ordine praevidimus dirigere ad vestrae a Deo protegendae fortitudinis vestigia, quae omnium nostrum, idest, universorum per septemtrionales et occiduas regiones Episcoporum suggestionem, in qua et apostolicae nostrae Fidei confessionem praelibavimus, offerre debeant*.

IV. conditio est ut ad Concilium non advocentur nec admittantur nisi qui episcopali insigniti sunt dignitate. Soli enim Episcopi quum pastores sint, doctores, atque judices, suffragium ferre possunt decisivum; quamvis nonnulli sint recentiores scriptores qui jus suffragii decisivi ferendi tribuant etiam pastoribus secundi ordinis, videlicet Parochis. Observandum tamen est nonnullis ab hinc saeculis S. R. E. Cardinalibus, licet non episcopis, et generalibus ordinum Praepositis et Abbatibus ferendi suffragium decisivum jus convenire; proindeque et locum habere in Conciliis una cum Episcopis. Potestas autem haec non divino, sed ecclesiastico jure et ex privilegio inducta est. Animadvertendum iterum venit non esse illegitimum Concilium quamvis alii, Presbyteri nempe aut etiam Laici, ad Concilium admittantur, dummodo suffragium non ferant decisivum. Praeter judices enim necessarii quoque sunt consultores, defensores, actorum exceptores etc.

V. conditio est ut generali Concilio praesideat R. Pontifex. Hic tamen animadvertendum est tribus modis sumi posse praesidentiam, quoad locum videlicet materialem, quoad ordinem in Concilio servandum, et quoad vim directivam modumque ferendi ab Episcopis suffragium. Hoc postremo modo Romano Pontifici, ut legitimum sit Concilium, competit praesidere. Excipe tamen casus in quibus alteri quam summo Pontifici jus Concilii convocandi convenit, de quibus egimus supra. Neque vero necesse est ut R. Pontifex per se semper Concilio praesideat, sed satis est si praestet id per Legatos suos, ut factum novimus in prioribus octo Conciliis generalibus.

VI. conditio est ut Episcopis in Concilio congregatis integra relinquatur res ecclesiasticas examinandi ac definiendi libertas. Nam ubi libertas non est, ibi non est spiritus Dei, sed illius qui ab Episcopis assensum et suffragium per vim extorquet; unde Athanasius ad solitariam vitam agentes de Liberio vi coacto scribens: *Quae enim*, inquit, *per tormenta contra priorem sententiam extorta sunt, eae jam non metuentium sed cogentium voluntates habendae sunt*.

VII. demum conditio est ut R. Pontifex quae in Concilio determinata sunt concludat; determinata vero atque conclusa confirmet et promulget. Sicut namque ad R. Pontificem Concilii spectat initium, videlicet convocatio et praesidentia; ita ad eumdem spectare debet finis, conclusio scilicet et promulgatio. Atque hae sunt conditiones quae ut generale Con-

cilium sit legitimum requiruntur. Si una deficiat, Concilium illegitimum erit, nisi Ecclesiae ac R. Pontificis assensus accedat seu acceptatio quae defectui suppleat alicujus conditionis. Hinc postrema exurgit Concilii divisio; aliud nimirum est Concilium legitimum celebratione, aliud vero legitimum acceptatione. Primum illud est cui nulla ex requisitis conditionibus deest. Alterum illud in quo etsi aliqua ex requisitis conditionibus non concurrat, postea tamen ab Ecclesia cum R. Pontifice tamquam legitimum receptum est.

Breviter hic legitimi Concilii attingimus conditiones ut unico intuitu tyrones legitimum Concilium ab illegitimo discernere discant. Ceterum de singulis enumeratis conditionibus bene et naviter sequentibus capitibus, postquam nonnulla de Conciliorum necessitate dixerimus, agendum erit.

CAPUT II.

An Concilia sint Ecclesiae necessaria.

Lutherani post turpem ab Ecclesia eorum matre discessionem, quamdiu existimarunt nullo modo fieri posse ut Summus Pontifex ad generale indicendum Concilium adduceretur, crepantibus buccis clamabant necessaria esse Ecclesiae Concilia, neque ad pacem aliquibus in casibus posse Ecclesiam absque Conciliis redire. Ast quando agnoverunt jam a Paulo III. indictum fuisse Tridentinum Concilium, Lutherus arrepto calamo librum composuit de Conciliis, in quo demonstrare totis viribus conatur nihil opus esse Conciliis; tum quia omnia Concilia antehac celebrata, nequidem illo Apostolorum de quo in Actis cap. 15. excepto, turpissime errarunt; tum etiam quia cujusvis Parochi aut Ludimagistri sententia tanti in Ecclesia valet quanti cujusvis maximi numerosissimique Concilii decreta. Hinc de Concilii Nicaeni I. canonibus ita loquitur: *Hi omnes articuli foenum, stramen, ligna, stipulae fuerunt ... De illis ligneis articulis reliquiae manserunt quasi aliqui titiones, nempe articulus de festo Paschatis*. Et paullo inferius de Parochi ac Ludimagistri munere scribens subdit: *Putasne adeo esse tenue et angustum officium Parochi aut Ludimoderatoris, ut non possint aliqua ex parte conferri ad Concilia? Dicam et quiddam amplius. Majus lumen accedit doctrinae christianae ex catechismo puerili, quam ex omnibus Conciliis*. Et rursus: *Quid opus est verbis? Etiamsi omnium Synodorum decreta possent per infundibulum demitti in tuum corpus, tamen nondum esses Christianus, quia nimis parum conferunt*. Ita Lutherus, cujus voces quamvis somniantis vel furentis non sapientis hominis sint, approbantur tamen a Lutheranis omnibus et Calvinistis.

Catholici e contra qui divinam tribuunt Conciliis auctoritatem, duplicem necessitatem distinguentes, in absolutam videlicet et secundum quid, docent aliqua Concilia esse Ecclesiae absolute necessaria; alia vero esse necessaria dumtaxat secundum quid.

CONCLUSIO I.

Aliqua Concilia (abstrahendo an generalia sint vel particularia) Ecclesiae sunt aliquando absolute necessaria .

Prob. 1. Ecclesia sine Conciliis (abstrahendo an generalia sint vel particularia) finem suum aliquando consequi non potest : quod experientia optima rerum omnium magistra patet . Nam nullum fere fuit saeculum in quo ad aliquas Fidei aut morum controversias dirimendas coactum non sit ab Ecclesia sive particulare sive generale Concilium . Exorta enim saeculo I. controversia de Legalium observantia , quamvis Apostoli singuli seorsim considerati dirimere illam possent, Concilium nihilominus collegerunt Hierosolymis , ut cap. 15. Actor. Ap. habetur . Ante hoc Concilium duo alia jam fuerant ab Apostolis celebrata , primum quo in locum Judae proditoris elegerunt Matthiam , Actor. cap. 1. alterum quo elegerunt septem Diaconos Actor. cap. 6. Secundo Ecclesiae saeculo sequentia habita sunt Concilia ad Paschatis determinandam celebrationem , Romanum videlicet sub Victore , Ponticum sub Palma , Ecclesiarum provinciae Osdroënae , Corinthiacum sub Bachillo , Lugdunense sub Irenaeo , de quibus Eusebius H. E. lib. 5. cap. 23. et 24. et Caesareense sub Theophilo et Narcisso . In causa haeresis Calorbasi coactum fuit Concilium Pergamense ; et adversus Montanum ac Theodotum Coriarium Concilium Hierosolymitanum ; quamvis duo haec Concilia in dubium revocentur ab Eruditis . Quae habita sunt saeculis IV. III. et deinceps tum particularia tum generalia Concilia , quum omnibus sint notissima , brevitati consulens omitto . Ast quod semper et ab omnibus factum est in Ecclesia , nonne tamquam simpliciter necessarium ad aliquem obtinendum finem est habendum ?

Prob. 2. Quum Deus nec in necessariis deficiat nec redundet in superfluis , si Concilia necessaria Ecclesiae non essent , a Christo Domino nullimode fuissent instituta . Instituta autem fuerunt . Nam Matth. cap. 18. Christus inquit : *Ubi enim sunt duo , vel tres congregati in nomine meo , ibi sum in medio eorum* ; quae verba de Conciliorum origine ac institutione dicta esse, diserte tradunt Patres Concilii Chalcedonensis in Ep. ad Leonem , sexta Synodus Actor. 17. Caelestinus in Ep. ad Ephesinum Concilium ; unde necessaria a Christo Domino fuerunt existimata . Hinc Cyprianus lib. 2. Ep. 1. ad Stephanum : *Necesse habuimus* , inquit , *convenientibus in unum pluribus Sacerdotibus* , *cogere et celebrare Concilium* . Et Gelasius R. P. de vinculo Anathem. et Patres Concilii Toletani II. eadem habent . Concilium autem Constantiense sess. 39. *Frequens* , inquit , *Conciliorum celebratio agri Domini cultura praecipua est, quae vepres tribulos et spinas haeresum , errorum , et schismatum excessus corrigit , deformata reformat , et vineam Domini ad frugem uberrimae fertilitatis adducit* ; *illorum vero neglectus praemissa disseminat atque fovet* .

CONCLUSIO II.

Concilia generalia aliquibus in casibus necessaria quidem sunt in Ecclesia, sed non absolute et simpliciter.

Prob. 1. thesis pars casuum enumeratione. Bellarminus sex caussas recenset ob quas necessaria videtur Conciliorum celebratio. I. Quando haeresis oritur vel schisma quae plures majoresque inficiant Ecclesias, tum necessarium videtur generale Concilium. Quod tum ex Ecclesiae praxi tum ex sanctorum Patrum scriptis apparet. Ex praxi quidem Ecclesiae, quae ad Arii, Macedonii, Nestorii, Eutychetis, aliorumque praefocandas haereses quibus plures ac insigniores laborabant Ecclesiae, generalia Concilia convocavit. Ex scriptis Patrum. Nam S. P. Augustinus lib. 4. ad Bonif. cap. postremo de Pelagianorum loquens impietate, inquit necessarium non fuisse ad eos refellendos universale Concilium, quoniam paucorum hominum illorumque obscuri nominis haeresis erat: *Hanc gloriam captare intelligitur* (Pelagianorum superbia,) *ut propter illos Orientis et Occidentis Synodus congregetur*. E contra lib. 1. de Bapt. cap. 7. de Rebaptizantibus verba faciens tradit ad eorum tollendum errorem generale Concilium fuisse necessarium, *quoniam ... magnos viros, et magna caritate praeditos patres episcopos ita inter se compulit salva pace disceptare atque fluctuare, ut diu conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta mutaverint*. Idipsum non obscure innuit Leo quoque M. in Ep. 43. ad Marcianum Imper. et in Ep. ad Theodosium in haec verba: *Si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostrae dignetur annuere ut intra Italiam habere jubeatis episcopale Concilium, cito auxiliante Deo poterunt omnia scandala resecari*.

II. si inter duos Rom. Pontifices sit schisma, opus est generali Concilio; quomodo temporibus Innocentii II. Alexandri III. Gregorii XII. et Benedicti XIII. factum est.

III. quando communibus Ecclesiae hostibus bellum in Christianos moventibus resistendum est. Eam ob caussam coactum est Concilium a Callisto II.

IV. item si Rom. Pontifex in haeresis vel tyrannidis incorrigibilis veniat suspicionem.

V. et si de Summi Pontificis electione dubium sit, puta si Cardinales non possent aut non vellent Pontificem eligere.

VI. ac tandem universale Concilium exigit generalis abusuum ac vitiorum quae in Ecclesiam irrepserunt reformatio. Hinc in omnibus Conciliis Canones statui consueverunt de morum reformatione. Haec ex Bellarmino, et Bellarminus ex Turrecremata. Unde verum est quod demonstrandum proposuimus, in aliquibus nempe casibus necessaria esse in Ecclesia generalia Concilia.

Prob. modo altera pars prop. Ecclesia absque generalibus Concilis, etsi minus commode, finem suum tamen assequi potest. Nam nulla ex

superius enumeratis caussis oecumenicum exigit Concilium necessitate simplici et absoluta. Quod patet singulos enumeratos casus breviter percurrendo. Et 1. necessarium non est absolute generale Concilium ad haereses quascumque refellendas et ad vitanda schismata. Quod ex Ecclesiae praxi patet quae Ebionis, Menandri, Cerinthi, Nicolaitarum, Marcionis, aliorumque impiorum haereses tribus prioribus saeculis exortas praefocavit absque ullius generalis Concilii adminiculo. Et ne quis dicat saeculis illis non potuisse oecumenica convocari Concilia ob tyrannorum persecutiones, animadvertendum est etiam post restitutam per Constantinum Ecclesiae libertatem, plures haereses, ut Vigilantii, Origenistarum, Pelagianorum, absque generalibus Conciliis fuisse profligatas. Eodem modo, ut plurimum, se gessit Ecclesia in schismate, cum inter duos Rom. Pontifices, tum inter particularem aliquam ac universalem Ecclesiam: quamvis enim ad aliqua sedanda schismata fuerint generalia Concilia convocata, plurima tamen absque illis fuerunt extincta. Quare in duobus prioribus recensitis casibus non sunt absolute necessaria generalia Concilia. Sed neque in tertio, tum quia non est absolute necessarium ut communibus Ecclesiae hostibus resistatur, sicuti non restitere Veteres immanissimis Neronis, Diocletiani, aliorumque persecutionibus; tum etiam quoniam saepe indictum est adversus Fidei hostes bellum absque universali Concilio. Quod si dubium circa Rom. Pontificis electionem oriatur, absque convocatione Concilii electio ab iis fieri poterit ad quos pertinet romanum eligere Episcopum, inquit Bellarminus. Abusuum denique vitiorumque reformatio cur a nationalibus vel provincialibus fieri non potest Conciliis? Nulla caussa ergo est quae universale exigat Concilium necessitate simplici, ut dicitur, et absoluta.

COROLLARIUM.

Quoniam generalia Concilia non sunt Ecclesiae absolute ac simpliciter necessaria, errores ergo, schismata, vitia, abusus, vel per particularia Concilia vel per Rom. Pontificis auctoritatem vel per Ecclesiae consensionem aut denique per eruditorum hominum scripta tollenda sunt.

Particularium Conciliorum ope extinctae fuerunt haereses quae tribus prioribus saeculis Ecclesiam vexarunt, ut ad 1. prop. adnotavimus. Extincta quoque fuerunt hoc modo schismata Montani et Novatiani; unde Eusebius lib. 5. H. E. cap. 16. de Montano inquit: *Nam cum Fideles qui in Asia erant, saepius et in plurimis Asiae locis convenissent, novamque illam doctrinam examinassent, et profanam atque impiam judicassent, damnata haeresi ipsi ab Ecclesia et Fidelium communione expulsi sunt*. Et de schismate Novatiani lib. 6. cap. 43. subdit: *Cum Romae congregata esset Synodus ... cumque in provinciis Antistites quid agendum esset singuli consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est etc.*

Per Rom. Pontificis auctoritatem haeresis compressa fuit Origenistarum; unde Hieronymus Apol. 1. adv. Rufinum: *Non valet apud eos su-*

per Origenis damnatione Episcoporum auctoritas? Quid facient epistolae Theophili episcopi? quid Papae Anastasii in toto orbe haereticum persequentes?

Adversus Vigilantium sacrarum Reliquiarum cultus impugnatorem opponebat Hieronymus unanimem omnium Ecclesiarum consensum: *Omnes Episcopi*, ait, *non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi, qui rem vilissimam et cineres dissolutos in serico et vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi qui occurrerunt sanctis Reliquiis?*

Denique eruditorum hominum scriptis nascentes refelli posse haereses clarum fit ex S. P. Augustini voluminibus quibus jam ante Conciliorum celebrationem Pelagianorum refutaverat deliramenta; unde lib. 4. ad Bonif. cap. ultimo inquit: *Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla haeresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit.*

Extirpari autem posse abusus et vitia, ex scriptis constat Theologorum quibus falsa Casuistarum refellitur doctrina.

Solvuntur nonnullae difficultates.

Obj. 1. cont. 1. prop. Concilia sive particularia sive universalia nocent potius quam prosint Ecclesiae; avellunt enim a propriis sedibus Episcopos, et absque Ecclesiarum dispendio nequeunt celebrari. 2. Errores, schismata, et vitia, vel per Summi Pontificis auctoritatem vel per privatorum hominum scripta tolli possunt, ut paullo supra dictum est.

Resp. ad 1. Quamvis Concilia proprios ab Ecclesia avellant Pastores neque fieri sine magnis sumptibus queant, commoda nihilominus quae in totius Ecclesiae bonum resultant tam ingentia sunt, ut per illa damnum quod peculiaribus inferri videtur Ecclesiis, abunde compensetur. Hinc sacri Canones ubi de residentiae lege loquuntur, casum de celebratione Concilii semper excipiunt. Deinde absentiae Episcopi a sua Ecclesia per Vicarium suppleri facile potest. Damno autem quod ex sumptibus pauperibus provenit, providere potest aliquomodo Episcopus fideli sua oeconomia.

Ad 2. Si errores, schismata, et vitia, vel paucorum hominum sint et in aliqua tantum Ecclesiae parte grassentur, aut errantes non multum sint in errore obfirmati, possunt quidem Rom. Pontificis definitionibus, Theologorum scriptis tolli et praefocari, ut paullo ante observavimus: ast vero si multorum hominum sint, et magnam Ecclesiae partem infecerint, aut in errore adeo sint obfirmati, ut supremi Hierarchae; multoque magis Theologorum aspernantur auctoritatem, expedit tunc ut pluribus male et obstinate sentientibus multorum bene sentientium apponatur consensus. Hinc quamdiu pelagiana haeresis paucos habuit sectatores, a magno illorum haereticorum malleo Augustino contusa est. Adaucto subinde illorum numero atque obfirmatione crescente, Summorum Pontificum Conciliorumque decreta ad eam compescendam visa sunt necessaria.

Obj. 2. Victor uticensis lib. 2. de Pers. Vandal. narrat Eugenium

carthaginensem antistitem noluisse cum Arianis conferre hac ductum ratione, quod quum Fidei caussa communis sit omnibus, omnium consensum in generali Concilio requirit. Ratio haec demonstrat absolutam Conciliorum generalium necessitatem.

Resp. Eugenium carthaginensem non ideo renuisse cum Arianis disputare quod generale Concilium absolute necessarium esse existimaverit. Minime. Sed quum africani Episcopi sub Vandalorum tyrannide gemerent, ne se aliosque collegas Episcopos periculo disputationis committeret, prudenter respondit Fidei caussam omnibus esse communem, adeoque sine transmarinis Episcopis finiri non posse; ratus transmarinos Vandalis minime subjectos liberius Fidei caussam acturos.

CAPUT III.

Ad quem Conciliorum convocatio spectet.

Nunc fusius exponendae sunt atque ab haereticorum cavillis vindicandae conditiones ad legitimum generale Concilium requisitae, quas cap. 1. hujus libri breviter attigimus. Prima itaque conditio, ut monuimus, ad quodlibet legitimum Concilium requisita, est ut convocatio ab ecclesiastica potestate jubente vel saltem annuente fiat; ita ut Concilium generale a Rom. Pontifice, nationale a Patriarcha vel Primate, provinciale ab Archiepiscopo, dioecesanum ab Ordinario sit convocandum: atque sententiam hanc omnes tuentur Catholici contra recentiores haereticos qui jus, et quidem divinum, convocandi Concilia oecumenica ad Imperatores, nationalia ad Reges, reliqua ad urbium Magistratus pertinere defendunt. Ita Lutherus lib. de Concil. Calvinus lib. 4. Iust. Magdeb. cent. 4. Adversus quos sit

CONCLUSIO I.

Jus convocandi Concilia (abstrahendo an particularia sint vel oecumenica) ad solos pertinet Pastores Ecclesiae.

Prob. 2. ex fine Conciliorum. Concilia sive particularia sint sive generalia ad hoc congregantur ut quae Fidei sunt vel morum vel disciplinae, reformentur et statuantur. Ast definiendi reformandique jus ad solos pertinet Pastores Ecclesiae, quibus solis dictum est a Christo: *Pasce oves meas*; et ab Apostolo in Actor. cap. 20. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*. Hinc Athanasius in Ep. ad Solit. *Quando umquam judicium Ecclesiae ab Imperatore auctoritatem habuit?* Et Hosius cordubensis ad Constantium Augustnm apud eumd. Athan. ibid. *Ne te misceas ecclesiasticis negociis neque nobis in hoc genere praecipe, sed potius disce: et quemadmodum qui tuum imperium carpit, contradicit ordinationi divinae; ita et tu cave ne quae sunt Ecclesiae ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.*

Prob. 2. ex Ecclesiae praxi. Nullum hactenus habitum est in Ecclesia sive generale sive particulare legitimum Concilium, quod ab Ecclesiae Pastoribus aut jubentibus aut saltem annuentibus non fuerit convocatum: quod manifestum fit ad plura Concilia digitum intendendo. Tria Concilia quae Apostolorum aetate celebrata fuere, singula ab ipsis indicta fuerunt Apostolis. In Act. enim cap. 15. de Concilio circa Legalia coacto legitur: *Convenerunt Apostoli, et Seniores videre de verbo hoc*. Ibidem cap. 6. de Concilio in quo septem electi fuere Diaconi habetur: *Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum*. Et Concilium de eligendo Matthia Actor. cap. 1. sic describitur: *Exurgens Petrus in medio fratrum, dixit etc.* Concilia altero Ecclesiae saeculo habita, et ipsa ab Ecclesiae Pastoribus fuisse convocata testis est Eusebius lib. 5. Eccl. Hist. ubi legitur etiam Concilia coacta tum in Oriente tum in Occidente in causa Quartodecimanorum, indicta ab Episcopis fuisse. Saeculo tertio celebris exorta est de Baptismate haereticorum controversia, ad quam dirimendam plura congregata fuere Concilia et singula quidem ab Ecclesiae Pastoribus. Primum quippe in ea caussa coactum fuit ab Agrippino carthaginensi antistite, de quo ita Cyprianus in Ep. 71. ad Quintum: *Quod quidem Agripinus cum ceteris Coepiscopis suis ... statuit et librato Concilii communis examine firmavit, quorum sententiam nos quoque secuti sumus*. Sua deinceps eam ob caussam convocavere Concilia Cyprianus in Africa, Firmilianus, aliique in orientalibus partibus Episcopi, ut Dionysius alex. in Ep. ad Philem. rom. presb. Eusebius lib. 8. H. E. cap. 7. ipseque Firmilianus narrant. Eodem tertio decurrente saeculo ad Paulum samosatenum damnandum *reliqui Ecclesiarum Pastores undique acciti, simul omnes Antiochiam convenerunt tamquam ad gregis dominici vastatorem*, ait Eusebius H. E. lib. 4. cap. 27. Dubium ingerere posset aliquod, quod octo priora generalia Concilia in Oriente celebrata, ab Imperatoribus indicta videantur. Sed proprio id non praestitisse jure, ex responsionibus patebit ad objectiones, ubi rem totam perspicue declarabimus. Cetera omnia tum oecumenica tum particularia post octo illa orientalia celebrata Concilia, nemini dubium quin fuerint ab Ecclesiae Pastoribus convocata. Ex praxi itaque Ecclesiae quae rerum optima norma est agendarum, luculentissime constat jus convocandi Concilia ad solos pertinere Ecclesiae Pastores.

CONCLUSIO II.

Jus convocandi Concilia nationalia ad Primates seu Patriarchas, provincialia ad Metrapolitanos seu Archiepiscopos, dioecesana ad Episcopos pertinet.

Prob. Ad eos jus convocandi nationalia provincialia dioecesana Concilia spectat, qui jus habent immediatum in illos qui ad ea convenire debent Concilia. Porro soli Primates, Archiepiscopi, Episcopi, illud habent jus; solus enim Primas vel Patriarcha suae nationis Episcopis, solus

Metropolita Episcopis suae provinciae, solusque Episcopus propriae dioecesis Presbyteris in iis quae ad Fidem mores ecclesiasticamque pertinent disciplinam, praecipere ac legem immediate imponere potest; quum iis, non magistratibus aut urbium praefectis aut regibus dictum sit Actor. 20. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*; et Johan. cap. ultimo: *Pasce oves meas*; atque idcirco ad hos, non ad viros laicos spectat convocare Concilia nationalia, provincialia, dioecesana, quod ex Ecclesiae praxi confirmatur. Inveniant si valent haeretici vel unicum legitimum Concilium a suprema potestate laica convocatum.

CONCLUSIO III.

Auctoritas ordinaria oecumenica convocandi Concilia ad solum spectat Rom. Pontificem.

Prob. 1. Ad illum solum ordinaria spectat auctoritas generalia Concilia convocandi, cui soli commissum est a Deo universalis Ecclesiae regimen. Sicut enim convocare regni vel reipublicae proceres ad negocia politica pertractanda, ad auctoritatem spectat illorum qui jure in toto regno vel republica supremam gerunt civilem potestatem; ita jus convocandi Episcopos ad spiritualia peragenda negocia, ad illum cui totius Ecclesiae cura commissa est debet pertinere. Jam vero soli Romano Pontifici universalis Ecclesiae regimen a Deo commissum est. Ipsi enim soli in persona Petri Christus dixit: *Pasce agnos meos ... pasce oves meas*; quare S. Leo Serm. 3. Anniv. Assumpt. suae: *De toto*, inquit, *mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctis Ecclesiae Patribus praeponatur; ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint multique Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus*; unde etiam Rom. Pontifici universalis Ecclesiae cura commissa est; adeoque etc. Et re quidem vera, quis alius omnibus ac singulis non modo laicis et clericis, sed etiam Episcopis in spiritualibus rebus jure praecipere potest nisi solus Rom. Pontifex? Sicut enim dicens Christus Petro, *Pasce agnos meos*, significare voluit supremam illius in quoslibet Fideles potestatem; ita repetens, *Pasce oves meas*, videtur significare voluisse supremam illius quoad spiritualia auctoritatem in Episcopos. Praeceptum autem intercedat necesse est ut totius orbis Episcopi, propriis relictis sedibus, in unum locum ad oecumenicum habendum Concilium conveniant.

Prob. praeterea ex quo omnia quae hactenus habita sunt in Ecclesia generalia Concilia, a Romano Pontifice vel directe indicente vel saltem annuente fuerint convocata. Et revera, universalia Concilia absque ulla dubitatione legitima huc usque in Ecclesia celebrata, numerantur decem et octo; octo videlicet orientalia, decem vero occidentalia. Porro, quamvis illa octo priora orientalia Concilia fuerint a romanis Imperatoribus indi-

cta, factum id tamen non est absque praevia Rom. Pontificis consensione et facultate, ut in responsione ad objectiones declarabimus. Concilia autem oecumenica occidentalia a Rom. convocata fuisse Pontificibus nemini dubium, et breviter demonstratur enumeratione.

Primum Lateranense indictum fuit a Callisto II. ut ex ejus Ep. patet ad Henricum Imperatorem, ubi sic inquit: *Rogamus ut quia Concilium indictum a nobis accelerat, cito eos* (Legatos) *ad nos Domino largiente remittas*.

Secundum Lateranense fuit convocatum ab Innocentio II. ut ex ejusdem Concilii Actis apparet, in quibus legitur: *Universalis Ecclesiae principale Concilium* (Innocentius) *Romae aggregat, ut in ipso imminentes Ecclesiae necessitates decenter disponat*.

Tertium Lateranense coegit Alexander Papa III. Ita enim in illius Ep. ad Episcopos Etruriae habetur: *Quocirca per apostolica vobis scripta mandamus, qualiter huic nostrae dispositioni plenis desideriis cooperari curetis, et prima Dominica advenientis Quadragesimae ad urbem Romam ducente Domino veniatis*.

Quartum Lateranense ab Innocentio III. fuisse congregatum colligitur ex Encyclica convocationis ad Episcopos viennensis provinciae: *Nullus se fallaciter excusando ab executione tam sancti operis subtrahat*.

Primum Lugdunense indictum fuit a Gregorio IX. ut ejus indicat convocatoria quae incipit, *Dei virtus, et Dei Sapientia*, ubi haec occurrunt: *Hinc est quod Nos ut ipsa Ecclesia per Fidelium salubre consilium et auxilium fructuosum status debiti possit habere decorem, Reges terrae, Praelatos Ecclesiarum, et alios mundi Principes duximus advocandos*.

Gregorius X. coegit Concilium Lugdunense secundum, quod aperte significant ejusdem literae Encyclicae ad omnes Ecclesiae catholicae Praesules: *Nos cum Fratribus nostris aliisque viris prudentibus exacto et frequenti tractatu praehabito, prout tanta necessitatis instantia exigebat, de ipsorum consilio generale Concilium ... opportuno tempore decrevimus congregandum*.

Concilium Viennense indictum fuisse a Clemente V. apparet ex Bulla convocationis cujus initium, *Regnans in caelis*, in qua haec leguntur: *Nos Fratrum consilio universale Concilium, sicut imitatione digna sanctorum Patrum consuetudo laudabilis longevae observationis exemplo nos instruit, a proximis Kalendis Octobris ad duos annos immediate sequentes decrevimus congregandum*.

Johannes Papa XXIII. congregavit Concilium Constantiense, ut in ejus Bulla convocationis videre est, quae in eodem Concilio lecta fuit sess. 1.

Basileense Concilium cogitur a Martino V. cujus Diplomatis verba haec sunt: *Nuper siquidem cupientes generale Concilium juxta deliberationem et ordinationem sanctae Synodi Constantiensis ad deputationem loci olim eadem approbante Synodo per nos factam, in civitate papiensi auctore Domino celebrari* etc.

Concilium Florentinum celebratum fuit jussu Eugenii Papae IV. ut ex ejusdem decretis constat, quorum primum in priori, alterum in posteriori hujus Concilii parte legitur.

Concilium denique Tridentinum convocatum fuit a Paulo Papa III. et Bulla Convocationis ab eo edita legitur hujus Concilii initio. Ea itaque Ecclesiae praxis semper fuit, ut generalia Concilia a Rom. Pontifice convocarentur. Diutina autem, imo perpetua Ecclesiae praxis nonne est optima norma credendi? Neque enim suspicari licet Romanos Pontifices ejusmodi auctoritatem sibi arrogasse. Nam si omnibus ac singulis Christifidelibus sive laicis sive clericis persuasum non fuisset jus convocandi Concilia Rom. Pontifici fuisse a Deo concreditum, verisimile ne est neminem umquam aut clericum aut laicum, Imperatorem praesertim, Romano Pontifici obsistere voluisse?

Prob. ultimo Veterum auctoritate. Id enim manifeste tradit Julius Papa in Ep. ad Orientales, quae refertur ab Athanasio Apol. 2. et a Socrate lib. 1. cap. 13. Sixtus III. et ipse in Ep. ad Orient. *Valentinianus*, inquit, *Augustus nostra auctoritate Synodum convocavit*. Pelagius II. in Epist. item ad Orient. *Generalium Synodorum convocandi auctoritas Apostolicae Sedi B. Petri singulari privilegio tradita est*. Concilium Chalcedonense Act. 1. ut Dioscorum dejiceret, ab eo incipit quod Synodum ausus fuerit convocare absque Apostolicae Sedis auctoritate, *quod numquam hactenus factum est*, *nec fieri licet*. Quae denique in Concilio Romano sub Pontifice Symmacho evenerunt tempore Theodorici regis, omnibus sunt manifesta. Remanet ergo inconcussum ad Summum Pontificem auctoritatem ordinariam generalia Concilia convocandi pertinere. Dico auctoritatem ordinariam, quoniam aliqui sunt extraordinarii casus in quibus alteri a Romano Pontifice jus illud competit: de quibus casibus egimus hujus libri cap. 1.

Solvuntur argumenta adversariorum.

Obj. 1. Ex diutina Ecclesiae praxi quae, ut diximus, est norma credendi, apertissime liquet jus convocandi quaevis Concilia neque ad Ecclesiam, prout illius Pastores complectitur, neque ad Romanum Pontificem pertinere. Nam octo priora generalia Concilia a romanis Imperatoribus singula indicta fuerunt, quod patet enumeratione.

Primum universale Concilium quod est Nicaenum I. convocatum dubio procul fuit a Constantino Magno, scribente Rufino lib. 10. Hist. cap. 1. *Tum Constantinus apud urbem Nicaenam Episcopale Concilium convocat*. Eadem scribit Eusebius de vita Constant. lib. 3. Socrates lib. 1. cap. 5. et 6. Sozomenus lib. 1. cap. 16. Theodoretus lib. 1. cap. 7.

Constantinopolitanum primum, quod est generale II. fuisse a Theodosio seniore indictum testantur in Ep. synod. ad eumdem Theodosium Episcopi, ubi sic inquiunt: *Mandato tuae pietatis Constantinopolim convenimus*. Idipsum narrant Socrates lib. 5. Hist. cap. 8. Theodoretus, et Sozomenus.

Tertium generale Concilium, nimirum Ephesinum, ex nutu Theodosii junioris fuit celebratum, ut tradit Evagrius lib. 5. Hist. cap. 3. dicens:

Nestorius, *neque Cyrillo*, *neque Caelestini antiquae Romae Episcopi consiliis obsecundavit*, *sed suum ipsius virus*, *nihil veritus*, *evomuit in Ecclesiam; postulavitque*, *ut auctoritate ac nutu Theodosii junioris qui tunc Orientis administrabat imperium*, *primum Concilium Ephesi cogeretur*.

Concilium Chalcedonense, seu oecumenicum IV. indixerunt Valentinianus et Marcianus Imperatores, ut Act. 1. ejusdem Concilii legitur: *In Civitate Chalcedonensi facta est Synodus ex decreto piissimorum ac felicissimorum Imperatorum Valentiniani et Marciani*. Gemina habet S. Leo Ep. 43.

De quinta generali Synodo quae est Constantinopolitana II. referunt Evagrius lib. 4. Hist. cap. 37. et Sozomenus lib. 17. cap. 21. a Justiniano Imperatore convocatam fuisse.

Patres sextae generalis Synodi, nempe C-P. tertiae, Act. 1. haec profitentur: *Conveniente quoque sancta et universali Synodo*, *quae secundum imperialem sanctionem congregata est in hac a Deo conservanda regia urbe etc.* Imperator cujus jussu Synodus haec fuit congregata, erat Constantinus Pogonatus nepos Heraclii.

Constantinus VI. ejusque mater Irenes septimi generalis Concilii quod est Nicaenum II. auctores fuerunt, idque ex Augustorum Epistola ad Adrianum R. Pontificem colligitur, ibi enim habetur: *Decrevimus ut fieret universale Concilium*, *et rogamus vestram paternam Beatitudinem ut det seipsam*, *et nullam tarditatem faciat*, *et ascendat huc in stabilitatem et firmitatem antiquae Traditionis super venerabilibus Imaginibus*.

Postremum orientale Concilium quod est oecumenicum VIII. et C-P. quartum, fuisse jubente Basilio Imperatore coactum diserte declaratur ejusdem Concilii Act. 1. in haec verba: *Obsequente divinae voluntati atque decreto*. - *Basilio Deo amicissimo Imperatore nostro*, *qui universalem Synodum congregans etc.* Certum itaque est octo priora generalia Concilia, jussu, decreto, et nutu rom. Imperatorum fuisse convocata; atque idcirco Ecclesiae praxis satis luculenter ostendit auctoritatem convocandi Concilia non ad Ecclesiam prout animarum pastores complectitur, aut ad solum Romanum pertinere Pontificem de jure divino.

Resp. romanos Imperatores octo priora generalia Concilia, non auctoritate sibi propria, sed ex consensu et auctoritate Rom. Pontificum et Episcoporum convocasse. Percurramus, quaeso, singula. Quoad Nicaenum I. spectat, idem Rufinus qui Concilii hujus Constantinum auctorem facit, laudato in argumento loco testatur ab Imperatore *ex sententia Sacerdotum*, *et nominatim Silvestri fuisse congregatum*.

C-P. I. a Theodosio seniore quidem, sed Damasi Papae freto auctoritate indictum fuisse fatentur illius Concilii Patres in Ep. ad Damasum, quam Theodoretus lib. 5. Hist. cap. 9. his verbis refert: *Mandato literarum superiori anno a vestra Reverentia ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum*, *ad iter dumtaxat Constantinopolim usque faciendum nos praeparavimus*. Praeterea in vetustissimis Bibliothecae Vatica-

nae codicibus haec expresse leguntur: *Sententiam de damnatione Macedonii et Eunomii, Damasus confirmari praecepit etiam in sancta Synodo, quae praecepto et auctoritate ejus apud C-P. celebrata est.*

Tertium Concilium generale quod est Ephesinum, indictum fuit a Caelestino R. P. opera Theodosii junioris, idque colligitur 1. ex Evagrio, qui lib. 1. Hist. cap. 4. diserte tradit Cyrillum Alex. vices in eodem Concilio gessisse R. Pontificis: quod argumento est non sine illius consensu et auctoritate fuisse coactum. 2. Ex ipsius Concilii Patrum relatione ad Theodosium missa Imperatorem, quae extat Act. 3. his verbis concepta: *Haec antequam haec S. Synodus conveniret, Caelestinus I. magnae Romae Episcopus per literas suas indicaverat, Cyrilloque sanctissimo Deoque dilectissimo magnae civitatis Alexandriae episcopo, ut suas vices subiret commiserat.* 3. Ex chronico Prosperi, ubi narratur Ephesinam Synodum *factam esse Cyrilli industria et Caelestini auctoritate.*

De Concilio Chalcedonensi luculentissimum extat testimonium, non a Marcione absolute, sed ab eo simul et a Leone M. fuisse convocatum. In Ep. enim ipsius Leonis ad Turibium, quae est 93. cap. 17. *Dedimus*, inquit, *literas ad Fratres et Coepiscopos nostros, iisque Concilium generale indiximus.* Praeterea Episcopi de secunda Maesia in Ep. ad Leonem Imperatorem, quae legitur inter Epistolas ad Chalcedonense Concilium pertinentes, sic inquiunt: *In Chalcedonensium civitate multi sancti Episcopi convenerunt per jussionem Leonis Rom. Pontificis, qui vere caput est Episcoporum.* Item Marcianus Imperator in Ep. ad Leonem, quae ante Chalcedonense Concilium habetur, Summum Pontificem enixe precatur *ut Chalcedonem veniat, et Concilium faciat: sin minus per literas quid agi velit significet.*

Jam etsi Concilium C-P. II. a solo Justiniano Imperatore fuerit ab initio coactum, coeptum tamen non est absque Vigilii R. Pont. expressa facultate; unde Vigilius ad Eutychium scribens: *Annuimus*, inquit, *ut de tribus capitulis facto regulari conventu collationem cum unitis Fratribus habeamus.*

Morte impii Constantis ad imperium evectus Constantinus Pogonatus, cito literas ad Romanum mittit Pontificem, quibus ad tertium C-P. convocandum Concilium invitabatur, cui vel ipse vel ab eo missi Legati praesiderent. *Adhortamur*, inquit Imp. *vestram paternam Beatitudinem per praesentem nostram piam sacram, dirigere viros utiles ac modestos notitiam habentes dogmatum, indutos personam vestrae Apostolicae Sedis, ejusque Concilii* etc. Sed exempto rebus humanis dono, laudatae Constantini literae in manus venerunt Agathonis qui tam justae petitioni libenter concessit.

Synodus VII. generalis sive Nicaena II. Act. 16. Constantinopolitanam Copronymi pseudo-Synodum hac prae ceteris ratione improbavit et irritam esse voluit, quod inconsulta Apostolica Sede fuerit celebrata. Certum itaque est quod omnes Historici tradunt Constantinum scilicet ejusque matrem Irenem et Tharatium C-P. episcopum ad Adrianum Papam I. scripsisse ut ejus auctoritate generalis Synodus celebraretur.

Octavum generale Concilium quod est C-P. IV. ex Rom. Pontificis indictum fuisse decreto satis declarat Epistola Adriani II. in Petri cathedra tunc sedentis ad Basilium Imp. ubi sic S. Pontifex loquitur: *Volumus autem per vestrae pietatis industriam Constantinopoli numerosum celebrari Concilium*. Nullum itaque hactenus celebratum est in Ecclesia Concilium absque consensu et auctoritate virorum ecclesiasticorum; praxis proindeque Ecclesiae haereticorum sententiae minime favet.

Neque dicant laudata hactenus a nobis monumenta demonstrare quidem Rom. Pontifices assensum praebuisse Imperatoribus ut generalia celebrarent Concilia, non vero fuisse eorum auctoritate indicta. Nam in primis nonnulla ex recensitis superius Conciliis, ut C-P. I. Ephesinum, et Chalcedonense non solum ex consensu, sed etiam ex auctoritate Rom. Pont. convocata fuerunt, ut ex testimoniis recitatis colligitur. Deinde ut generale Concilium legitimum sit et oecumenicum, satis est si convocatio fiat Summo Pontifice non renuente, imo et assentiente: dummodo tamen non ut simplex episcopus, sed ut Romanus Pontifex et universalis Ecclesiae caput assentiatur. Quid enim refert quod ab Imperatore vel Rege aliquo sive ob Fidei Religionisque zelum, sive ad pacem ditionis suae procurandam petatur et procuretur generale Concilium? Si Rom. Pontifex petitioni assentitur, jam Concilium quoad convocationem legitimum est; atque assensus hujusmodi tanti valet quanti plenissima ejusdem Pontificis auctoritas. Hoc est, Concilium legitimum est et oecumenicum perinde ac si Summus Pont. motu proprio et nemine suadente vel flagitante, illud procurasset atque indixisset.

Ratio autem, *cur ex illo tempore*, ut inquit Socrates lib. 5. Proemio, *quo* (Imperatores) *christiani esse coeperunt*, *Ecclesiae negocia ex illorum nutu pendere visa sunt*, *atque adeo maxima Concilia de eorumdem sententia convocata fuerunt*, multiplex assignari potest. 1. Est quod conspirantibus Imperatoribus cum Romanis Episcopis in bonum Ecclesiae, noluerunt hi cum ipsis de auctoritate convocandi Concilia contendere; praecipue cum ipsorum expressa consensio et facultas semper requireretur. 2. Quum pauper admodum tunc temporis esset Ecclesia, generalia Concilia cogi nequibant nisi Imperatorum expensis; hoc est transvehebantur ad locum Concilii Episcopi civitatum equis aut vehiculis quibus id Imperatores mandabant, totoque Concilii tempore imperialibus sumptibus sustentabantur, ut fidem facit Eusebius in vita Constant. lib. 3. et ex Constantii Epistola ad Liberium colligitur. 3. Caussa erat ne seditio aliqua fieret. Imperiali namque lege omnia hominum, cujuscumque conditionis essent, collegia vetita erant; unde ad suspicionem omnem amovendam sinebant Summi Pontifices ab Imperatoribus magna Concilia convocari. 4. Æquum videbatur ut Imperatores partem in Conciliorum coactione haberent, quoniam nonnisi in urbe aliqua imperiali tunc temporis potuissent ejusmodi Conventus haberi. 5. Licet Rom. Pontifex in spiritualibus primatum in universo orbe ex institutione divina obtineret, in temporalibus tamen Imperatorum subditus erat dominio; proindeque eum rogabat, ut

plurimum, ut Concilium congregari juberet. Ceterum ubi allatae caussae cessarunt, omnia generalia Concilia indicta ac celebrata fuerunt absoluta auctoritate ac sententia Romanorum Pontificum, ut ex occidentalium Conciliorum patet exemplo.

His bene perpensis, facili negocio explicantur nonnullae Veterum sententiae quae contra Catholicos facere videntur. Puta, Leo M. in Ep. quae est ad Theodosium Imp. XII. inquit: *Si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostrae dignetur annuere ut intra Italiam habere jubeatis episcopale Concilium, cito auxiliante Deo poterunt omnia scandala quae in turbationem totius Ecclesiae sunt resecari*. Etiam Liberius, teste Theodoreto lib. 2. Hist. cap. 16. enixe precabatur Constantium ut generale convocaret Concilium. Hieronymus autem Apol. 2. adv. Ruf. de quadam Synodo loquens: *Dic*, inquit, *quis Imperator hanc Synodum jussit convocari?* Haec, inquam, Veterum dicta ex superius recensitis caussis facile explicantur. Dicamus nihilominus aliquid ad singula. Quod magnnm Leonem spectat, non absolute generale Concilium, sed ut intra Italiae limites fieret a Theodosio postulabat. Positis namque paullo supra recensitis caussis, sine Imperatoris extrinseco quodam consensu Concilia fieri nequibant; et aliunde quae in praedatario Ephesino Concilio evenerant magnopere formidabat. Liberius autem probe cognoscens sine Imperatore qui tunc potentissimus erat atque Arianis favebat, haberi non posse ob allatas causas Concilium, ne Fidei caussa penitus proderetur, ipsum rogare non dubitavit ut convocaret Concilium. Adeo mos invaluerat, allatis superius de caussis, ut ab Imperatoribus generalia indicerentur Concilia; ut Hieronymi tempore nota seu character ad particulare Concilium a generali secernendum, esset convocatio ab Imperatoribus facta: atque ad vulgarem loquendi modum sese aptavit Hieronymus; neque enim scopus ejus erat definire ad quem Conciliorum spectaret convocatio, sed adversus Rufinum ostendere Concilium ab eo allegatum non fuisse generale.

CAPUT IV.

Quinam in Conciliis jus habeant suffragii decisivi.

Alia ad legitimum Concilium requisita conditio, de qua nobiscum Lutherani Calvinistae ac Protestantes omnes (non enim singulas a nobis capite hujus libri 1. recensitas conditiones in dubium revocant) controversiam habent, est, ut ad Concilium non admittantur, nisi qui episcopali sunt insigniti dignitate. Vocari quidem et admitti possunt etiam inferiores clerici, et Imperator aut Rex aliique homines laici, ut loco citato indicavimus: sed tamquam Concilii vera ac legitima membra admittendi non sunt nisi soli Episcopi. Hoc est, inferioris ordinis clerici aliique viri docti interesse possunt Concilio, ut disputando examinent difficultates et cum Episcopis conferant; alii sive clerici sint sive laici, ut ad-

ministrent, quales sunt notarii, custodes etc. et alii, videlicet Principes magnaeque auctoritatis viri, ut Concilium defendant curentque, ut omnia intus et extra sint pacata. Ast ad judicium suffragiumque ferendum decisivum, nonnisi qui episcopali gaudent charactere sunt admittendi, eamque ferendi suffragii auctoritatem habent Episcopi de jure divino. Nam ex ecclesiastico jure ac privilegio facultas eadem aliquibus ab hinc saeculis facta est Cardinalibus quoque non episcopis, Abbatibus, ac Ordinum generalibus Praepositis. Haec est omnium catholicorum sententia.

Lutherani autem, Calvinistae, aliique Novatores contendunt non Episcopos modo, sed reliquos etiam Fideles, dummodo pietate polleant ac eruditione, ad Concilium cum provinciale tum generale vocandos esse, in eoque jus habere suffragii decisivi non minus ac episcopos. Ita Lutherus in lib. de Concil. Molinaeus in Consil. de Trid. Conc. non recipiendo, Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. cap. 2. Cum catholicis sit

CONCLUSIO I.

Homines laici quantumvis pietate ac eruditione pollentes non habent in Conciliis sive provincialibus sive oecumenicis jus suffragii decisivi.

Prob. Ad illos suffragii ferendi decisivi in Conciliis facultas pertinet ad quos pertinet pascere oves et agnos, solvere atque ligare, et docendo ac instruendo aedificare. Quomodo enim tamquam judex quae credenda sunt et agenda poterit definire qui Pastor non est nec Doctor, neque ligandi aut solvendi habet potestatem? Ast ad viros laicos, etsi pietate ac eruditione pollentes, pascere oves et agnos, solvere atque ligare, populumque docere non pertinet. Nam 1. Viri laici quamvis doctissimi piissimique, non sunt Pastores, quoniam nullibi in Evangelio illis dictum fuisse legitur: *Pasce agnos meos ... pasce oves meas*. 2. Non sunt Doctores, quum Episcopis tantum dicta sint illa verba: *Alios autem pastores, et doctores etc.* cap. 4. Ep. ad Ephes. 3. Et quoniam solis Episcopis dicta sunt a Christo illa alia: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo;* quomodo poterunt Laici in Conciliis suffragium ferre decisivum? Pietas enim ac doctrina quae in viris laicis ab adversariis supponuntur, ad definitivum ferendum judicium nisi adsit et jurisdictio, satis non sunt; quum ejusmodi judicium semel ac latum fuerit, ad credendum agendumque quod definitum fuit Fideles omnes liget. Non est ergo Laicorum suffragium ferre in Conciliis decisivum.

Prob. 2. ex antiquissima Ecclesiae praxi. Nullum ab adversariis vel provinciale vel universale afferri potest Concilium, in quo Laici quamvis piissimi atque doctissimi suffragium tulerint decisivum. Nam in Conciliis quae Apostolorum tempore habita sunt, viros laicos ea aetate plane sanctissimos non interfuisse ut judices, constat legenti Actus Apostolo-

rum, et nos Concl. hujus cap. 3. fuse demonstrabimus. Reliqua Concilia tribus prioribus saeculis celebrata, fuisse tantum Episcoporum, historiae ecclesiasticae Scriptores omnes dissertissime narrant. Relege quae ex Eusebio, Socrate, aliisque superius adduximus testimonia, et quae acta fuisse diximus in caussa Rebaptizantium. De Conciliis post tertium saeculum celebratis nemini dubium esse potest quin omnia fuerint episcopalia. Imo aliquando viris laicis nullo modo adesse permissnm est, ut in Concilio Chalcedonensi accidit in quo Patres exclamarunt: *Mittite foras superfluos*; quae licet a paucis Episcopis aegyptiis qui Eutychianis favebant dicta fuerint, demonstrant nihilominus Ecclesiae consuetudinem non admittendi in Concilio Laicos.

CONCLUSIO II.

Presbyteri sapientia ac eruditione praecellentes admitti aliquando possunt in Conciliis ad suffragium ferendum consultivum.

Prob. 1. Ubi aliqua Fidei controversia implexa est et obscura, prudentiae regula est ut ad eam dilucidandam et explicandam ii advocentur qui maxima eruditione ac sapientia pollent. Verum in Conciliis Fidei controversiae discutiendae proponuntur quae aliquando implexae sunt ac obscurissimae. Eo itaque in casu cur non poterunt Presbyteri sapientia et eruditione praediti in Concilium admitti ut judicium ferant consultivum? Id tamen necessario non exigitur, quoniam Episcopi tanta esse possunt sapientia praediti, ut per se quascumque difficillimas Fidei ac morum controversias ventilare et discutere valeant: quo in casu superfluum esset Presbyteros etiam doctissimos ad Concilium ut consultores admittere.

Prob. 2. ex quo Ecclesia non raro viros summa eruditione praeditos in Conciliis tamquam consultores admiserit. Nam Eusebius lib. 6. H. E. cap. 37. narrat Patres Concilii Arabici admisisse Origenem Adamantinm ut contra novos quosdam haereticos disputaret. Idem lib. 7. cap. 28. refert admissum fuisse in Concilio Antiocheno Melchionem presbyterum ad Paulum samosatenum confutandum. Rufinus similiter tradit Athanasium tunc tantum diaconum, in Concilio I. Nicaeno cum Ario ejusque fautoribus strenue disputasse. In Conciliis demum Constantiensi ac Tridentino plures admissos fuisse legimus Presbyteros pietate et eruditione insignes, qui in privatis congregationibus difficiliores examinarent controversias; ut quod ex privato illo resultabat examine, exhiberetur considerandum Episcopis: in quo nemo umquam laudata Concilia reprehendit.

SCHOLION.

Simplices Presbyteri qui ad Concilium tamquam consultores mittuntur, quandoque mittuntur etiam ut Episcoporum Procuratores qui per se Concilio interesse non possunt: atque eo in casu jus habent ferendi

suffragium quoque decisivum; quum vices gerant Episcoporum a quibus mittuntur. Quod animadvertendum duximus ne quis legens simplices Presbyteros subscriptos in Conciliis una cum Episcopis, in errorem inducatur.

CONCLUSIO III.

Cardinales non episcopi, Abbates, ac generales Ordinum Praepositi auctoritatem habent ferendi in Conciliis suffragium decisivum, sed jure dumtaxat ecclesiastico et ex privilegio.

Prob. prior pars prop. Diutina consuetudo quum vim habeat praescriptionis, jus praebet et auctoritatem ei pro quo stat consuetudo. Stat autem pro Cardinalibus non episcopis, Abbatibus, ac generalibus Ordinum Praepositis diutina consuetudo suffragii decisivi ferendi in Conciliis generalibus. In Conciliis enim Basileensi, Florentino, Lateranensi sub Leone X. ac Tridentino subscripserunt more Episcoporum definiendo ut Judices. Idipsum factum est in nonnullis aliis occidentalibus Conciliis. Imo in Nicaeno II. Act. 4. subscriptos legimus una cum Episcopis Archimandritas, hoc est, Abbates ac regulares Praesules. Hinc in libro Pontificali statuitur ut Abbates dum ab Episcopis benedicuntur, spondeant se quoties a Romano Pontifice fuerint advocati, ad Concilium accessuros. Stat ergo illis ex privilegio jus interveniendi cum suffragio decisivo ad Concilium.

Dico ex privilegio, et en altera thesis pars, quoniam non in Evangelio aut Traditione divina, sed in lege et consuetudine ecclesiastica auctoritatis hujus initium invenitur, ut ex dictis hactenus colligitur.

CONCLUSIO IV.

Jure divino Episcopi auctoritatem habent ferendi in Conciliis suffragium decisivum.

Propositio haec constat ex dictis. Si enim viri laici nullum penitus jus habent ferendi in Conciliis suffragii decisivi, simplices autem Presbyteri nonnisi consultivum ferre possunt suffragium, et Cardinales non episcopi, Abbates, ac generales Ordinum Praepositi ferre quidem possunt decisivum suffragium, sed ex jure dumtaxat ecclesiastico; jam sua sponte sequitur solos Episcopos auctoritatem habere de jure divino ferendi in Conciliis suffragium decisivum. Prob. nihilominus propositio 1. ex eo quod in priori ab Ecclesia celebrato Concilio soli Episcopi suffragium tulere decisivum. Act. enim cap. 15. ubi primum illud describitur Concilium, narratur solos Apostolos ac Seniores judices extitisse, ibi scilicet solos Apostolos et Seniores convenisse testatur sacer Auctor: *Conveneruntque Apostoli, et Seniores videre de verbo hoc*. Soli Apostoli, universa tacente multitudine, loquentes inducuntur, *Surgens Petrus dixit ad eos: Viri*

Fratres etc. Et paullo infra: *Tacuit autem omnis multitudo, et audiebant Barnabam, et Paulum narrantes.* Et iterum: *Postquam tacuerunt, respondit Jacobus.* Soli denique Apostoli ac Seniores nomine et auctoritate Spiritus sancti sententiam pronuntiant dicentes: *Visum est enim Spiritui sancto, et nobis.* Porro celebratum tunc ab Apostolis Concilium regula esse debet ac norma reliquorum in Ecclesia celebrandorum: quod enim faciebant Apostoli illud a Christo accepisse credendum est. 2. Quoniam ad Episcopos commissum pascere gregem, et Ecclesiam regere et gubernare, de jure divino pertinet. Paulus quippe Act. cap. 20. *Attendite vobis*, inquit, *et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ferre autem in Conciliis suffragium definitivum nonne est Ecclesiam regere et gubernare? 3. Nullum in universa ecclesiastica historia legitimum reperire est Concilium in quo alii ab Episcopis tamquam veri judices a Deo constituti subscripserint, ut ex iis quae supra tradidimus liquatissime patet.

Satisfit adversariis.

Obj. I. cont. 1. thesim. In universali Concilio universa repraesentatur Ecclesia. Cumque ad hanc repraesentandam necessario etiam Laici requirantur, nec solis Clericis, sed et Laicis Ecclesia constet; consequitur in generali Concilio Laicos quoque debere ut judices sedere. II. Fidei caussa et Laicis et Clericis communis est; unde Concilia quae ad Fidei caussas pertractandas celebrantur ex Laicis aeque ac Clericis conflata esse debent. III. et eodem plane modo caussa Fidei ad Laicos quam ad Clericos pertinet. Nam Nicolaus Papa I. ut habetur canone, *Ubinam*, dist. 96. ita loquitur: *Ubinam legistis Imperatores antecessores vestros synodalibus conventibus interfuisse, nisi forte in quibusdam, ubi de Fide tractatum est, quae non solum ad Clericos, verum etiam ad Laicos et ad omnes omnino pertinet Christianos?* IV. neque argumentum eluditur reponendo ad Imperatores Fidem spectare ut ad defensores. Nam subscripserunt ipsi aliquando Conciliis una cum Episcopis, ut in Concilio C-P. IV. factum est: cui ut subscriberent rogati sunt Basilius et Constantinus filius etiam ante Legatos Rom. Pontificis. Imo aliquando etiam generalia Concilia confirmarunt, ut prae ceteris Constantinus M. et Theodosius senior praestiterunt, quorum primus, teste Eusebio lib. 3. de vita Constant. cap. 17. Nicaenum I. alter vero confirmavit Constantinopolitanum I.

Resp. ad 1. Quamvis Ecclesia a viris quoque laicis componatur, optime nihilominus repraesentatur a solis Episcopis, qui omnes simul conjuncti universalem repraesentant Ecclesiam. *Ecclesia enim*, inquit Cyprianus in Ep. ad Jubajan. *in Episcopo est.* Omnes autem simul junctos Episcopos universalem exhibere Ecclesiam, liquet et ex S. P. Augustino qui lib. 1. de Bapt. cap. 18. affirmat Concilium plenarium cui soli interfuerunt Episcopi, fuisse totius orbis consensum. Et ante Augustinum idem tradiderat Eusebius loco nuperrime laudato, ubi Concilium 318. Episcoporum

Conventum vocat *orbis terrarum*. Neque enim ad universam repraesentandam Ecclesiam omnes ii necessarii sunt qui illam componunt; alioquin vocandi ad Concilium forent omnes omnino Fideles neque foeminis ac pueris exceptis, quum ex foeminis quoque ac pueris fidelibus Ecclesia componatur; quod absurdum esse adversarii ipsi non diffitentur.

Ad 2. Caussa Fidei omnibus quidem quoad actum et habitum communis est, quoniam ad aeternam salutem consequendam omnes sive Clerici sive Laici credere debent quae credenda sunt: ast diverso modo ad Episcopos pertinet et ad Laicos. Ad Episcopos ut ad doctores atque magistros, ad Laicos vero ut ad discipulos. Hinc Episcoporum est docere, decernere, ac judicare; Laicorum autem humiliter audire, et audita ac definita in mente scribere et retinere. Etiam Regni caussa communis est omnibus; an ne igitur eodem modo Regni leges a viliori plebe ac a Rege ipso Regnique proceribus tractandae erunt?

Ad 3. Optime respondere solent Theologi, Fidei caussas ad Imperatores ut ad defensores, non ut ad judices atque doctores pertinere. Ex quo enim Fides communis aliquo sensu sit omnibus, recte Nicolaus I. infert debere interesse Imperatores Conciliis ut defensores; quo videlicet edictis ac legibus accuratam curent observantiam eorum quae in Conciliis definiuntur. Non sequitur inde tamen Imperatores habere in Conciliis jus suffragii definitivi, quum munus a Deo gestandi gladium acceperint, non cathedram ascendendi. Relege Osii sententiam apud Athanasium superius relatam. Et Imperator Valentinianus Episcopis facultatem Concilii cogendi petentibus, apud Sozomenum lib. 6. cap. 7. respondit: *Sibi qui e Laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negociis interponere; et ideo Sacerdotibus et Episcopis quibus haec curae sunt, seorsim per se, ubicumque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant*. Gemina habet Theodosius junior in Ep. ad Ephesinum Concilium.

Ad 4. Episcopi pastores doctores et judices, Principes vero eorum quae ab Episcopis sancita sunt ac definita, defensores ac vindices a Deo sunt constituti. Quare tum Episcopi tum Principes subscribere solent Conciliis, eaque confirmare. Episcopi quoad vim obligandi in conscientia; quoniam iis dictum est: *Quaecumque alligaveritis super terram etc.* Principes autem quoad externam executionem; efficiunt quippe eorum subscriptione et confirmatione ut quae in Conciliis definita sunt, executioni mandentur. Quod si dicas: cccur ergo Basilius ejusque filius Constantinus Imperatores IV. Concilio C-P. ante Legatos Rom. Pontificis subscripserunt? Respondeo non jure, sed ex gratia id praestitisse. Romani enim Pontificis Legati sic Imperatores rogarunt: *Volumus ut subscribant primitus Christi amatores Imperatores, et deinde secundum ordinem S. Synodus*. Quorum precibus haec Imperatores reposuerunt: *Tranquillissimum Imperium nostrum vult subscribere post subscriptionem omnium sanctissimorum patriarchalium sedium Vicariorum*. Ceterum Episcopi ita subscribere consueverunt: *Ego N. Episcopus definiens subscripsi*; quod nusquam fecisse legitur Imperatores.

Obj. 2. cont. eamd. prop. Ut quis jus habeat in Conciliis suffragii ferendi decisivi summa pollere debet sapientia et eruditione: quum enim conciliari definitioni diligens praemitti debeat examen, sacrarum Literarum, Traditionis, veterumque Canonum peritia necessaria est, quae in viris laicis quandoque magis quam in pluribus Episcopis reperitur. 2. Hinc Gratianus dist. 36. q. 2. Can. ult. docet unius Hieronymi qui sane episcopus non erat, sententiam toti Concilio praejudicasse. 3. Socrates autem lib. 1. cap. 3. et Sozomenus lib. 1. cap. 22. narrant solius Paphnuntii sententiam toti Nicaeno I. Concilio volenti Presbyteris usum uxorum vetare, praevaluisse.

Resp. ad 1. Ad ferendum in Conciliis definitivum judicium, non sola satis est eruditio, sed necessaria est praecipue jurisdictio. Suffragium quippe decisivum quod in Conciliis fertur, lex est Fideles in interiori conscientiae foro obligans: atque idcirco potestatem supponit ligandi atque solvendi, quae in solis Episcopis quamvis literarum rudibus residet. Praemitti utique conciliari definitioni debet diligens ac maturum examen, ubi res quae decernenda proponitur obscura sit et implexa; necesse tamen non est ut omnes ac singuli Episcopi eadem polleant sapientia, literarumque peritia. Sed disquisitio fit a doctioribus, ceteris audientibus, et si libeat approbantibus. Accedit deinde quod ab antiquo consuetudo invaluit ut in Concilio admittantur, ut diximus, Presbyteri Monachique doctissimi, quorum munus est quaestiones obscuras et implicatas exponere ac dilucidare.

Ad 2. Hieronymi verba a Gratiano relata inter opera illius non reperiuntur. At revera falsum est Hieronymi sententiam judicio Concilii fuisse contrariam, ut Gratianus affirmat. Affirmat enim Hieronymus licuisse juxta veterem legem raptori puellae ducere uxorem raptam, supposito parentum consensu. Concilium vero decrevit non licere raptori in nova lege raptam puellam ducere uxorem, quamvis permissum id in veteri lege esset. Ubi est contrarietas? Denique non diffitemur unius Presbyteri sententiam toti praevalere posse Concilio, antequam Episcopi ad definiendum accedant.

Ad 3. Suspecta a doctis viris habetur Socratis ac Sozomeni de facto Paphnuntii narratio, quum nec Eusebius nec Athanasius neque Rufinus aut quivis Veterum mentionem illius habeat. Ea tamen historia tamquam vera admissa, quid contra Catholicos concludit? Paphnuntius judicium suum non post, sed ante Concilii protulit definitionem. Nam can. 3. Nicaeni I. Concilii statuitur ne quis Sacerdos, Diaconus, vel Subdiaconus foeminas domi retineat praeter matrem, sororem, et amitam.

Obj. 3. adv. 2. thesim. Presbyteri sapientia ac eruditione praeclari admitti in Conciliis debent ad ferendum suffragium non modo consultivum, sed et definitivum; quum in Apostolorum Concilio quod norma esse debebat futurorum, ita factum sit. Nam Actor. cap. 15. ita Concilium illud describitur: *Convenerunt Apostoli et Seniores videre de verbo hoc*. En ad Concilium vocati una cum Apostolis etiam Seniores. Versu 23. sub-

dit Auctor : *Apostoli, et Seniores fratres his, qui sunt Antiochiae, et Syriae, et Ciliciae fratribus ex gentibus salutem*. En synodica Epistola non minus Apostolorum quam Seniorum nomine scripta. Subinde sic eadem Epistola concluditur: *Visum est Spiritui sancto, et nobis etc.* Apostolorum scilicet ac Seniorum definitiva lata est sententia. Ast Seniorum nomine nonnisi Presbyteri intelligi possunt: tum quia vox graeca πρεσβύτερος, seniorem aetate non dignitate significat: tum quia nequeunt intelligi Apostoli qui *Apostoli* ibi expresse appellantur. Hoc eodem utuntur argumento catholici nonnulli recentiores Theologi ut sibi suadeant praeter Episcopos pastores primarios, etiam Presbyteros seu Parochos qui secundarii pastores appellantur, jus habere in Conciliis, et quidem de jure divino, suffragii ferendi decisivi.

Resp. ad 1. Bellarminus Seniores hierosolymitano interfuisse Concilio diverso admodum ab Apostolis modo; hos tamquam judices, illos autem ut consultores. Hinc laudato in capite, inquit, soli Apostoli loquentes et definitivam proferentes sententiam inducuntur. Sed responsio haec non satis firma videtur. Seniores quippe non ut consultores, sed tamquam judices in apostolico illo consessu adfuisse demonstrat synodica Apostolorum Epistola, quae habet: *Apostoli, et Seniores fratres etc.* Quare si Seniorum nomine simplices veniant Presbyteri aut secundi ordinis pastores, habebunt hi auctoritatem non secus ac Episcopi definitivam in Conciliis proferendi sententiam. Seniorum itaque nomine, eo in capite intelliguntur antiquiores seu antecessores in dignitate et episcopali insigniti charactere. Quum enim hierosolymitanum illud Concilium an. vulgaris aerae 51 fuerit celebratum, quo tempore longe lateque diffusa jam erat Christi Ecclesia, jam plures ex septuaginta duobus discipulis Episcopi ordinati ab Apostolis fuerant, atque hi una cum Apostolis suffragium tulerunt definitivum. Nec quidquam huic responsioni officit graeca vox πρεσβύτερος: Eaedem enim voces ampliorem nunc, alias strictiorem sortiuntur significationem. Si quis legens opera Patrum ibique Episcopos nomine Papae vocari animadvertat, vellet inde concludere parem esse cuilibet Episcopo ac Summo Pontifici auctoritatem, pessime certe argumentaretur. Quamvis ergo in V. Testamento vox, *Senior*, grandaevum aetate et majorem in dignitate promiscue significet, in novo tamen pro viro episcopali insignito dignitate tantummodo usurpatur; unde Johannes qui apostolus erat, proindeque episcopus, in duabus suis postremis Epistolis se seniorem appellat: *Senior Electae dominae ... Senior Gajo charissimo*, quo titulo gloriatur etiam Apostolorum Princeps in 2. Epistola.

COROLLARIUM.

Omnes itaque ac singuli totius orbis Antistites quamvis *titulares* tantummodo sint, nisi sint excommunicati, interesse possunt ac debent Concilio, in eoque suffragium ferre decisivum. Hujus rei praecipua ratio est, quoniam omnibus Episcopis creditum est in solidum, ut Cyprianus

in Ep. ad Jubaj. inquit, sub uno visibili capite Romano Pontifice Ecclesiae regimen in iis quae ad Fidem et mores spectant. Nec aliud inter titulares ac ordinarios Episcopos discrimen intercedit, nisi quod illis *depositum Fidei* concreditum est in solidum tantum una cum aliis Episcopis in universali Concilio; his autem extra Concilium creditum est alicujus particularis ecclesiae quoad Fidem ac morum regimen.

CAPUT VI.

Quis praesidere debeat generali Concilio.

Nunc aliqua de generalium Conciliorum praesidentia dicenda quoque sunt, quoniam de hac etiam quaestio oritur Catholicos inter ac Novatores. Lutherani enim, Calvinistae, aliique malae caussae patroni, ut omnem a Romano Pontifice ecclesiasticam amoveant potestatem, affirmare non dubitant jus universali praesidendi Concilio vel per se vel per Legatos suos ad solum spectare Romanum Imperatorem. Quod si, addunt, nolit ipse jus illud suum exercere, tunc ad Concilii Patres spectat sibi primitus eligere Praesidem. Haec effutiunt haeretici adversus Catholicos asserentes Summi Pontificis esse praesidere vel per se vel per Legatos suos Conciliis oecumenicis. Sit igitur

CONCLUSIO I.

Solus Rom. Pontifex auctoritatem habet ordinariam generali praesidendi Concilio.

Prob. 1. Solus Rom. Pontifex auctoritatem habet ordinariam exercendi in Ecclesia actus illius potestatis, quae summa est et prae ceteris suprema. Nam ipsi soli datum est a Deo ut totius Ecclesiae sit visibile caput, ut primatum in ea exerceat jurisdictionis, ac proinde ut omnium etiam Episcoporum sit pastor et rector: qui characteres ad exercendum in universali Ecclesia supremae potestatis actum requiruntur. Praesidere autem generalibus Conciliis est procul dubio actum summae potestatis in Ecclesia exercere; est namque primatum in Fidelium gerere congregatione quae universalem repraesentat Ecclesiam, et definire ac tamquam credenda gerendaque statuere atque proponere quae ad universam spectant Ecclesiam: atque idcirco ad solum Rom. Pontificem auctoritas spectat de jure ordinario praesidendi Conciliis.

Prob. 2. Factum diutinum constans, cui nemo umquam contradixit et in praxim transit Ecclesiae, jus ordinarium arguere cuique manifestum est. Ast Rom. Pontifex vel per se vel per Legatos suos, nemine umquam contradicente, omnibus praefuit legitimis in Ecclesia habitis oecumenicis Conciliis. Et quod Concilia spectat occidentalia, nulla nos inter ac Novatores controversia est; et ipsi namque fatentur singulis Lateranensibus, Lugdunensibus, Viennensi, ac Florentino, per se; reliquis au-

tem occidentalibus per Legatos suos praesedisse, quamvis mendaciter dicant fecisse id per violentiam. Dubium movent dumtaxat circa octo priora Concilia orientalia, sed perperam, ut ex enumeratione patebit.

Concilio Nicaeno I. nomine et vice Silvestri I. praesedisse Osium cordubensem antistitem, Vitum, ac Vincentium presbyteros romanos, tota retro testatur antiquitas. Athanasius enim in Ep. ad solitariam vitam agentes affirmat Osium cordubensem fuisse absque ulla contradictione illius Concilii principem. Ast Episcopus occidentalis non alia ratione principatum in orientali Synodo poterat obtinere, nisi Silvestri qui tunc in cathedra Petri sedebat vices gerendo. De Vito vero et Vincentio romanis scribit Socrates lib. 1. Hist. cap. 5. *Urbis vero illius, penes quam imperium est, Episcopus ingravescente aetate praepeditus abfuit: sed ejus Presbyteri qui aderant, ejus locum supplevere.* Eadem fere verba habet Theodoretus lib. 1. Hist. cap. 7. Et clarius loquitur Hincmarus lib. 55. cap. 20. *Silvestri tempore celebrata est sacra Nicaena Synodus, cui ad vicem Silvestri praesederunt Osius cordubensis episcopus, Vitus, et Vincentius presbyteri urbis Romae.*

Alteri oecumenico Concilio, C-P. videlicet I. nec per se quidem nec per Legatos suos Damasus Rom. Pont. praefuit, quum nullus in Oriente tunc versaretur occidentalis Episcopus: Sed si adfuisset, Concilio proculdubio praefuisset, ut ex ejusdem Damasi Epistola ad secundae Synodi Patres, quae est apud Theodoretum lib. 5. Hist. cap. 10. clare colligitur: qua Patribus laudati Concilii *Patrem* eum et *Caput* nuncupantibus respondens, *Filios honoratissimos*, bis et tertio illos compellat. Ratio autem cur S. Pontifex Legatos suos Constantinopolim ut Concilio praeessent non misit, ea fuit quod orientales Episcopos Romam ubi plenissimum exoptabat haberi Concilium, vocare cogitabat. Sed ex accepta ab eis legitima excusatione animo ac sententia occidentalibus eos conjunctos agnoscens, C-P. Synodum ratam legitimamque habuit in Synodo Romae eodem tempore eademque de caussa celebrata. Atque ita C-P. I. Concilium legitimum fuit et oecumenicum, licet Rom. Pont. ei non praesederit.

Cyrillus patriarcha alexandrinus primitus, tum simul cum eo Projectus, Arcadius, et Philippus praefuerunt Ephesino Concilio nomine Caelestini Rom. Pontificis. Hujus namque Concilii Act. 1. Cyrillus dicitur, *Caelestini Romanae Sedis Archiepiscopi locum obtinuisse*. Et Act. 3. legitur: *Considentibus Cyrillo alexandrino, qui et Caelestini quoque sanctissimi R. E. Archiepiscopi locum obtinebat, et Arcadio episcopo Romanae Sedis Legato etc.* In Epistola demum Caelestini ad Cyrillum haec ad rem nostram occurrunt: *Quamobrem nostrae Sedis auctoritate adscita, nostraque vice et loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris*. Testantur hoc idem Evagrius lib. 1. cap. 4. Photius in lib. de sept. Synod. Prosper in Chronico, cunctique Veteres.

Legati Leonis Papae Concilio Chalcedonensi generali IV. praesederunt, ut ex ejusdem Concilii Act. 3. apertissime patet, ubi sic legitur: *San-*

ctissimus ac beatissimus Papa caput universalis Ecclesiae Leo , per nos Legatos suos S. Synodo consentiente , Petri Apostoli praeditus dignitate ... episcopali dignitate Dioscorum nudavit , et ab omni sacerdotali opere fecit extorrem. Id quoque colligitur ex ejusdem Leonis Epistola ad Synodi Patres , in qua sic ait : *In his Fratribus qui ab apostolica Sede directi sunt, me Synodo fraternitas vestra existimet praesidere* .

Quamvis generali V. Concilio Vigilius romanae urbis Antistes justis de caussis praesidere noluerit, ad illum tamen praesidentiam spectasse Eutychius C-P. episcopus qui ei praesedit Concilio ingenue fassus est, ad illum scribens : *Petimus , praesidente nobis vestra Beatitudine , de tribus capitulis quaeri et conferri* .

Agatho Papa VI. generali Synodo per Theodonem et Georgium presbyteros et Johannem diaconum praefuit . Haec quippe in singulis Concilii act. leguntur : *Conveniente autem sancta et universali Synodo , Theodone et Georgio venerabilibus presbyteris et Johanne venerabili diacono locum adimplentibus SS. ac beatissimi Archiepiscopi antiquae Romae Agathonis , et Georgio venerabili atque sanctissimo archiepiscopo hujus magnae Constantinopoleos novae Romae etc.* Et quamvis romanae Sedis Legati Presbyteri dumtaxat essent , in singulis nihilominus actionibus primi nominantur , leguntur , subscribunt .

Septimum universale Concilium Nicaenum II. praesidem habuit Agathonem Rom. Pontificem per Petrum E. Q. archipresbyterum , et Petrum presbyterum et Monasterii S. Sabae Abbatem . Legantur Synodi hujus actiones 1. 5. et 7. Hinc primi omnium his verbis subscribunt : *Petrus vices agens Adriani Papae veteris Romae , definiens subscripsi* .

Adriani nominis hujus II. Rom. Pontificis in VIII. oecumenica Synodo vices gesserunt Donatus ac Stephanus episcopi et Marinus diaconus , qui sic ante ceteros Episcopos nominantur: *Convenientibus Donato et Stephano episcopis et Marino diacono locum tenentibus Adriani Episcopi senioris Romae , et Ignatio archiepiscopo C-P. novae Romae* . Et ita demum Concilii actis subscribunt : *Ego Donatus ... huic sanctae et universali Synodo praesidens subscripsi* . Singulis itaque orientalibus oecumenicis Synodis praefuisse Romanos Pontifices hactenus demonstravimus . Praesedisse quoque Conciliis occidentalibus in dubium non revocant adversarii . Ex constanti igitur consuetudine Ecclesiae quae legis loco haberi debet, luculentissime apparet jus ordinarium , et quidem divinum , praesidendi Concilio oecumenico ad solum spectare Romanum Pontificem . Dico de jure ordinario , quoniam sicut nonnulli sunt casus in quibus alius praeter Rom. Episcopum universale convocare potest Concilium , ita et alius ei poterit praesidere . Vide caput 1. hujus libri .

CONCLUSIO II.

Aliquo sensu dici potest Imperatores praesedisse quandoque generalibus Conciliis, vel quoad locum nimirum materialem, vel quoad ordinem pacemque in Concilio servandam; numquam tamen quoad suffragium ac directionem.

Prob. 1. prop. pars. Constantinus M. teste Eusebio in ejus vita lib. 3. cap. 10. Nicaeno I. Concilio praefuit, quatenus honoratiore sedit in loco: *Postquam*, inquit, *Imperator ad caput subselliorum venit, primus medius stetit, positaque ante eum humili sella ex auro fabrefacta, non prius assedit quam Episcopi ei annuissent; idem omnes post Imperatorem fecerunt*. Eodem sensu praefuerunt Concilio oecumenico IV. Marcianus, et VI. Constantinus Pogonatus, quatenus nempe in summo et honoratiore loco sederunt.

Prob. altera pars. Quoad ordinem pacemque servandam praesedisse Nicaeno I. Constantinum patet ex XI. Q. 1. can. *Constantinus Imperator praesidens in S. Synodo quae apud Nicaeam congregata erat, cum querelam quorumdam ad se delatam conspiceret ait: Vos a nemine dijudicari potestis, quia ad Dei solius judicium reservamini*. Ephesino quoque I. eo sensu praesedit Theodosius per Candidianum comitem Legatum suum; quo videlicet omnia pacifice et ordinate gererentur. Ita in Sacra ad Concilium legitur: *Candidianum ad vestram Synodum abire jussimus, ut Monachos et Saeculares qui hujus spectaculi caussa eo nunc confluxerunt vel confluent, ab ea* civitate *submoveat*; *prospiciat ne qua gravior dissensio ex mutuo repugnandi studio coorta, Synodi consultationem et veritatis indagationem obturbet*. In Concilii Chalcedonensis Ep. ad Leonem M. quae extat act. 3. *Imperatores fideles*, inquiunt Patres, *ad ordinandum decentissime praesidebant*. Dei ministerium in iis quae extrinseca sunt, gessit quoque Constantinus Pogonatus in VI. oecumenica Synodo, ut ex illius act. 1. et ex iis quae ad Imperatorem scripsit Leo II. apertissime constat. Idipsum de Irenes Imperatricis ejusque filii in VII. Synodo, et Basilii in Synodo VIII. praesidentia intelligendum est.

Prob. modo 3. thesis pars. Imperatores qui oecumenicis Conciliis praesedisse absolute aliquando dicuntur, expresse fassi sunt nullum sibi jus fuisse in iis quae intrinseca sunt; hoc est, quae ad suffragium pertinent ac vim directivam. Constantinus, puta, quem Nicaeno I. Concilio praefuisse narrant Historici, palam professus est se in iis quae internum Ecclesiae regimen spectant, nihil omnino posse; unde inquit Eusebius in illius vita lib. 4. cap. 24. *Quocirca non absurde cum Episcopos aliquando convivio exciperet, se quoque episcopum esse dixit, his fere verbis usus nobis praesentibus: Vos quidem*, inquit, *in his quae intra Ecclesiam, ego vero in iis quae extra geruntur episcopus a Deo sum constitutus*. Theodosius junior et Valentinianus dum Candidianum comitem ad Ephesinam Synodum ut ei praesideret miserunt, protestati sunt se illum misis-

se *ea lege et conditione*, *ut cum quaestionibus et controversiis quae circa Fidei dogmata incidunt*, *nihil quidquam commune habeat*: verba sunt Imperatorum ad Patres Concilii in Ep. quae habetur p. 1. Conc. Ephesini. Constantinus Pogonatus ad quem Leo Papa II. scribens inquit, *Sancta universalis Synodus quam nutu Dei studiose vestra clementia convocavit*, *et cui pro Dei ministerio praefuit*, scribens ad Gregorium Summum Pont. ita loquitur: *Neque cum illis* (Episcopis) *tamquam Imperator sedebo aut imperiose loquar*, *sed tamquam unus ex illis*, *et prout statuerint Pontifices ego exequar*. Hinc Athanasius in Ep. ad Solit. merito Constantium Imperatorem redarguit quod Conciliis praesidere voluerit quoad suffragium ac vim directivam. *Si judicium*, inquit, *Episcoporum est*, *quid cum eo commune habet Imperator*? Eadem de caussa redargutus jam fuerat idem Constantius ab Osio cordubensi his verbis apud Athanasium loco citato: *Ne nobis in hoc genere praecipe*, *sed ea potius a nobis disce*. *Tibi Deus imperium commisit*, *nobis ea quae sunt Ecclesiae concredidit*. Et infra: *Quis enim videns eum in decernendo Principem se facere Episcoporum et praesidere judiciis ecclesiasticis*, *non merito dicat illum eam ipsam abominationem desolationis esse quae a Daniele praedicta est?* Nihil his verbis luculentius. Quare si quando Imperatores generalibus praefuere Conciliis, intelligi id de praesidentia debet quoad locum materialem pacemque in Conciliis servandam, non quoad suffragium ac vim directivam quae praesidentia est proprie dicta, quamque haeretici audacter denegant supremo Ecclesiae Hierarchae.

Argumenta quae adversus statutas propositiones pugnare videntur, *expediuntur*.

Obj. 1. cum Luthero et Calvino. Romanos Pontifices praesedisse omnibus fere occidentalibus Synodis non arguit in illis ordinarium jus praesidendi, quoniam subdole ac per vim jus illud sibi arrogarunt. Nam contrarium penitus Ecclesiae consuetudo demonstrat. Et revera Nicaenum I. praesidem habuisse Eustathium antiochenum tradit lib. 3. de vita Constant. Eusebius cap. 2. ubi principem inter ceteros Episcopos locum illi attribuit dicens: *Episcopus autem qui in dextro ordine primam sedem occupabat*, *perbrevi oratione Imperatorem affatus est*. Ille autem Episcopus juxta Theodoretum Hist. lib. 1. cap. 7. erat Eustathius antiochenus. Vel potius eidem praefuit Concilio Athanasius, ut opinatur Calvinus. Hi autem non erant Legati Rom. Pontificis. Osium autem, Vitum, ac Vincentium qui Silvestri Legati erant, non praesedisse colligitur ex Eusebii, Sozomeni, aliorumque Veterum silentio; neque enim rem tanti momenti tacite praeteriissent. Vel denique dici potest, ait Brentius, Concilio Nicaeno I. Imperatorem ipsum praefuisse; quum se episcopum diceret, et quidem a Deo constitutum, et Episcoporum more cuncta gereret. Nam tamquam controversiarum judicem una cum Episcopis Concilio subscripsit.

Resp. Romanum Pont. subdole ac per violentiam jus sibi usurpasse oc-

cidentalibus praesidendi Conciliis mera haereticorum calumnia est, quae eadem qua asseritur facilitate negatur. Eustathii antiocheni nomen in Nicaeni Concilii subscriptionibus nec primo aut altero aut tertio loco, sed inter alios inferius positum invenitur. Ex subscriptionum autem ordine Episcoporum primatus ut plurimum dignoscitur. Quod vero Eusebius affirmet primum in dextro ordine Eustathium sedisse brevique oratione alloquutum fuisse Imperatorem, demonstrat ad summum eximiam illius sanctitatem, exquisitam doctrinam, aetatemque provectiorem, non praesedisse Concilio. *Vel dicendum est*, inquit Juvenin de Loc. diss. 4. art. 3. *illum ordinem in quo sedebat Eustathius, fuisse dextrum respectu ingredientium in Aulam in qua celebrabatur Concilium, non autem respectu Imperatoris; ac proinde Eustathium non sedisse in honoratiore loco*. Sed neque improbabile videtur quod arbitratur Bellarminus, fuisse videlicet eo in Concilio tres sedentium ordines, a dextris, a sinistris, et in Aulae capite. A sinistris primum sedisse putat Macarium hierosolymitanum, a dextris Eustathium antiochenum, et in capite Aulae Imperatorem medium inter Legatos Rom. Pontificis. Quamlibet ex his sequaris opinionem satis superque solutum remanet argumentum. Nam quod addit Calvinus de praesidentia Athanasii non moror: tum quia de penu suo et absque ulla vel levi conjectura id affirmat haereticus: tum etiam quia Rufinus Hist. lib. 10. cap. 14. et Gregorius nazianzenus Orat. in Athan. testantur tempore Nicaeni Concilii Athanasium simplicem fuisse diaconum Alexandri alexandrini episcopi sui comitem, adeoque nec inter Episcopos sedisse. Et revera, nullibi in eo Concilio Athanasii nomen apparet. Eusebius atque Sozomenus non expresse, sed equivalenter affirmant Osium, Vitum, et Vincentium Nicaeno Concilio praesedisse; tradunt enim Silvestri locum occupasse, ejusque gessisse vices. Imo in recensendis Episcoporum nominibus, Osium, Vitum, ac Vincentium orientalibus Patriarchis semper praeponunt. *Aderat*, inquit Socrates lib. 1. Hist. cap. 9. *Osius episcopus cordubensis, Vitus et Vincentius presbyteri, Alexander episcopus Aegypti, Eustathius magnae Antiochiae, Hierosolymorum Macarius etc.* Quod objicit Brentius de nihilo est. Constantinus enim episcopum se faciendo in iis quae extra Ecclesiam geruntur, non controversiarum se faciebat judicem et interpretem. Quod adeo verum est, ut in Concilio professus palam fuerit debere se ab Episcopis judicari, eisque subditum esse, ut narrat Rufinus Hist. lib. 10. cap. 2. Subscripsit quidem Nicaeno Concilio, sed post ceteros Episcopos, et assentiendo, non definiendo ac judicando. Imperatorum autem subscriptio, ut supra monuimus, vel per se vel per Legatos, demonstrat dumtaxat assentiri se iis quae a Patribus definita sunt, ac velle ut ab omnibus serventur et custodiantur. Nec obstat quod in VIII. generali Synodo Basilius ante omnes subscripserit Episcopos et ante ipsos Legatos Romanae Sedis, nam fecit id a Legatis enixe rogatus: quum enim optime de Ecclesia meritus esset, hunc ei deferre voluerunt honorem. Et Basilius sibi jure privilegium illud non convenire ostendere volens, ita Legatis respondit: *Tranquillissimum Impe-*

rium nostrum vult subscribere post subscriptionem omnium sanctissimorum patriarchalium sedium Vicariorum.

Objiciunt praeterea. Falsum est Ephesino I. Concilio alexandrinum Cyrillum praesedisse nomine et vice Caelestini Rom. Pontificis; constat namque ex Candidiani Epistola ad Theodosium vices implevisse Cyrillum africanorum Antistitum, quorum certe nomine Concilio praesidere non poterat. 2. Imperatores proprio nomine miserunt aliquando Legatos ut Concilio praeessent. Ita Theodosius misit Dioscorum ut Concilio praeesset Ephesino II. teste Evagrio lib. 1. cap. 10. in haec verba: *Hujus Concilii praeses fuit Dioscorus, quo odium in Flavianum incenderetur. Chrysaphius enim, qui tunc praefectus Palatii fuit, hanc rem callide molitus est.* 3. Carolus M. ita in Ep. ad Elipandum loquitur: *Scriptam itaque in Epistola vestri hujusmodi precationem invenimus*, Poscentes ut per te arbiter sedeas: *ecce ego vestris petitionibus satisfaciens congregationi Sacerdotum auditor et arbiter sedi.* 4. Leo Papa II. ad Constantinum Pogonatum haec scribit: *Sancta universalis VI. Synodus ... cui pro Dei ministerio praefuit etc.*

Resp. ad 1. Blondelli argumentum inscitiam undique spirare. Cyrillum Ephesino Concilio nomine Caelestini Papae praesedisse jam fuse et ad oculum supra demonstratum est; et nunc quae Caelestinus habet in Ep. ad Clerum C-P. confirmationis loco addimus. *Vicem nostram*, inquit, *sancto fratri meo Cyrillo delegavimus.* Nemo autem ex Veteribus umquam asseruit Cyrillum africanorum Praesulum vices implevisse, sed narrant dumtaxat Episcopos africanos sententiam suam sententiae Cyrilli adjunxisse. Nec aliud sibi vult Candidianus in Ep. ad Imperatorem. Quamquam hujus viri nomen ad faciendam fidem parum videatur idoneum; quum is ac Irenaeus ambo comites ab Imperatore tumultuum compescendorum caussa ad Concilium missi, Nestorii partes vaferrime tuerentur.

Ad 2. Quod Princeps aliquis ex errore et contra omne jus sibi suadeat auctoritatem habere praesidendi Concilio, in exemplum ad ostendendum id de quo controversia est adduci non debet. Theodosium autem contra fas et ex errore sibi suasisse penes se auctoritatem esse mittendi ad Ephesinum II. Concilium praesidem Dioscorum, indicant in primis laudata Evagrii in argumento verba. Si namque Chrysaphius utpote Eutychianorum fautor hanc rem callide molitus est, igitur Chrysaphius in errorem induxit Imperatorem. Deinde infaustus Concilii exitus rem totam conficit: adeo enim male res gesserunt, ut illud Concilium latrocinium ephesinum dictum merito fuerit.

Ad 3. et 4. Imperatores Carolus M. et Constantinus Pogonatus generalibus praefuere Conciliis in iis quae extrinseca sunt tamquam custodes ac vindices, non in iis quae intrinseca sunt Ecclesiae. Et Carolus quidem M. allatis in argumento verbis inquit: *Ecce ego ... Sacerdotum congregationi auditor et arbiter assedi. Auditor*, comparate ad Fidei definitionem; *Arbiter*, quoad pacem conciliandam et servandum ordinem. Etiam Constantinus Pogonatus Dei ministerium exercuit Concilio praesidendo, in iis quae Fidei ac moribus extrinseca sunt.

SCHOLION.

Generale Concilium cui Rom. Pontifex nec per se nec per Legatos suos praesideret, haberi non posset ut legitimum. Hac enim praecipue de caussa Ephesinum II. de quo proxime loquebamur illegitimum fuit, quoniam missis ab apostolica Sede Legatis praesidentia denegata fuit. Fieri tamen aliquando potest ut Concilium Summi Pontificis careat praesidentia, et nihilominus legitimum sit et oecumenicum. Si namque Summus Pontifex justis de caussis nec per se nec per Legatos Concilio interesse possit, subinde tamen illud approbaret, assensuque suo confirmaret: tum careret Concilium Summi Pontificis praesidentia, et legitimum esset, ut exemplo constat II. et V. generalis Synodi, quibus justis de caussis Pontifex Summus non praefuit; utraque tamen generalis est et legitima, quoniam utraque a Romano Pontifice fuit approbata.

CAPUT VII.

An ad legitimum generale Concilium integra requiratur in Episcopis examinandi deliberandique libertas.

Nulla nos inter ac heterodoxos in hoc capite controversia est: nam et ipsi nobiscum fatentur liberam iis qui ad Concilium conveniunt, examinandi Fidei caussas et dogmata suffragiumque ferendi potestatem esse relinquendam. Nihilominus quoniam nonnulla priscis temporibus fuere Concilia in quibus ab Episcopis extorta per vim fuere suffragia, ne quis arbitretur fuisse hujusmodi Concilia legitima, caussaque noscatur cur tamquam illegitima semper habita fuerint, hanc quoque conditionem breviter ad trutinam hic revocabimus. Quare sit

CONCLUSIO

Non est legitimum Concilium in quo Episcopis integra non relinquitur inquirendi ac definiendi libertas.

Prob. 1. Ut Concilium tamquam legitimum habeatur, congregatum esse debet in nomine Christi qui Matth. cap. 18. inquit: *Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Non est autem in Christi nomine congregatum Concilium in quo integra inquirendi deliberandique libertas non relinquitur Episcopis; nam non Spiritus sanctus ibi, sed is qui libertatem adimit vimque infert Episcopis, illorum dirigit mentes et corda.

Prob. 2. Concilium Ariminense licet initio legitimum fuerit ac oecumenicum, in fine tamen illegitimum evasisse testatur Hieronymus in Dial. adv. Lucif. dicens: *Ingemuit totus orbis, et arianum se esse miratus est.* Ast non alia plane de caussa fuit illegitimum, nisi quia definiendi libertas

Episcopis adempta fuit. Et initio quidem legitimum fuisse Ariminense Concilium patet, cum ex quo nulla deerat illi requisita ad universale Concilium conditio, tnm ex Athanasio in lib. de Syn. dicente: *Totum Concilium suis calculis Nicaenam Synodum approbavit, et eam ad omnia sufficere judicavit. Ursacium vero, et Valentem, Germinium, Auxentium, Cajum Demophilum, haereticos pronuntiavit; et contra eos submotos ab Ecclesia ut non vere christianos, literas scripserunt ad Constantium Imperatorem, easque miserunt per decem Legatos*. In fine autem illegitimum prorsus evasisse ob illatam Episcopis ab Imperatore Constantio vim narrat Severus Sulpitius lib. 2. his verbis: *Ita dimissis Legatis, Imperator praefecto Tauro mandatum dat, ut Synodum non ante laxaret quam conscriptae Fidei (implicite arianae) consentire se omnes profiteantur; ac si qui pertinacius resisterent, dummodo is numerus intra quindecim esset, in exilium pellerentur ... Compertis quae decreta erant, major rerum et consiliorum perturbatio. Deinde paulatim plerique nostrum, partim imbecillitate ingenii, partim taedio peregrinationis victi, dedere se adversariis. Factaque semel inclinatione animorum, catervatim in partem alteram concessum, donec ad viginti usque numerus nostrum imminutus est. Constantissimus inter eos habebatur Phoebadius noster, et Servatio Tungrorum Episcopus. Hos quia minis et terroribus non cesserant, Taurus praefectus precibus aggreditur et lacrymis obtestatur, mitiora uti consulerent ... ita in hoc certamine aliquot dies tracti, ubi parum ad pacem proficiebant, paulatim et ipse infractior, ad extremum proposita conditione evincitur ... Hoc vero modo Concilium dimissum, bono initio, foedo exitu est consumatum*.

Quod de Concilio Ariminensi dictum est, idipsum intellige de Concilio Mediolanensi an. 355. celebrato, de Conciliis Sirmiensibus multisque aliis paullo post Nicaenum I. variis in regionibus congregatis: quorum exitus semper infaustus fuit, hac una ratione quod definiendi libertas Episcopis catholicis non relinqueretnr. Hinc Gregorius nazianzenus in Ep. ad Procopium: *Ego*, inquit, *si vera scribere oportet, ita animo affectus sum ut omnia Episcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilii finem laetum faustumque vidi, nec quod depulsionem malorum potius quam accessionem et incrementum habuerit*. Loquebatur enim de Conciliis sub Constantio Arianis favente celebratis in quibus omnia per vim gerebantur. Constantius quippe quidquid Ariani petebant concedebat, nil penitus dabat Catholicis quorum suffragia nequidem audiebantur. Accedit et aliud non minus infaustum exemplum ex Ephesino II. Concilio deductum, quod illegitimum fuisse vel ex eo colligitur quod *Ephesinum latrocinium* vulgo appellatur. Non alia autem de caussa illegitimum fuit, nisi quia relicta non fuit Episcopis examinandi definiendique libertas. At quidem primo illius praeses fuit Dioscorus, *quo odium in Flavianum incenderetur etc.* ut ex Evagrio paullo supra adnotavimus. Secundo idem Flavianus qui Eutychen in C-P. Concilio damnaverat, ferre non potuit suffragium. Tertio Episcopi qui huic interfuere Concilio, in Chalcedo-

nensi postea fassi sunt se per vim a militibus illatam adhaesisse Dioscoro. Sed rem totam narrat S. Leo in Ep. 24. ad Theodosium Augustum his verbis: *Concilium Episcoporum quod propter Flavianum in ephesina civitate fieri praecepistis, et ipsi Fidei probatur obesse, et omnes Ecclesias vulnerare ... Haec autem ideo culpa praecessit, eo quod non pura conscientia et recto judicio secundum consuetudinem hi qui collecti sunt, de Fide et erroribus protulerunt. In ipso autem judicio non omnes qui convenerunt, interfuisse cognovimus. Nam alios rejectos, alios didicimus intromissos: qui pro supradicti Sacerdotis arbitrio impiis subscriptionibus captivas manus dederunt.*

Prob. 3. Sed Lucidius prae ceteris hanc nostram sententiam explicat simul ac demonstrat. Liberius Summus Pontifex in responsione ad Eusebium eunuchum, qui cum muneribus ab Imperatore ad eum missus fuerat ut contra Athanasium subscriberet, sic inquit apud Athan. in Ep. ad solit. vit. agen. *Si omnino Imperator curam suam pro ecclesiastica pace interponere quaerit, aut si scripta a nobis pro Athanasio deleri jubet, deleantur quoque ea quae contra illum scripta sunt, fiatque deinde ecclesiastica Synodus longe a palatio: ubi nec Imperator praesto est, nec Comes se ingerit, nec judex minatur, et ubi solus timor Dei ad omnia sufficit, et Apostolorum institutio.* Haec satis sunt ad demonstrandum Concilium cui examinandi definiendique desit libertas, non esse habendum ut legitimum.

CAPUT VIII.

An Concilia infallibilis sint auctoritatis.

Explicatis quantum sat erat atque ab haereticorum cavillis vindicatis praecipuis conditionibus quae ad legitimum generale Concilium praerequiruntur, de Conciliorum auctoritate agendum est adversus recentiores omnes haereticos, Lutheranos praesertim et Calvinistas, qui nullo prorsus Concilio neque in Fidei neque in morum definitionibus infallibilem tribuunt auctoritatem. Ut autem ea qua par est accurata methodo procedamus, Conciliorum cum generalium tum particularium auctoritatem ad trutinam revocabimus, in quo videlicet infallibilia sint vel falli possint, et unde eorum sit repetenda infallibilitas; unde sit

CONCLUSIO I.

Concilia particularia in iis quae ad Fidem ac mores pertinent, per se quidem divinae non sunt auctoritatis; non leve tamen pro Fide ac moribus exhibent argumentum.

Prob. prima prop. pars 1. Conciliorum infallibilitas non aliunde quam a Spiritus sancti speciali assistentia, ut dicetur inferius, repetenda est.

Verum Spiritus sanctus specialem suam assistentiam non promisit Conciliis particularibus, etiam quando de Fidei ac morum rebus pertractant. Sed spopondit illam coetui Fidelium in quo universa concurrit Ecclesia adversus quam portae inferi praevalere non poterunt: quam Ecclesiam non repraesentant Concilia particularia, sive dioecesana sint sive provincialia aut etiam nationalia, ut omnes ultro fatentur; unde per se non sunt divinae auctoritatis. II. Concilia particularia a vero non raro exorbitarunt, ut ex Conciliis Mediolanensi, Seleuciensi, et Carthaginensi 80. Episcoporum sub Cypriano luculentissime patet. Concludi ergo tuto potest non esse particularia Concilia infallibilis auctoritatis.

Prob. altera thesis pars. Ex Conciliis illis non leve pro Fide ac moribus deducitur argumentum, quae in rebus Fidei et morum ut plurimum non errarunt. Concilia autem particularia in Fidei ac morum materia ut plurimum non errarunt, ut ex particularium enumeratione Conciliorum suaderi facile potest. Hinc Lucius III. excommunicationis vinculo innodari declarat eos qui fuerint haeretici judicati, vel ab Ecclesia Romana, vel a provinciali aut dioecesana Synodo. Ita in cap. *Ad abolendum*, *de Haereticis*.

CONCLUSIO II.

Concilia particularia in iis quae ad Fidem et mores spectant, si accedat universalis Ecclesiae consensus, infallibilis evadunt auctoritatis.

Prob. 1. Universalis Ecclesia in Fidei morumque judicio nequit errare, ut suo loco demonstrabimus. Quare errare non poterunt neque Concilia particularia si universalis Ecclesiae accesserit consensus, non quidem per se, sed per Ecclesiae auctoritatem. Quod si hoc non admittatur, magnum deglutire tenemur absurdum; incertam videlicet esse multorum haereticorum damnationem. Nam non alia de caussa certi sumus certitudine Fidei Priscillianistas v. g. Helvidianos, Pelagianos haereticos esse, nisi quia Concilium Toletanum I. in quo damnatus fuit Priscillianus, Thelense quod anathemate percussit Helvidium, Carthaginense ac Milevitanum quibus proscriptus fuit Pelagius, quamvis particularia essent Concilia; quoniam tamen ab universali Ecclesia fuere consensu suo comprobata, Fidei pariunt certitudinem.

Prob. 2. Conciliorum ac Patrum auctoritate. Octava oecumenica Synodus sess. ultima can. 1. *Regulas*, inquit, *quae Ecclesiae sanctae tam a sanctis Apostolis, quam ab Orthodoxorum universalibus, nec non a localibus Conciliis traditae sunt, servare ac custodire profitemur*. Verba haec nequeunt intelligi de Conciliis particularibus per se sumptis; unde accipi debent de Conciliis ab universali Ecclesia assensu suo confirmatis. S. P. Augustinus lib. 2. adv. Donat. cap. 4. scribit: *Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universae Ecclesiae concordissima au-*

ctoritate firmati. Et lib. 7. cap. 53. subdit: *Nobis tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiae, quae nullo in catholico regionali Concilio coepta, nullo plenario terminata sunt: id autem fiducia securae vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi, universalis Ecclesiae consensione roboratum*. Facundus quoque Hermianensis lib. 5. de actis Synodi Chalced. inquit: *Et ideo non idem modus esse debet atque ordo quaerendi; post definitionem Concilii totius Ecclesiae consensione firmati, qui fuit ante definitionem etc.*

CONCLUSIO III.

Concilia generalia legitima in iis quae ad Fidem et mores pertinent divinae sunt auctoritatis.

Prob. 1. celeberrimo apud Matth. cap. 18. testimonio: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: cujus testimonii vim ut accurate intelligamus, animadvertendum est Christum Dominum paullo ante laudata verba de homine incorrigibili dixisse: *Dic Ecclesiae: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus*; ubi Ecclesiae nomine nil aliud profecto potuit intelligere quam corpus et coetum Pastorum; e vestigio enim addit: *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo*, quae accipi nonnisi de Episcopis queunt. Ne vero Apostoli quos Christus alloquebatur dubitarent corpus et congregationem Pastorum infallibilis esse auctoritatis, adhibito argumento, ut inquiunt, a minori ad majus, ita concludit: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Laudata verba sic explicata hujusmodi suppeditant argumentum. Si ubi duo vel tres congregati sunt in nomine Christi, ibi per specialem assistentiam suam idem Christus adest, multo magis aderit ubi in suo nomine universalis congregata fuerit Ecclesia. Ast in generali Concilio congregata utique est in Christi nomine universalis Ecclesia: igitur Christus inter eos adest speciali sua praesentia; adeoque in Fidei ac morum rebus definiendis errare non poterit.

Sed respondent adversarii: Testimonium illud si eum admitteret sensum quem illi Catholici appingunt, demonstraret ex aequo infallibilitatem etiam Conciliorum particularium, imo et duorum vel trium hominum congressus.

Verum qui sic ratiocinantur decipiuntur. Nam laudatum testimonium infallibilitatem dumtaxat demonstrat generalium Conciliorum. Argumenti quippe ex eo deprompti vis, non in verbis nude sumptis, sed in eisdem verbis cum superioribus adnexis consistit. Argumentatur enim Christus a minori ad majus, proindeque verborum sensus est. Si te incorrigibilis audire noluerit: *dic Ecclesiae*. Quod si nec Ecclesiae acquiescere voluerit monitionibus: *sit tibi sicut ethnicus, et publicanus*. Neque te in hoc ju-

dicio errare posse putes quoniam Ecclesiae in nomine meo congregatae, ego, ne erret, praesens semper adero. Si namque ego sum in medio duorum vel trium qui in nomine meo fuerint congregati, multo magis praesens adero Ecclesiae Pastoribus in unum nomine meo collectis. Hoc est, paucis privatisque hominibus nomen meum invocantibus pro parvis privatisque rebus adsum; Ecclesiae autem Pastoribus assistentiam meam exhibeo in rebus magnis atque gravissimis. Cumque res pro quibus universae Ecclesiae Pastores in Christi nomine colliguntur, publicae gravissimique sint momenti, ad Fidem scilicet et ad mores spectantes, quae natura sua, ut nempe certitudinem pariant Fidei divinae, infallibilem exigunt auctoritatem: duo autem vel tres conveniant pro parvis ac privatis rebus quae natura sua infallibilem non requirunt auctoritatem; sequitur inde Christum per illa verba privatis hominibus aliquam, universali autem Ecclesiae in Concilio congregatae omnimodam promisisse assistentiam quae Fidem parit divinam. Et ne adversarii regerant allatam mox explicationem evangelico textui nequaquam congruere, addimus hoc eodem sensu verba illa intellexisse Patres Concilii Chalcedonensis in Ep. ad Leonem, Concilii VI. act. 17. Toletani III. non procul ab initio, Innocentium, Caelestinum, et Cyrillum, quorum nomina apud nos majorem sane fidem quam Lutheranorum Calvinistarumque inveniunt cavillationes.

Prob. 2. ex Act. Apost. ubi Lucas cap. 15. Concilium describit Apostolorum circa legalia, quod norma plane esse debet ceterorum Conciliorum. Concilium autem illud in Fidei ac morum definitione nonne divinae fuit auctoritatis? Confidenter Apostoli et Seniores inquiunt: *Visum est Spiritui sancto, et nobis*. Etiam ergo reliqua generalia Concilia divinam obtinent auctoritatem.

Prob. 3. priscorum consensu Patrum. Athanasius in Ep. ad Epictetum haereticos vocat illos qui Nicaeni Concilii non admittunt auctoritatem. S. P. Augustinus lib. 1. de Bapt. cont. Donat. cap. 7. litem de non rebaptizandis haereticis dubiam fluctuasse affirmat, *donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur*. S. Ambrosius Ep. 32. docet moriendum esse potius quam a Conciliorum recedendum definitionibus: *Sequor*, ait, *tractatum Nicaeni Concilii, a quo me nec mors nec gladius poterit separare*. S. Gregorius nazianzenus Ep. 1. ad Clidonium, Apollinaristis se in quodam fuisse absolutos Concilio jactantibus respondet: *Ostendant hoc, et nos acquiescemus; perspicuum enim erit eos rectae doctrinae assentiri: nec enim se aliter res habere potest, si id consecuti sunt*. Praeterea, passim tradunt Patres Concilii generalis definitionem ultimum esse Ecclesiae judicium, eos qui Conciliorum non acquiescunt definitionibus impios esse et haereticos, easdem Conciliorum definitiones oracula esse Spiritus sancti, aliaque id genus bene multa quae videri possunt apud Bellarminum lib. 2. de Concil. auctoritate cap. 3. ubi loca etiam laudantur quibus quae hactenus indicavimus nituntur.

Prob. 4. theologica ratiocinatione. 1. Ecclesia universalis in judicio de

Fidei dogmatibus ac regulis morum ferendo errare non potest: fundata enim est supra firmam petram adversus quam portae inferi praevalere non possunt; ipsaque est columna ac firmamentum veritatis, quoniam Christus spopondit illi suam praesentiam usque ad consummationem saeculi. Legitimum porro Concilium, si oecumenicum sit, universalem repraesentat Ecclesiam; ut post Athanasium in Ep. ad Africanos, Eusebium in lib. 3. de vita Constant. et Cyprianum lib. 4. Ep. 9. docet Augustinus lib. 1. de Bapt. adv. Donatistas cap. 18. *Illis temporibus*, inquiens, *antequam plenarii Concilii sententia quid in hac re sequendum esset, totius Ecclesiae consensio confirmasset etc.* 2. Fideles omnes debere in rebus gravissimis praepositis sibi Pastoribus obtemperare, praeceptum Domini est quod habetur Matth. cap. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate, et facite*. Et cap. 18. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus*. Quinam autem sunt qui in oecumenicis Conciliis, loquuntur, jubent, Fidei moruuique proponunt regulas, et leges condunt, nisi Pastores Ecclesiae? 3. Si generalia Concilia in Fide et moribus possent errare, dubitare cuique liberum esset an Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, aliique fuerint revera haeretici: Concilia enim in quibus tamquam haeretici damnati sunt, potuerunt errare. En maximum absurdum.

CONCLUSIO IV.

Concilia generalia legitima in quaestionibus philosophicis ac mere scholasticis infallibilis non sunt auctoritatis.

Prob. In iis generale legitimum Concilium infallibilis est auctoritatis, de quibus dum loquitur, inquit contrarium asserentes esse haereticos, anathematis vel excommunicationis vinculo innodari, contraire dogmati Fidei vel sensui S. Scripturae etc. Ast legitimum generale Concilium de philosophicis aut mere scholasticis loquens quaestionibus, mox recensitis formulis nunquam utitur, sed illas obiter tantum ad summum attingit. Neque enim vel unicum adduci potest generale Concilium quod simile quidpiam ex proposito definierit. Hinc Vasquesius 1. 2. 9. 203. cap. 34. observat Tridentinum Concilium agens de justificatione, a nomine habitus consulto abstinuisse, ne de habitu de quo Philosophi dissentiunt, aliquid definiret. Quare generalia Concilia in his quaestionibus auctoritate non gaudent infallibili.

Prob. 2. Quidquid in oecumenicis Conciliis definitur et proponitur credendum, id per verbum sive scriptum sive traditum, a Deo vel explicite vel saltem implicite fuerat jam revelatum; non enim novae in Ecclesia dantur revelationes, ut alibi diximus. Porro quaestiones philosophicas et mere scholasticas, quales nimirum nec ex Scriptura neque ex Traditione, sed ex sola deduci possunt humana ratione, Deus nunquam per verbum suum sive scriptum sive traditum revelavit hominibus. Imo

inquit Ecclesiastes cap. 3. *Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.* Et S. P. Augustinus diserte affirmat Christum in mundum venisse, non ut mathematicos, sed ut Christianos faceret.

Prob. 3. In eo infallibilis est auctoritatis generale Concilium quod aliquo modo necessarium est ad aeternam salutem, ad quam consequendam necessaria plane non est philosophicarum scholasticarumve controversiarum notitia. Unde Basilius hom. 9. in Hexam. *Quae nihil ad nos*, inquit, *attinent, ut inutilia nobis silentio praetermisit; et ea dumtaxat conscribi voluit, quae aedificandis animabus ... apprime fore utilia praenoverat.* Et S. P. Augustinus lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 9. scribit: *Multi multum disputant de iis rebus, quas majori prudentia nostri auctores omiserunt, ad beatam vitam non profuturas discentibus; et occupantes, quod pejus est, multum pretiosa, et rebus salubribus impendenda temporum spatia.* Hinc Christus assistentiam suam Ecclesiae promisit in iis dumtaxat quae ad Fidem spectant et mores, ut per haec aeternam capiamus haereditatem.

CONCLUSIO V.

Conciliorum generalium infallibilitas non ex intrinseca eorum ratione et constitutione, sed a Spiritus sancti assistentia est repetenda.

Prob. prior thesis pars. Quantuscumque sit hominum conventus qui generale constituunt Concilium, quantumcumque illorum ingenium sit, virtus, atque scientia; Concilium tamen intrinseca sui ratione et constitutione congregatio hominum est, ceteris quidem illustrior coetibus, sed ex hominibus composita. Jam vero homines ex intrinseca eorum ratione et constitutione, seclusa Spiritus sancti assistentia, considerati, sive seorsim sive simul accepti errori obnoxii sunt: *Omnis enim homo mendax.* Quare infallibilitas non ex intrinseca eorum ratione Conciliis convenit.

Prob. altera pars prop. Ecclesiae universalis infallibilitas a Spiritus sancti repeti debet assistentia. Christus enim Matth. cap. 16. de Ecclesia inquit: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Et ibid. cap. ultimo: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* Et Paulus in 1. ad Tim. cap. 3. scribit: *Quae est Ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis.* Quid porro est generale Concilium nisi coetus Pastorum universalem repraesentans Ecclesiam? Utramque propositionis partem confirmat S. Thomas Quodlib. 9. a. 16. *Dico ergo quod judicium eorum qui praesunt Ecclesiae, potest errare in quibuslibet, si personae eorum tantum respiciantur. Si vero consideretur divina Providentia quae Ecclesiam suam Spiritu sancto dirigit ut non erret, sicut ipse promisit Jo. 16. quod Spiritus adveniens docebit omnem veritatem, de necessariis scilicet ad salutem, certum est quod judicium Ecclesiae universalis er-*

rare in his quae ad Fidem pertinent, impossibile est ... In aliis vero sententiis quae ad facta particularia pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est Ecclesiae judicium errare propter falsos testes.

SCHOLION.

Quum a Spiritu sancto non fiant Ecclesiae novae revelationes, ut in superioribus monuimus, inquirendum venit hoc loco qua ratione a Spiritus sancti assistentia Conciliorum sit repetenda infallibilitas. Cui quaestioni Catholici omnes respondent Spiritum sanctum eo sensu Ecclesiae Pastoribus in unum coactis assistere, ne videlicet in S. Scripturis divinisque perscrutandis Traditionibus ullatenus decipiantur. Concilia enim generalia in Fidei morumque controversiis dirimendis uti debent, *primo divinae Legis auctoritate, tum deinde catholicae Ecclesiae Traditione*, ut monet Vincentius Lerinensis initio Common.

Contraria argumenta dissolvuntur.

Obj. 1. Generale Concilium nil aliud denique est quam omnium fere Ecclesiae Pastorum congregatio. Pastores autem quum homines sint, errare utique in Fide possunt. Isaias enim cap. 56. de Sacerdotibus Synagogae scribit: *Speculatores ejus caeci omnes, nescierunt universi: canes muti non valent latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia ... et ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam*. Ezechiel quoque cap. 22. inquit: *Conjuratio prophetarum in medio ejus, sicut leo rugiens, rapiensque praedam ... Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea*. Jeremias denique cap. 6. *A propheta*, inquit, *usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum*. 2. Et revera nonne idem de V. ac de N. Testamenti Conciliis ferendum est judicium? Porro illa saepe errarunt in Fide. Erravit videlicet Concilium 400. prophetarum sub Achabo, de quo lib. 3. Reg. cap. 22. legitur: *Ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum*. Erravit quoque Concilium Judaeorum Hierosolymis habitum, in quo juxta Evangelistas definitum fuit Christum Dominum blasphemasse quod se Filium Dei faceret. Neque reponi potest veram Dei Ecclesiam tunc inter Judaeos periisse; quum Ecclesia christiana non esset adhuc constituta. Quapropter idem Christus, paullo antequam Concilium illud cogeretur, dixerat: *Super cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate, et facite*. Adde quod de Caipha dicitur, quia quum *esset Pontifex anni illius prophetavit*, et quidem in eo Concilio. Sicut igitur veteris Testamenti Concilia infallibilia non erant, ita nec Concilia N. Testamenti.

Resp. ad 1. in primis τὸ *omnes*, juxta Scripturae loquendi formam, ubi redarguuntur vel commendantur homines, non semper omnes absolute, sed ut plurimum multos significare; hoc est, propter multos vitupera-

tione vel laude dignos, omnes arguuntur vel laudantur. Sic Apostolus ad Philipp. cap. 2. *Omnes*, inquit, *quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Jesu Christi*, quum tamen paullo ante cap. videlicet 1. nonnullorum commendet charitatem; et paullo post, cap. scilicet 3. addiderit: *Imitatores mei estote fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant etc.* Responsio haec est S. P. Augustini in lib. de Unit. Eccl. cap. 13. Prophetarum ergo testimonia de aliquibus aut etiam multis, non de omnibus absolute sunt accipienda. Deinde omnes Ecclesiae Pastores utique errare possunt, et caeci esse et falsitatum amatores, sed distributive ac seorsim, non autem collective sumpti; quoniam non cuilibet seorsim, sed omnibus simul et collective in Concilio congregatis peculiarem suam promisit Christus assistentiam dicens: *Ubi sunt duo, vel tres congregati etc.* Laudatae autem in argumento Prophetarum sententiae de Pastoribus distributive, non collective consideratis prolatae sunt. Imo aliqua ex allatis testimoniis de pseudo-prophetis accipi debent, ut ex lectione patet.

Ad 2. Nullum ex allatis in argumento exemplis demonstrat V. Testamenti generalia Concilia in rebus Fidei et morum errasse. Non primum, quoniam congregatio illa quae facta fuit tempore Achab, non Prophetarum, sed pseudo-prophetarum erat et quidem infidelium, et ab impiissimo rege Achab facta. Neque alterum, quamvis V. Testamenti Concilia legitime convocata et ipsa divinae essent auctoritatis; quum Fidei natura tunc etiam postularet ut qui illius custodes ac judices erant, in definiendo infallibilitate gauderent; nihilominus tempore quo celebratum est Concilium praeside Caipha, Judaeorum Synagoga in judicio circa Christi divinitatem ferendo desierat esse infallibilis. Quae enim in V. fiebant Testamento umbrae erant et figurae futurorum, ut inquit Apostolus. Ast Messias jam ad solvendas figuras advenerat, atque idcirco ex quo Concilium illud erraverit Christum non esse Messiam, non sequitur alia quoque V. Testamenti et multo minus N. potuisse aut posse errare. Nec obstat quod tempore Caiphae Ecclesia Christi adhuc perfecte instituta non esset, et quod Christus ipse ore suo declaraverit Synagogam adhuc veram fuisse Dei Ecclesiam. Nam haec omnia vera sunt, quoniam Templum adhuc vigebat et Sacerdotium. Sed in eo quod Christi spectabat divinitatem, privilegium jam amiserat inerrantiae: quoniam tot tantisque miraculis Christus se esse Messiam in lege promissum ostenderat, ut Judaei ad dogma illud credendum Synagogae non indigerent judicio et definitione.

Obj. 2. Gregorius nazianzenus in Ep. ad Procopium: *Ego*, inquit, *si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, ut omnia Episcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilii finem laetum vidi*. S. Leo Ep. 53. ad Anatol. et alibi, Chalcedonensi Concilio ambitionem tribuit inconsultamque temeritatem. Quis talibus coetibus divinam audebit adscribere auctoritatem? 2. S. P. Augustinus lib. 2. cap. 14. cont. Maxim. *Nec ego*, inquit, *Nicaenum, nec tu debes Ariminense tamquam praejudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius de-*

tineris. 3. Idem S. Doctor lib. 2. de Bapt. cap. 3. docet Concilia plenaria priora a posterioribus posse emendari; adeoque errori subjecta sunt.

Resp. ad 1. Concilia de quibus scribit Nazianzenus, redarguuntur, quoniam illegitima undequaque fuerunt, ut in superioribus animadvertimus. De iis enim loquitur Conciliis quae post Nicaeni I. et ante C-P. itidem I. celebrationem habita sunt, videlicet Tyrensi, Ariminensi, Mediolanensi, Seleuciensi: quae aut generalia non fuisse, aut fuisse illegitima nemo unus ignorat. Ea quippe aetate sub Constantio Arianis favente celebrata sunt. Quum igitur a Procopio ad Concilium invitaretur, interesse recusavit duas afferens excusationes; et quod gravissimo detineretur morbo, et quod se videre ob Arianorum artes atque potentiam, alicujus Concilii felicem exitum desperaret.

Ad 2. Leo M. accusat quidem ambitionis et temeritatis Concilium legitimum, sed non in eo propter quod fuerat legitime congregatum. Sciendum enim est Concilium Chalcedonense, postquam Fidei ediderat definitionem absentibus Rom. Pontificis Legatis, actione ultima decretum edidisse quo Episcopus C-P. contra Nicaeni I. definitionem, Patriarchis alexandrino et antiocheno cum patriarchicis juribus praeponebatur: in quo illegitimum plane fuit, nec a summo Pontifice vel Occidentalibus confirmatum vel acceptatum; eaque de caussa a Leone jure reprehenditur.

Ad 3. S. P. Augustinus concedit non teneri Maximinum Concilii Nicaeni auctoritate, non absolute, sed in ea dumtaxat disputatione. Controversia namque Augustinum inter ac Maximinum arianum, de Verbi divini erat consubstantialitate, ad quam oppugnandam afferebat haereticus adversus ea quae in Nicaeno Concilio statuta jam fuerant, definitionem Concilii Ariminensis quae Arianis in specie favebat. Quare S. Doctor ne in demonstrando inter utrumque discrimen tempus tereret, quum aliunde potiora ex Scriptura petita haberet argumenta: *Nec ego*, ait, *Nicaenum, nec tu debes Ariminense ... proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus, non quorumque propriis, sed utriusque communibus testibus, res cum re, caussa cum caussa, ratio cum ratione concertet*. Ac si dixerit: relinquamus Concilia, adeamus Scripturas, aliaque. Ceterum de Nicaeno Concilio haec habet ibid. Augustinus: *Hoc est illud homousion, quod in Concilio Nicaeno adversus haereticos Arianos a catholicis Patribus veritatis auctoritate, et auctoritatis veritate firmatum est*.

Ad 4. Concilia Nationalia, ut erat illud Cypriani de quo eo loci Augustinus, posse aliquando a generalibus emendari, nec nos in dubium revocamus: sed nunc de Conciliis loquimur oecumenicis. Deinde, quum plenarii Concilii nomen sit aequivocum, ut ab initio animadvertimus, voluit forte S. Doctor eo nomine Concilia designare generalia. Sed quid proinde? Talia priora Concilia a posterioribus possunt utique emendari in iis quae ad disciplinam vel peculiaria facta, non quae ad Fidem et mores pertinent. Hinc optime S. Pater ibidem inquit: *Ipsaque plenaria* (Concilia) *saepe priora posterioribus emendari: cum aliquo experimento re-*

rum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat. Ast rerum experimento non aperiuntur quaestiones Fidei et morum, bene vero quaestiones facti, quando nempe per idoneos testes id de quo dubium erat comprobatur; aut quaestiones disciplinae quae pro temporum, locorum, ac circumstantiarum varietate variari utique possunt.

Obj. ultimo theologicas afferendo rationes. I. Episcopi qui ad Concilium vocantur, ut plurimum dilectores sunt mundi; igitur nequeunt in se habere Spiritum sanctum dirigentem. II. ut Concilium divinae sit auctoritatis constare debet ex Episcopis proculdubio fidelibus. Quis autem nisi solus Deus scit an Antistites in Concilio congregati revera sint fideles? III. similiter nonnisi Concilium legitimum potest gaudere inerrantia. Constare autem non potest num aliquod Concilium fuerit revera legitimum, quoniam ex Fide id dependet Historicorum qui non raro mentiuntur. IV. si generale Concilium divinae esset auctoritatis, illius definitiones pertinerent ad sacram Scripturam; utrobique enim, per Catholicos, Spiritus sanctus est qui loquitur. Quum autem falsum sit consequens, falsum erit quoque antecedens.

Resp. haec admodum frigida esse. Unde ad 1. citra summam injuriam affirmari non potest Episcopos ad Concilium convenientes mundi esse dilectores; ut plurimum namque pii homines sunt, ac rerum sacrarum peritissimi. Sed hoc omisso, dico Spiritum sanctum non esse cum dilectoribus mundi per gratiam sanctificantem, sed esse in illis saepissime per gratias gratis datas, quemadmodum fuit cum Juda et Caipha, aliisque. Ut autem Pastores in Concilio collecti non errent, necesse non est ut Spiritum sanctum praesentem habeant per gratiam sanctificantem, sed satis est illis Spiritus sancti praesentia per gratiam gratis datam quae consistere utique potest cum Christi promissione, *Ubi sunt duo, vel tres etc.*

Ad 2. Solus Deus profecto qui corda novit hominum scit a priori, ut inquiunt, num Episcopi in Concilio congregati sint fideles. Sed non proinde nos id ignoramus. A posteriori videlicet id perfecte novimus, quoniam revelavit nobis Deus Ecclesiam suam numquam in Fide defecturam: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*; atque adeo certo scimus non permissurum Deum, ut Episcopi in Concilio coacti quoad majorem partem haeretici sint vel infideles.

Ad 3. Quamvis ab Historicorum fide dependeat ut sciamus, hoc vel illud extitisse Concilium, convocatum fuisse a Rom. Pontifice, eumdemque illi praesedisse, et cetera fuisse rite peracta, Concilia namque humano more ab hominibus fiunt, proindeque facta quae Concilia respiciunt ab humana pendent fide; nihilominus an illa sint vera ac legitima, ex unanimi Ecclesiae fide atque consensu scimus. Ideo enim certo credimus Nicaenum v. g. Concilium fuisse legitimum, quoniam tamquam legitimum ab universali Ecclesia semper habitum est. Quare Athanasius in Ep. ad Africanos: *Huic certe Concilio*, inquit, *universus orbis assensum praebuit, et quamquam multae habitae sint Synodi, hanc cognoverunt, et admiratae sunt, et subscriptione approbarunt*. Neque

enim Ecclesia quae a Deo infallibilem habet auctoritatem, in eo definiendo decipi vel decipere potest.

Ad 4. Breve hoc habeto responsum. Spiritus sanctus diversimode loquutus est in S. Scripturis ac in Conciliis generalibus. Auctoribus sacris praesens adfuit Spiritus sanctus per revelationem, aut saltem per afflatum. Patribus vero Conciliorum praesto est per suam dumtaxat assistentiam. Sed de his vide quae diximus lib. 2. cap. 1.

CAPUT IX.

Responsio ad objecta haereticorum deducta ex erratis Conciliorum.

Obj. 1. Canones apostolici 45. et 46. apertissime improbant collatum ab haereticis baptisma, quod tamen a Nicaeni I. canonibus fuit approbatum. 2. Canones eliberitani vetant ne imagines in parietibus pingantur, in quo favent aperte haereticis iconoclastis in generali 7. Synodo damnatis. 3. Iidem eliberitani canones praescribunt ne lapsis poenitentibus etiam in extremo vitae periculo constitutis sacramentalis detur absolutio, quae doctrina est Novatianorum.

Resp. Quamvis daremus relatis in argumento canonibus oppositos contineri errores, nihil tamen adversus catholicam sententiam inde confici posset. Canones siquidem apostolici et eliberitani editi minime fuerunt in aliquo generali Concilio, de cujus infallibilitate dumtaxat nunc disputamus. Sed addamus aliquid in particulari. Ad 1. ergo, nonnulli arbitrantur canones qui apostolici dicuntur, fuisse hinc inde ex variis trium priorum saeculorum Conciliis in Oriente celebratis collectos. Autumant alii in nullo editos fuisse Concilio, sed ex veterum Ecclesiae consuetudinum observatione fuisse posterioribus saeculis procusos, apostolicosque appellatos juxta S. P. Augustini regulam: Quod in Ecclesia observatur, nec in Scripturis aut Concilio aliquo invenitur, ad apostolicas referendum est Traditiones. Sed quidquid de illorum origine sit, Ecclesia non alios recipit et approbat canones ex iis qui apostolici dicuntur, nisi quos Dionysius abbas, *Exiguus* sic nuncupatus, e graeco in latinum transtulit, et antiquiori canonum attexuit collectioni anno 32. post celebratum Concilium Romanum in quo liber canones continens apostolicos declaratus fuit apocryphus. Porro in Dionysii laudata canonum apostolicorum collectione canon de reiterando haereticorum baptismo nullibi legitur: atque ita Nicaeni Concilii canones apostolicis canonibus non contradicunt.

Ad 2. Quoad canones eliberitanos sunt qui velint collectos illos fuisse ex variis per priora saecula in Hispania celebratis Synodis. Censet Bellarminus non ab Orthodoxis, sed a Novatinis et Cataphrygis Episcopis fuisse procusos. Melius Baronius ac Fernandez Mendoza, qui docent celebratum quondam fuisse Concilium eliberitanum, sive ut ab aliis appellatur Illiberitanum vel Eliberrinum. Cumque Concilium istud ante Constantini M. tempora, nempe vel sub Constantio Chloro et Maximiano Herculio,

ut arbitratur Baronius, vel ante excitatam a Diocletiano persecutionem, ut putat Mendoza, fuerit celebratum, sua sponte sequitur non esse oecumenicum; adeoque nullum ex eo desumi posse contra Catholicos argumentum. Contendimus tamen immunes ab omni errore esse canones illos. Nam canon de non pingendis in pariete imaginibus, qui est 36. ita habet: *Placuit picturas esse in Ecclesia non debere, ne quod colitur et adoratur in parietibus depingatur*; qua regula non imaginum cultus, sed pictura dumtaxat prohibetur, idque duplici ex caussa. 1. Ne idolorum cultores Christianis objicerent se quoque in eumdem impingere errorem quem in ethnicis imagines et statuas licet diverso a nobis cultu adorantibus vituperabant. 2. Ne Sanctorum imagines gentilium ludibrio exponerentur; quum vigente persecutione Synodus haec celebrata videatur. Signa enim ac tabulae mobiles quae in templis asservabantur, instante aliqua persecutione facile a Christianis alio poterant asportari; unde haec non prohibebantur. Sed imagines in parietibus expressae remanere in ethnicorum potestate necessario debuissent, atque hoc laudato canone oeconomiae caussa vetabantur. Quod quidem non est Iconoclastis adhaerere.

Ad 3. Sed neque Novatianismum sapit illiberitana sanctio de non conferenda in fine vitae aliquibus communione. 1. Quoniam putant aliqui non de communione quae in sacramentali absolutione consistit, sed de Eucharistia seu Viatico ibi sermonem institui. Innocentius siquidem I. inquiunt, in Ep. ad Exuper. cap. 11. et Adrianus itidem I. in Collect. Decret. eliberitanos canones tamquam justos citant et laudibus celebrant: quod, ajunt, non praestitissent si de absolutionis forent privatione intelligendi. Illa autem Eucharistiae privatio, addunt, disciplinae caussa inducta fuit; et quamvis dura videatur, *tamen justam reddebant illorum temporum persecutiones*, inquit Innocentius I. loco nuperrime laudato. Ita nonnulli. 2. Sed verior responsio videtur canones illos de sacramentali loqui absolutione: nec aliquid proinde contra nostram deduci sententiam. Non enim illiberitani Patres existimarunt non esse penes Ecclesiam auctoritatem absolvendi a quibuscumque peccatis poenitentes, ut Novatiani dogmatizabant. Sed duriusculum illud edidere decretum, ut Fideles a rigore poenae perterriti in maxima scelera non tam facile prolaberentur. Et quoniam ea disciplina nimium redolebat rigorem, tempore procedente rerumque immutatis circumstantiis, paullatim relaxata est ac tandem penitus abolita.

Obj. 2. Concilium Nicaenum I. poenitentiam injungit iis qui cingulum assumunt militiae, quod est facere cum Manichaeis qui teste Augustino lib. 22. cont. Faustum cap. 74. militiam damnabant contra Lucae Evangelium, ubi cap. 3. militia tamquam licita approbatur. 2. Pugnat idem Concilium cum dogmatibus Ecclesiae Romanae quae tenet Summum Pontificem primatum in universali Ecclesia tenere. Nam can. 6. aliquas tantum, non omnes Episcopo Romano tribuit Ecclesias. Haec sunt canonis verba, juxta Rufini lib. 2. Hist. cap. 6. interpretationem. *Et ut apud Alexandriam et in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti vel hic suburbicariarum Ecclesiarum solicitudinem gerat.*

Resp. ad 1. Nicaenum I. Concilium poenitentiam injungit iis qui militiae cingulum assumunt ut inchoatam relinquant poenitentiam, non iis qui simpliciter militiae cingulum assumunt. Sciendum enim est tempore Nicaeni Concilii nonnullos milites, poenitentia ob patratum ingens aliquod scelus ductos, militiae cingulum ut poenitentium ingrederentur coetum, deponere consuevisse. Sed deinde ut se ab inchoatae poenitentiae eriperent molestiis, militiam qua poenitentiae caussa abdicaverant, denuo repetebant, collatis ad id quandoque etiam pecuniis et largitionibus. In istos itaque a Nicaenis Patribus canon 12. non in eos qui militiae simpliciter nomen dabant editus est. Hoc sensu canonem intellexerant Siricius in Ep. ad Tarracon. Episc. et Innocentius ad Episc. Rothom. et Leo M. ad Rusticum. Canon autem ita habet: *Quicumque vocati per gratiam primum suum ardorem ostenderunt et cingulum deposuerunt, postea autem ut canes ad vomitum reversi sunt, ut nonnulli etiam pecuniam profunderent, et beneficiis militiam assequerentur; hi decem annis prosternantur supplices, etiam post triennii auditionis tempus.*

Ad 2. respondent nonnulli interpretationem Rufini nullo esse modo admittendam, et afferunt adversus Rufinum Anastasii Summi Pontificis querelas in Ep. 3. *Rufinum ita haberi a nostris partibus alienum, ut quid agat, aut ubi sit, nescire cupiamus. Ipse denique viderit, ubi possit absolvi.* Hinc ambiguis ac significatione vacuis verbis, inquiunt, Nicaeni Concilii canonem 6. omnino pervertit. Neque enim aut vulgaris textus graecus, aut exemplaria Gelasii, aut alii illorum canonum interpretes quidquam de suburbicariis habet Ecclesiis. Unde responsionem Hieronymi verbis quae in Apol. 1. adv. Rufin. prostant, concludunt: *Ego scripta tua relegens, quamquam interdum non intelligam quid loquaris, et Heraclitum me legere putem; tam non doleo, nec me poenitet tarditatis; id enim in legendo patior, quod tu pateris scribendo.* Et accuratiorem esse affirmant versionem Dionysii Exigui quae sic habet: *Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Libyam, et Pentapolim: ita ut alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et urbis Romae parilis mos est.* 2. Eruditorum ferme omnium sententia est laudato canoni deesse initium, et supplendum esse hoc modo: *Ecclesia Romana semper habuit primatum: antiqui mores serventur etc.* Ita quippe legitur in antiqua collectione romana, ut Alanus Copus, et Binius fidem faciunt. Collectionis perantiquum codicem invenit, et ad fidem trium vetustissimorum MSS. edidit Quesnelius, in qua idem canon sic orditur: *Ecclesia Romana semper habeat primatum.* Etiam in Concilio Chalcedonensi canon graecus lectus est his verbis: *Ecclesia Romana semper habuit principatum*; et a Patribus act. 16. approbatus: *Videmus omnes ante omnia primatum et praecipuum honorem, secundum canones, Dei amantissimo Archiepiscopo veteris Romae conservari.* Ex his apertissime liquet 6. nicaenum canonem favere, non adversari Ecclesiae romanae dogmatibus. 3. Sed demus nec Rufini versionem aequivocam, nec illam Dionysii mutilam esse; quid inde, quaeso, contra nostram sententiam? Nicae-

nus canon Episcopum alexandrinum cum Romano Pontifice non comparat quoad omnia jura, sed quoad jura dumtaxat Patriarchatus: ita ut quemadmodum Romanus Episcopus Patriarchatus sui exercet jurisdictionem in suburbicariis Ecclesiis, ita alexandrinus consimili utatur privilegio in Ecclesiis Ægypti, Libyae, et Pentapoleos, quamvis Romanus primatu quoque fruatur universalis Ecclesiae.

Obj. 3. Concilium C-P. I. quod a Catholicis ut oecumenicum habetur, canonem contra laudatum mox nicaenum decretum edidit. Nam in 6. nicaeno canone, uti observavimus, sancitum fuerat ut secundum a Romano Episcopo locum Episcopus obtineret alexandrinus. Concilium autem C-P. can. 3. decrevit priores honores post Rom. Episcopum deferendos esse Episcopo C-P. *Episcopus C-P.* verba sunt canonis, *habeat priores honoris partes post Romanum Episcopum*. Aut ergo nicaenum, aut C-P. Concilium erravit. 2. Concilio C-P. II. quod tamquam legitimum et oecumenicum omnes amplectuntur Catholici, tot tantosque habuit olim contradictores, ut Baronius ad an. 556. num. 1. 2. et 3. merito scripserit: *Adeo visi sunt exhorruisse occidentales Antistites fere omnes aliam oecumenicam Synodum post quartam admittere, ut non potuerit Pelagius reperire Episcopos Romae a quibus consecraretur, atque opus fuerit Presbyterum ostiensem, quod numquam antea accidisset, loco Episcopi munus illud obire, ipso Pelagio ita jubente.* Ubi est itaque Conciliorum inerrantia?

Resp. ad 1. Concilium C-P. I. eo in canone non fuisse a Romanis Pontificibus, adeoque ab Ecclesia approbatum. Damasus enim cujus tempore Concilium illud fuit celebratum, laudati in argumento canonis confirmationem silentio suo praetermisit. Leo autem M. aperte reprobavit tum in Ep. ad Anatolium ubi Patriarchae hujus superbiam increpans inquit, *Frustra quorumdam Episcoporum profertur consensus, cui tot annorum series negavit consensum*; tum in Ep. ad Pulcheriam in qua de eodem canone a Chalcedonensis Concilii Patribus confirmato loquens ait: *Consensiones Episcoporum canonum apud Nicaeam conditorum regulis repugnantes, in irritum mittimus, et per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus*. Et post Leonem reprobatus fuit etiam a Nicolao I. in Resp. ad Bulg. cap. 9. Nec proinde putandum est Concilium C-P. errasse; quum patriarchalium sedium honor res sit quae non ad Fidem et mores, sed ad disciplinam externamque Ecclesiae spectat politiam, in quo definiendo generalia Concilia emendationi subjecta sunt. Hinc quoniam rerum inspectis circumstantiis Canon ille in oecumenico II. Concilio editus et in Chalcedonensi confirmatus injustus illis temporibus videbatur, a Rom. Pontificibus merito fuit reprobatus; decursu temporis, rerum mutatis circumstantiis, visum est expedire ut C-P. Praesul primus post Rom. Pontificem esset, Concilium Lateranense IV. cui Innocentius III. praesedit, laudatum canonem C-P. auctoritate sua confirmavit, et integram vim habere sancivit.

Ad 2. in Concilio generali V. duo esse sedulo distinguenda, definitio-

nem nimirum Fidei et morum, ac definitionem circa factum trium capitulorum. Definitioni Fidei adversus nestorianam et eutychianam blasphemiam, omnes omnino Episcopi praebuerunt assensum. Et quamvis Occidentales ei Concilio praesentes non fuerint, illud tamen unanimi sententia postea receperunt. Ast non ita circa factum trium capitulorum res se habuit: diu namque illorum admittere detrectarunt damnationem, propterea quod praejudicium afferri censebant Concilio Chalcedonensi, Afri, Illyrici, Dalmatae, Galli, Hiberni, et Hispani. Ex hoc itaque non sequitur generalia Concilia divinae non esse auctoritatis; quinimmo occidentalium renitentia Episcoporum contrarium potius demonstrat. Ideo enim Concilio V. subscribere renuerunt, quoniam arbitrabantur, licet falso, trium Capitulorum factum divinae Concilii Chalcedonensis auctoritati aliquo modo derogare. Igitur admittebant Conciliorum auctoritatem.

Obj. 4. Etiam Concilium C-P. III. quod venerantur Catholici, turpissime erravit. Nam act. 13. lectis epistolis Sergii ad Honorium, et Honorii responsionibus ad Sergium, ita Concilii Patres inquiunt: *Cum his vero* (scilicet cum Pyrrho, Sergio, Cyro, Paulo, ceterisque Monothelitis,) *simul projici a S. Dei catholica Ecclesia, simulque anathematizari praevidimus et Honorium qui fuerat Papa antiquae Romae, eo quod invenimus per scripta quae ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem sequutus est, et impia dogmata confirmavit*. Porro Honorii epistolas Monothelitarum minime scatere blasphemiis apertissime patet tum ex ipsa epistolarum lectione, tum ex innumeris catholicis scriptoribus, ut sunt Johannes Papa IV. S. Maximus, Anastasius bibliothecarius, Baronius, Canus, Pighius, Lupus, Czepanski, Desirant, et alii qui Honorium ab omni erroris labe immunem strenue defendunt.

Resp. varias a doctis viris adhiberi ad hoc argumentum responsiones, quo Conciliorum ac Rom. Pontificis consulant auctoritati. Baronius, Pighius, Possevinus, et alii arbitrantur exemplaria VI. Synodi fuisse corrupta, atque in ejus acta Honorii nomen intrusum. Ad quod suadendum his ducuntur momentis. 1. Agatho Summus Pont. in Ep. ad Constantinum Pogonatum diserte testatur neminem e praedecessoribus suis a recta Fide descivisse. 2. Si VI. Synodi Patres Honorium tam solemniter condemnassent, credibile ne est romanae Sedis Legatos quibus Honorii sanctitatis nota erat fama, silere voluisse? 3. In more penes Graecos positum erat Conciliorum acta temerario ausu corrumpere, ut ex Ep. S. Leonis ad Flavianum, ex Gregorio M. in Ep. 14. ad Narsetem, aliisque momentis non subobscure colligitur.

Verum non omnibus allata responsio probatur. Oportuisset enim decem in locis Concilii acta corrumpere, quum decem in locis Honorii nomen legatur; et rursus violare quoque debuissent epistolas Sergii ad Honorium, ipsiusque Honorii responsiones ad Sergium. Praeterea damnationis Honorii meminere Leo II. in Ep. ad Constant. Patres Synodi VIII. act. 3. Beda, Anastasius bibliothecarius, aliique innumeri Veteres. Denique si VI. Synodi acta depravata fuissent, fraudem non detexissent rom. Sedis Legati? Ac tan-

dem quinque saltem debuissent deturpari exemplaria pro quinque Patriarchis, quod moraliter impossibile videtur. Rationes autem superius allatae sic explicantur. Qui tenent Honorium adhaesisse Monothelitis ut doctorem privatum, respondent ad primam ideo Agathonem asseruisse neminem ex praedecessoribus suis Fidem violasse catholicam, quoniam existimavit Honorii epistolas Fidei non continere definitionem. Qui putant generalia Concilia errare posse errore facti, respondent Synodum VI. in Honorii damnatione errasse, proindeque merito affirmat Agatho neminem ex praedecessoribus suis Fidem commaculasse. Sunt aliqui qui volunt non esse VI. Synodum recipiendam nisi usque ad canonum prolationem; proindeque difficultatem expediunt dicentes non esse admittendam Honorii damnationem. Tertia denique ratio demonstrat dumtaxat quid fieri potuerit, non quid factum sit. Et aliunde incredibile prorsus videtur potuisse Graecos impune corrumpere quinque Concilii exemplaria. Quare ad adversariorum solvendum argumentum responsio haec non satis idonea videtur.

Respondent alii, Christianus videlicet Lupus, Antonius, et Franciscus Pagi, Dezellier, et Natalis Alexander, Patres VI. Synodi Honorium damnasse non quod in ejus epistolis Monothelitarum continerentur deliramenta: sed quoniam silentium de una aut duplici in Christo voluntate ab eo impositum, ansam Monothelitis haeresim promovendi praebuerit. Idque ex epistolis praesertim Leonis II. ad Constant. Pogonatum ostendunt, in quibus haec de Honorio leguntur: *Apostolicam Ecclesiam non apostolicae Traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit*: Et ad Episcopos Hispaniae, ubi sic inquit: *Qui* (Honorius) *famam haeretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit*.

Ast neque solutio isthaec omnibus arridet. Ratio siquidem quam Concilii Patres in Honorii afferunt damnatione, non est illius de una vel duplici voluntate silentium: sed *quia in omnibus Sergii mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit*, verba sunt act. 13. Et paullo ante haec alia leguntur: *Dogmaticas retractantes epistolas quae tamquam a Sergio, quondam Patriarcha hujus a Deo conservandae regiae urbis, scriptae sunt tam ad Cyrum quam ad Honorium; similiter autem et epistolam ab Honorio rescriptam ad eumdem Sergium, hasque invenientes omnino alienas existere ab apostolicis dogmatibus et a definitionibus sanctorum Conciliorum et cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas haereticorum, eas omnino abjicimus, et tamquam animae noxias execramur*. Ubi vides Concilii Patres Sergium et Honorium ejusdem culpae reos ex aequo facere, damnationisque caussam fuisse quod falsas uterque haereticorum doctrinas animae noxias docuerit ac promulgaverit. Testimonia autem ex Leonis II. epistolis deprompta, qui allatam non admittunt solutionem sic explicant, quod S. Pontifex non negligentiae modo ac inconsultae simulationis, sed proditionis etiam et profanatae apostolicae Traditionis Honorium accuset: atque eo sensu damnatum fuisse declaret a Synodo VI. Nihilominus responsio haec a laudatis doctis viris

allata probabilis admodum videtur, et rationibus plurimis defenditur et illustratur a cl. nostro theologo Augustino Gervasio archiepiscopo capuano, quem consulito.

Canus, Combefisius, Cabassutius, Petitdier, nonnullique alii ita adversariorum solvunt argumentum. Quum Rom. Pontifex, inquiunt, considerari possit ut doctor privatus, et ut Ecclesiae magister, neque repugnet ut a Concilio damnetur si ut doctor privatus in haeresim incidat; generale VI. Concilium sententiam in Honorium dixit prout ad Sergium scripsit tamquam doctor privatus: adeoque nec Concilium erravit, neque Cathedra Petri. Responsiones autem ad Sergium ab Honorio scriptas fuisse ut a privata persona et non ex Cathedra ut inquiunt, et veluti ab Ecclesiae magistro definiente, duplici probant ex capite. Primo, quoniam Summi Pontifices qui post Honorium Petri naviculam gubernarunt, romanam Sedem a quovis errore fuisse semper immunem diserte testantur. Secundo, quoniam neque Concilium neque romanum Clerum antequam epistolas ad Sergium scriberet Honorius, prout consuetudo ferebat consultavit.

Haec quoque responsio a plerisque rejicitur. 1. enim ajunt, etsi concedatur responsiones ad Sergium ab Honorio datas fuisse ut a privato doctore, semper tamen vim suam adversariorum habere argumentum: nam epistolae Honorii tamquam orthodoxae agnoscuntur tum a recentioribus tum a vetustis scriptoribus; unde Synodus VI. quae haereticas illas declaravit, a vero recessit. 2. Ad suadendum Honorii epistolas inconsulto Clero romano ac privato tantum judicio scriptas fuisse, Veterum monumenta id commonstrantia deberent afferri. Ast Veterum monumenta contrarium potius affirmant. Scimus quippe Monothelitas inter et Catholicos ingentes C-P. efferbuisse circa dogma unius vel duplicis voluntatis et operationis in Christo controversias. Scimus Sergium C-P. Patriarcham ea de re consuluisse, licet subdole et vaferrime, Honorium. Scimus denique Honorium ad Sergium tamquam ad Patriarcham de Fidei dogmatibus interrogantem scripsisse, eique praecepisse ut rescriptum suum promulgaret et executioni mandari curaret. Quis igitur ambigere poterit Honorium ut magistrum Ecclesiae scripsisse, adeoque consuluisse juxta inolitum morem Clerum romanum? Nec reponere juvat, inquiunt, Romanos Pontifices Petri Cathedram ab omni labe immunem declarasse. Nam Romani Pontifices qui post Honorium floruerunt id fidenter affirmant, quoniam in illius epistolis ad Sergium nullum contineri errorem arbitrantur: atque idcirco immerito a Monothelitis in propriae haeresis confirmationem advocari. Haec reponere solent qui allatam admittere recusant explicationem.

Denique Turrecremata, cui Bellarminus ac noster Desirantius adhaerent, ad adversariorum argumentum respondet Concilium generale VI. in Honorii damnatione errasse errore non juris, sed facti. Quum enim quaestio facti ab hominum fide ac testimonio dependeat, ad differentiam quaestionis juris quae ex Scriptura ac Traditione dirimi debet; potest utique in illa solvenda Concilium oecumenicum decipi, quamvis in ista non possit. Ita laudati scriptores, et ante illos cl. Annalium parens ad an. 681. n. 38.

Si non aliunde, ut demus Acta Synodi incorrupta servata, Honorius est condemnatus ut haereticus, quam quod prior ejus epistola ad Sergium scripta haeretica fuerit existimata; cum e contra eadem in omnibus orthodoxa probetur, evanescet penitus illa de ejus damnatione sententia. Tum objicit sibi: *Si vere assentiamur ita de Honorio esse decretum a S. oecumenica Synodo, haud fas erit in controversiam rem deducere, et aliter quam statutum est a Synodo velle decernere.* Respondet: *Idipsum dixerim in iis quae ad Fidem spectant, ut plane religio sit vel latum unguem ab iis, quae in S. Synodo sunt statuta recedere: at in iis, quae ad personas pertinent vel scripta ipsarum, non ita rigide reperitur custodita censura.*

Qua autem ratione errore facti decepti sint VI. Synodi Patres, non eodem modo explicant laudati Scriptores. Bellarminus putat *deceptos fuisse ex falsis rumoribus, et non intellectis Honorii epistolis.* Sed non satis recte, ni fallor, in tot tantosque Patres id dictum videtur. Neque enim facile concipi potest, temere prorsus ac levi adhibito examine, voluisse illos in re tam magni momenti coram Rom. Sedis Legatis in Summum Pontificem jamdiu vita functum sententiam dicere. Modestius de VI. Synodi Patribus loquitur Turrecremata qui arbitratur ideo in facti errorem incidisse, quod de Honorii epistolis judicium juxta earumdem graecam translationem a Monothelitis adornatam protulerint. Cumque Monothelitae epistolis illis aliquid de suo addiderint, et ubi opus esset, aliquid etiam ex illis eraserint, sanctae Synodi Patres haereticorum non agnoscentes vafritiem, ab Honorio eo prorsus modo quo ipsi legebant, conscriptas fuisse judicarunt. Hujus opinionis fulcrum non leve invenitur in Ep. S. Maximi ad Marinum, ubi sic legitur: *Eum qui hanc Epistolam per jussionem Honorii latinis dictaverat dictionibus, dominum videlicet abbatem Johannem sanctissimum Symponum; affirmasse quod nullo modo mentionem in ea per numerum fecerit unius omnimodis voluntatis, licet nunc hoc sit factum ab iis qui hanc in graecam vocem interpretati sunt.* Desirantius autem ingeniose admodum suadere conatur non modo epistolas Honorii, sed illas quoque Sergii ad Honorium Concilii Patribus exhibitas, a Monothelitis, ut facilius probarent e suis partibus stetisse Rom. Pontificem, fuisse corruptas. De qua re vide eumdem Desirantium in notis ad tom. 4. Anastasii bibliothecarii.

Hae sunt Theologorum responsiones ad argumentum haereticorum, quarum eam poterit eligere lector quae sibi magis arrideat. Sive enim dicas errasse Concilium errore facti, sive putes a Concilio damnatam fuisse privatam Honorii personam vel inconsultam illius simulationem, sive teneas acta Concilii fuisse corrupta; quamlibet ex iis adsciscas responsionem, semper inconcussum manebit VI. generale Concilium in iis quae ad Fidem et mores pertinent non errasse.

Obj. ultimo. Nicaenum II. Concilium quod septimum est generale, damnatum a Concilio Francfordiensi fuit in eo quod Patres illi definierint admittendum esse pium sacrarum Imaginum cultum: adeoque alterutrum ex

his erravit in Fide; nam etiam Francfordiense Concilium fuit oecumenicum.

Resp. 1. Concilium Francfordiense non fuit generale, ut argumentum contendit: neque enim vel unus ex Orientalibus illi interfuit, imo neque ad illud fuere vocati; quomodo se habuit Nicaenum II. cui Occidentales ac Romanae Sedis Legati interfuerunt. Deinde Francfordiense Concilium quum repugnantes ac improbantes habuerit juxta Magdeburgenses Cent. 8. cap. 9. Adrianum Pontificem ejusque Legatos etc. per adversarios legitimum fuit et oecumenicum. Quid mirum ergo si cum legitimo generali Concilio pugnet? 2. Concilium Francfordiense, non Nicaenum II. in ea definitione erravit: sed errore facti non juris. Francfordienses enim Patres ex falsa verborum intelligentia putarunt Concilium Nicaenum II. eumdem sanctis Imaginibus ac qui sanctissimae Trinitati cultus debetur statuisse. Nam cap. 2. ejusdem Concilii haec occurrunt: *Allata est in medium quaestio de nova Graecorum Synodo in qua scriptum habebatur, ut qui imagines Sanctorum ita ut deificam Trinitatem servitio aut adoratione non impenderent, anathema judicarentur. Quam omnes qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis et adorationem et servitium respuentes, contempserunt atque consentientes condemnaverunt*. 3. Nonnulli arbitrantur Concilii Francfordiensis Patres, non Nicaenam II. Synodum sed C-P. sub Copronymo decreto suo reprobasse, ut verba mox recitata videntur innuere. Consule Bellarminum de Concil. Auct. lib. 2. Alios postremo simul congerunt heterodoxi Conciliorum errores ad catholicam labefactandam sententiam: in quibus diluendis tempus terere non est opus, quum ejusmodi errores vel a Conciliis generalibus quidem sed illegitimis, qualia fuerunt Ephesinum II. Ariminense, Mediolanense etc. excerpti sint; vel a Conciliis particularibus de quorum hic non disputamus auctoritate; vel demum dogmata catholicae Fidei quae ab ipsis non admittuntur, errores declarentur.

CAPUT X.

Historica Synopsis Conciliorum quae habita sunt in Oriente.

Generalia Concilia initio celebrari coeperunt in Oriente, quoniam ibi primitus gravissimi contra catholicam Fidem orti sunt errores; eaque Concilia octo fuerunt, Nicaenum videlicet I. Constantinopolitanum I. Ephesinum I. Chalcedonense, C-P. II. C-P. III. Nicaenum II. C-P. IV. Tum reliqua habita sunt in Occidente fueruntque duodecim, nimirum Lateranensia quatuor, Lugdunense I. et II. Viennense, Constantiense, Basileense, Florentinum, Lateranense V. Tridentinum. De octo dumtaxat Conciliis orientalibus agemus hoc in capite, de reliquis, nempe de occidentalibus, in capite sequenti.

Primum itaque generale Concilium celebratum fuit Nicaeae in Bithinia anno Dom. 325. Constantini M. 20. Silvestri autem Papae 12. ut ex Concilii Chalcedonensis Act. 2. et ex Socrate lib. 2. Hist. cap. 9. aperte

colligitur. Legitur quidem in Eusebii Chronico habitum fuisse Concilium anno Constantini 15. hoc est anno Christi 320. Sed illic errorem irrepsisse constat ex ipsius Eusebii libris de Vita Constantini. Concilio huic interfuerunt 318. Episcopi, teste Athanasio in Ep. ad Jovinianum Imp; proindeque Eusebii locus referens Nicaenos Episcopos fuisse 250. et amplius, mendosus est, ut inquit Baronius, ac corrigendus ex Socrate lib. 1. Hist. cap. 5. affirmante fuisse 318. Concilium hoc convocatum fuisse a Constantino M. Silvestro Romano Pontifice annuente, eique Silvestri ejusdem nomine praesedisse Osium cordubensem antistitem, Vitum, ac Vincentium presbyteros romanos, advertimus supra de Conciliorum convocatione et praesidentia pertractantes. Praecipua congregandi Concilii caussa fuit impietas Arii, cui aliae duae subinde accessere caussae, error videlicet Quartodecimanorum, et schisma Meletii. Quare damnata ibi fuit haeresis Arii asserentis Verbum non esse Patri consubstantiale: *Visum est deinde communi omnium judicio, sacratissimum Paschatis diem, uno eodemque die esse celebrandum*, verba sunt Constantini in Ep. ad Ecclesias. Tertio decretum fuit ut Meletius retento solo episcopi nomine Lycum incoleret; et qui fuerant ab eo ordinati, Episcopo subjacerent alexandrino. Ad instaurandam demum Ecclesiae disciplinam aliquot editi sunt canones, de quorum numero ambigunt adhuc Eruditi; quamvis plerique Theologorum nec plures nec pauciores agnoscant quam viginti. De qua controversia legendus est Cabassutius.

Alterum generale Concilium fuit C-P. I. celebratum anno Christi juxta nostrum Panvinium 381. Convocatum fuit a Theodosio Seniore absque explicita Damasi tunc Romani Episcopi facultate. Quare initio generale non fuit: sed accedente postea ejusdem Romani Pontificis consensu omniumque Occidentalium, oecumenicum evasit atque legitimum. Quo enim tempore C-P. Concilium hoc celebrabatur, Damasus aliud habebat Romae eadem de caussa, ad quod etiam Orientales fuerunt vocati: qui legatione ad Damasum missa justas attulere caussas cur adesse Romano Concilio nequirent, simulque per synodicam Epistolam exposuerunt quae fuerant in eorum C-P. Concilio pertractata. Quibus S. Pontifex auditis, excusationes ratas habuit, et iis quae in eorum erant definita Concilio, simul cum reliquis Occidentalibus consensit. Atque ita duae illae Synodi ita animis sententiisque conjunctae fuerunt ac si una eademque fuisset. Interfuisse huic C-P. Concilio 15. Episcopos, omnes post Theodoretum Hist. lib. 5. cap. 7. fatentur. Sed ubi de praesidentia disseritur, mira est judiciorum dissensio; nonnullis Nectarium C-P. aliquibus Meletium antiochenum, pluribus Timotheum alexandrinum praesedisse contendentibus. Synodus certe generalis VIII. Act. 6. litem dirimere videtur his verbis: *Quoniam Timotheus primus factus est praedictae S. Synodi praesidens, utpote alexandrinus Patriarcha, et una cum Episcopis qui secum erant, provexit Nectarium Constantinopoleos Patriarcham*. Confirmavit haec S. Synodus edito Symbolo Nicaenam Fidem, damnando Macedonium qui Spiritum sanctum ad meram creaturarum sortem deprimebat; Aëtium cum Ario

divinitatem Verbi, cum Macedonio divinitatem Spiritus sancti negantem; atque Eunomium blasphemantem Filium ac Spiritum sanctum alterius esse a Patre substantiae. Post haec aliqui editi sunt canones: quos alii tres, alii septem fuisse arbitrantur. Dionysius videlicet Exiguus tres tantum, Isidorus autem Mercator septem recenset. Optime Natalis Alexander saecul. 4. Diss. 37. observat septem Isidori Mercatoris canones in tribus comprehendi ab Exiguo relatis. Illud in dubium verti nequit, quod Ecclesia occidentalis canones hos sive tres fuerint sive septem, ac tertium praesertim honoris primatum statuentem post Rom. Pontificem Episcopo C-P. non recepit nisi admodum sero, in Concilio scilicet Lateranensi IV. sub Innocentio III. celebrato; unde Gregorius M. lib. 6. Ep. 31. inquit: *Romana Ecclesia eosdem canones hactenus non habet nec recipit. In hoc autem eamdem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum*.

Tertia universalis Synodus quae fuit Ephesina I. (sic nuncupata ut secernatur a secunda quae pseudo-synodus fuit, et latrocinium ephesinum jure appellatur:) habita est an. 431. Theodosio Juniore Augusto, et Caelestino Summo Pontifice. Praesidem habuit Caelestini nomine Cyrillum Patriarcham alexandrinum, ut de praesidentia diximus Conciliorum: qui post Arcadii, Projecti, ac Philippi adventum locum non amisit, sed una cum illis nomine occidentalis Ecclesiae missis Rom. Sedis Legati vices gessit. Episcopi qui huic interfuere Concilio, ex Oriente fuerunt 200. Occidentales autem qui ad Romanum Concilium sub eodem Caelestino convenerant, illuc per Legatos suum misere suffragium. *Quia ergo viri ipsi* (Legati occidentales) *totius Occidentis sententiam nostrae huic Synodo per litteras exposuerunt, sensumque de Fide et pietate nobis consonum declararunt, et eadem quae nos decreverunt etc.* Ita Concilii Ephesini Patres alloquuntur Imperatorem. Johannes antiochenus cum omnibus sui Patriarchatus Episcopis quum personae Nestorii adhaereret, moram consulto trahens, Concilio non interfuit. Sed veritate demum agnita paceque inita cum Cyrillo, Concilium recepit et approbavit. Quoniam Concilii hujus convocationi caussam praebuerat Nestorius Patriarcha C-P. duas admittens in Christo personas, unam ex Deo, alteram ex Virgine quam Christi matrem tantum appellandam esse volebat; post Nestorii damnationem ejusque ab Episcopatu depositionem, definitum est unicam in Christo confitendam esse personam, ac B. Virginem appellandam esse Deiparam. Tum approbati duodecim anathematismi Cyrilli, ac demum sex editi canones ad disciplinam spectantes.

Quartum generale Concilium quod est Chalcedonense, quodque juxta Panvinium an. 451. celebratum est, convocatum fuisse a Marciano tunc in Oriente imperante ex Leonis Rom. Pontificis consensu, eique Concilio Leonem per Legatos suos Paschasinum et Lucentium episcopos, Bonifacium ac Basilium presbyteros praesedisse, necesse non est ut repetamus: quoniam id a nobis dictum est ubi de Conciliorum convocatione et praesidentia disseruimus. Ad hoc Concilium convenerunt 600.

fere Episcopi orientales, juxta Leonem M. Ep. 52. vel 630. juxta Liberatum in Breviario cap. 11. ex Occidente vero soli Legati Rom. Pontificis. Caussa celebrandi Concilii fuit haeresis eutychiana, ab Eutychete monaco presbytero et celeberrimi monasterii sui C-P. archimandrita primitus invecta. Et quoniam impius haeresiarcha unam esse in Christo naturam ex duabus permixtam, sicuti unica est in illo persona, pugnaciter defendebat, Concilium Chalcedonense definivit: *unum eumdemque Christum ... in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum*. Id praestitit autem postquam depositionis sententiam tulerat in Dioscorum latrocinii auctorem ephesini, et Nicaenam atque C-P. Fidem confirmaverat. Restituti sunt deinde propriis sedibus Theodoretus cyrensis antistes, Ibas edessenus, et qui per ephesinam pseudosynodum fuerant ejecti. Ac denique editi fuerunt 28. canones, quos tamen non omnes approbavit S. Leo, ut in superioribus diximus, et ex illius ad Anatolium C-P. epistola constat.

Quintum Generale Concilium, C-P. II. celebratum est anno 553. Justiniano Imp. procurante, ac consentiente Vigilio Rom. Pontifice, ut ex ejus epistola ad Eutychium patet, et ex ejusdem Concilii Act. 8. Quum ob exiguum Occidentalium numerum noluerit ipse Vigilius licet a Patribus rogatus, nec per se nec per Legatos suos Concilio interesse, ei praefuit non Mennas, ut falso docet Calvinus, sed Eutychius Patriarcha C-P. Mennae successor, ut ad singularum Concilii collationum caput ita legitur: *Considentibus in Secretario venerabilibus Episcopis hujus regiae civitatis Eutychio ss. Patriarcha regiae Constantinopolis novae Romae etc.* Centum sexaginta quinque Episcopi orientales ad hoc convenere Concilium, in quo actum est de Fide et de personis. Actum est, inquam, de Fide, quoniam convocatum fuerat ad Origenistarum, Nestorianorum, et Eutychianorum comprimendam audaciam. Hinc quatuordecim anathematismi conciliariter editi, omnes in damnandis illis erroribus versantur. Actum est etiam de personis, quoniam celeberrima tria capitula fuerunt ad examen revocata, impia scilicet scripta Theodori Mopsuesteni qui fuerat quondam Nestorii magister, opus Theodoreti cyrensis episcopi in quo duodecim Cyrilli anathematismis ab Ephesina Synodo approbatis totidem Theodoretus opposuerat nestoriana labe commaculatos anathematismos, et epistolam Ibae Edessenorum antistitis ad Marim Persam conscriptam. His accurate perlectis damnatus est Theodorus Mopsuestenus cum suis scriptis, tum *impia Theodoreti conscripta quae ... contra rectam Fidem exposuit*, ac denique Ibae ad Marim Persam epistola. Quoniam vero Theodoretus et Iba tamquam catholici fuerant a Concilio Chalcedonensi suscepti, non illorum personae, sed scripta dumtaxat damnantur; quum e contra Theodorus Mopsuestenus, et quoad scripta et quoad ejus personam damnatus fuerit. Ex quo Vigilius justis de caussis Concilio huic nec per se nec per suos Legatos praeesse voluerit, sequitur ab initio non fuisse legitimum. Legitimum tamen et oecumenicum evasit quando ab ipso Vigilio fuit postea confirmatum, ut liquet ex synodica Epistola a Leone Cinommo an. 1276.

eruta ex vetusto codice Vaticano, et ex constituto Vigilii a Baluscio ex eodice Biblioth. Colbertinae edito. Post Vigilium confirmarunt iterum Concilium hoc Pelagius II. Gregorius M. aliique Romanae urbis Episcopi. Quare censoria nota digni sunt Alloixius Lojolita, et qui modo illius refragantur auctoritati.

Concilium generale VI. fuit C-P. III. quod anno 680. a Constantino Pogonato convocatum fuit, permittente tamen Agathone Rom. Pontifice qui ea de re peculiarem coegit Romae Synodum 125. Episcoporum, ut Occidentales Ecclesiae sua per Legatos Costantinopolim mitterent suffragia, uti reapse fecerunt. Romanae Synodi Legati fuere Johannes portuensis, Abundantius paternensis, et Johannes Regii, omnes episcopi. Suos misit quoque Legatos Agatho, Theodorum et Gregorium presbyteros, ac Johannem diaconum, qui Pontificis nomine praefuere Concilio. Hujus Concilii actibus subscripti inveniuntur act. ultima Episcopi 166. Photius tamen in lib. de Synodis tradit fuisse 170. Theophanes et Cedrenus numerant 189. Convocatum fuit hoc Concilium ad haeresim damnandam Monothelitarum qui unicam tantum, eamque divinam, admittebant in Christo voluntatem et operationem. Haeresis hujus fautores post Theodorum pharanitanum episcopum qui hujus erroris architectus habetur, fuerunt Sergius C-P. antistes, Cyrus alexandrinus episcopus, Pyrrhus Sergii in C-P. sede successor, Paulus in Pyrrhi locum a Constante intrusus, et Macarius episcopus antiochenus. Quare postquam Concilium 3. 4. et 5. Synodi acta, atque Agathonis epistolas legerat, damnavit et exauctoravit omnes Monothelismi fautores, nequidem Honorio Rom. Pontifice excepto, ac definivit duas esse in Christo voluntates et operationes. In hoc Concilio nulli editi sunt canones ad mores spectantes.

Septima Synodus generalis est Nicaena II. an. 787. consensu Adriani I. Rom. Pontificis ab Irene ac Constantino filio Augustis convocata. Idem Adrianus per Legatos suos Petrum Rom. Eccl. archipresbyterum, aliumque Petrum presbyterum et abbatem monasterii S. Sabae, praeses hujus Concilii fuit, ad quod Episcopi convenerunt 350. vel 360. Ea autem de caussa fuit convocatum ut cultus sacris restitueretur Imaginibus contra quas Leo Isauricus primus bellum indixerat, cujus exemplum secuti postea fuerant Constantinus Copronymus, et Leo IV. Qua de re lectis in Concilio Adriani tum ad Constantinum et Irenem, tum ad Tharasium epistolis, confutatisque practera validissimis argumentis actis pseudo-synodi a Copronymo atque Iconomachis habitae, definitum fuit sacris Imaginibus religiosum impendendum esse cultum, et viginti duo canones ad disciplinam spectantes exarati denique fuerunt.

Octavum generale Concilium C-P. IV. ac postremum orientale anno juxta Panvinium 869. a Basilio Imperatore, impetrante Adriano II. Rom. Pontif. fuit convocatum. Inquit enim Adrianus ad Basilium scribens: *Volumus autem per vestrae pietatis industriam Constantinopoli numerosum celebrari Concilium*. Nemini dubium quin Concilio huic ad quod convolarunt juxta nonnullos 383. Patres, juxta alios 102. dumtaxat, praefue-

rit Pontifex Maximus per suos Legatos, Donatum ac Stephanum episcopos, et Marinum diaconum; in singulis namque Concilii actionibus legitur: *Convenientibus Donato et Stephano episcopis, et Marino diacono, locum tenentibus Adriani Archiepiscopi senioris Romae, et Ignatio Archiepiscopo C-P. etc.* Caussa hujus cogendi Concilii fuit lacrimabile schisma scelestissimi Photii, qui cum laicus esset ac Senatoris fungeretur officio, C-P. sedem quam tunc temporis tenebat Ignatius, ambiens, ad eam invadendam Bardae potentia stipatus, et usus opera Gregorii episcopi syracusani aliorumque clericorum quibus Ignatii non placuerat promotio, tot tantaque molitus est, donec Ignatio e sede exturbato seipsum in illam intrusit. Ad patriarchalem igitur dignitatem evectus, habito in primis paucorum sibi faventium Episcoporum conciliabulo, depositionis sententiam in Ignatium conciliariter tulit, tum a Nicolao Papa I. ordinationis suae confirmationem conatus est suffurari. Sed post varias vicissitudines a Nicolao I. exauctoratus aliud convocavit conciliabulum in quo anathema in Romanum Pontificem dixit, et Ecclesiae Rom. doctrinam de processione Spiritus sancti damnavit. Atque hinc schismatis Graecos inter ac Latinos initium. Caeso Michaele Imp. Basilius qui Michaeli successit, Concilium hoc C-P. ut diximus, convocavit: in quo quaecumque pro Ignatio antea decreverant Nicolaus I. et Adrianus II. confirmata sunt, ac irrita declarata quae egerat Photius adversus Ignatium; Photius depositus est, Ignatius restitutus, quorumdam Episcoporum qui Photio faverant caussa judicata est, confirmata omnia quae in septem praecedentibus oecumenicis Conciliis fuerant gesta ac definita, et editi sunt denique 27. canones disciplinam Ecclesiae respicientes.

CAPUT POSTREMUM.

Reliquorum generalium Conciliorum brevis historia contexitur.

Quum imperialis auctoritas atque potestas post Mahumetis Turcarumque invasionem devoluta esset ab Orientalibus ad Occidentales, et pleraeque illae Orientis olim florentissimae Ecclesiae sub durissima gemerent Turcarum tyrannide, reliqua generalia Concilia celebrari coeperunt in Occidente: primumque quod est oecumenicum IX. congregatum fuit an. 1123. ut Gabriel Gossardus Annot. ad hoc Concilium demonstrat, non anno praecedente, ut putat cl. Annalium parens Baronius. Congregatum itaque hoc fuit Concilium Romae, in cathedra Petri sedente Callixto II. in Germania imperante Henrico IV. in Basilica Lateranensi, unde Lateranense I. appellatur; illudque convocavit eique praesedit Pontifex Maximus, ut colligitur tum ex illius epistola ad Imperatorem in qua haec habentur, *Legatos itaque nostros qui apud vos sunt rogamus, ut quia Concilium a nobis indictum accelerat, cito ad nos Domino largiente remittas*; tum ex quo ea aetate Romani Pontifices non modo spiritualem, sed et temporalem Romae exercebant potestatem. Sugerius S. Dionysii abbas qui huic in-

terfuit Concilio, testatur interfuisse trecentos et amplius Episcopos. Abbas Uspergensis tamen, ex aliorum fide, narrat adfuisse Patres 426. Panvinius tandem ex Pandulpho tradit mille circiter convenisse Patres, numerando forte Episcopos et Abbates. Sed in scripta Pandulphi pisani error irrepsisse videtur. Hujus cogendi Concilii caussa triplex fuit. Prima ut e medio tollerentur omnino investiturae; quum Henricus juxta Italos IV. juxta Germanos vero V. vestigia premens Henrici III. parentis sui et Henrici II. avunculi jura conferendi Episcopatus et Abbatias sibi arrogaverat: ita ut dignitates ecclesiasticas non solum cum simoniaco mercatu indignissimis ut plurimum conferret, sed conferendo temporalium fruitionem bonorum per Baculi et Annuli pastoralis traditionem, jus in ipsas ecclesiasticas dignitates tradere videbatur. Altera caussa fuit ob suppetias Ecclesiis Orientis et Hispaniarum adversus Saracenos ferendas. Tertia demum ut ecclesiastica disciplina per Clericorum simoniam atque luxuriam labefactata, instauraretur. Schismaticorum siquidem factiones innumeris dedere locum abusibus. In hoc itaque Concilio pax inter Henricum IV. ac Romanam Ecclesiam inita est hisce conditionibus, ut Imperator investituras, electiones, et bona Ecclesiis restitueret; Pontifex autem concederet Imperatori ut praesens esse posset electionibus quae in ejus ditione fiebant; et ut electus regalia ab ipso reciperet non amplius per baculum et annulum pastoralem, sed per sceptrum. Vide instrumentum restitutionis Henrici, et aliud concessionis Callixti. Exarati praeterea sunt 22. canones quibus collapsae ecclesiasticae disciplinae consulitur, ac peccatorum remissio, nempe indulgentia, conceditur iis qui aut hierosolymitanum aut hispanicum iter Fidei defendendae caussa aggrediuntur.

Decimum universale Concilium, hoc est Lateranense II. anno 1139. imperante Lothario, convocavit Innocentius Papa II. eique pro jure praefuit, ut nemo diffitetur. Convenerunt autem ad hoc Concilium Episcopi circiter mille, teste Ottone Frisingensi illius aetatis scriptore qui lib. 7. cap. 23. sic ad rem nostram fatur: *Proxima media Quadragesima Synodus maxima circiter mille Episcoporum praesidente Romae Summo Pontifice Innocentio celebratur*. Tria potissimum Romanum impulere Pontificem ut istud indiceret Concilium, schisma videlicet Leonis, haeresis Petrobutianorum ac Arnaldi de Brixia, et ecclesiasticae restauratio disciplinae. Quoad schisma Petri Leonis, sciendum est quod statim ac Honorius II. Callixti item II. successor decessit, qui propinquiores Honorio erant, ne in futuri electione Pontificis tumultus excitarentur, antequam populo factionibus assueto Honorii obitus manifestaretur, in Summum Pontificem elegerunt Gregorium Cardinalem Diaconum tituli S. Angeli, qui nomen assumpsit Innocentii II. Re subinde divulgata reliqui Cardinales et Episcopi ad S. Marcum convenientes, elegerunt in Summum Pontificem Petrum Leonis civem romanum sub Anacleti II. nomine, opibus potentiaque clarum. Cumque is Rogerium Calabriae Apuliae ac Siciliae ducem ad suas pertraxerit partes, coactus est Innocentius fugam arripere, seque in Galliam recipere: ubi tamdiu commoratus est, donec pseudo-pon-

tifice e vivis sublato, per Lotharium Saxoniae ducem, subinde Imperatorem, Romae restitutus, Pontifex fuit salutatus, quamvis Petri Leonis factio extincta adhuc non esset. Haeresis autem Petri de Bruis, a quo Petrobusiani, ita a Petro Cluniacensi in Ep. ad Episcopos Arelatensem et Ebredunensem describitur: *Negat parvulos infra intelligibilem aetatem Christi baptismate posse salvari. Templorum fabricam fieri non debere docet. Cruces sacras confringi praecipit. Veritatem Corporis et Sanguinis Christi negat. Sacrificia, orationes, et eleemosinas pro defunctis deridet.* Arnaldus vero asserebat, *nec Clericos proprietatem, nec Episcopos regalia, nec Monachos possessiones habentes aliqua ratione posse salvari. Praeter haec, de Sacramento Altaris et Baptismo parvulorum non recte dicitur sensisse.* Concilium ergo Lateranense II. damnavit 1. Petri Leonis schisma; proscripsit 2. Petri de Bruis et Arnaldi Brixiensis errores; ac 3. demum ad ecclesiasticam restituendam disciplinam canones edidit 26. quibus canones quatuor addidit editos jam in Concilio Rhemensi cui Innocentius idem praesederat.

Undecimum generale Concilium Lateranense III. Friderici I. Imper. et Alexandri III. Rom. Pont. tempore, nimirum an. 1179. habitum fuit. Illud convocasse eique praefuisse Summum Pontif. ex ejusdem convocatoria ad Episcopos, et ex Concilii constat praefatione. Trecentos autem adfuisse Praelatos narrat Guilelmus archiepiscopus tyrius qui Concilio interfuit. Mortuo Summo Pontifice Adriano IV. Cardinales 21. in Summum Pontificem rite elegerunt Alexandrum III. Ab aliis autem tribus Cardinalibus creatus est Octavianus romanus assumpto nomine Victoris IV. Ille ab Italis, Gallis, Hispanis, atque Britannis; iste vero a tota Germania, agente Friderico Imperatore, Pontifex habitus est. Mortuo subinde Octaviano, Schismatici imperiali freti potentia subrogarunt ei Guidonem cremensem, quem Paschalem dixere II. et huic quoque e vivis exempto successit pseudo-papa Krumensis Abbas, Callixtus III. nuncupatus, qui ejurato tandem schismate, is ac Fridericus Imperator pacem cum Alexandro III. inierunt. Atque haec fuit prima Concilii hujus caussa, ut scilicet inter Alexandrum ac Fridericum pax inita firmaretur, sicque omne vitaretur deinceps in Ecclesia schisma. Altera caussa fuit haeresis Valdensium et Albigensium qui male de Ecclesia Romana, pessime de Sacramentis dogmatizabant. Tertia caussa fuit ut mores, simonia, usura, aliisque vitiis depravati reformarentur. Primo itaque pertractavit hoc Concilium de modo vitandi deinceps in Ecclesia schismata. 2. Damnavit Valdensium et Albigensium deliramenta. 3. Edidit ad reformandos mores 27. canones.

Duodecimum generale Concilium Lateranense IV. ita a Vespergensi describitur: *Anno ab Incarnatione Verbi 1215. celebrata est S. universalis Synodus Romae in Ecclesia Salvatoris, quae Constantiniana vocatur, mense Novembri, praesidente Domino Innocentio Papa III. Pontificatus ejus anno 18. in qua fuerunt Episcopi 412. inter quos extiterunt de praecipuis Patriarchis duo, C-P. et hierosolymitanus.* Quaenam fuerint hujus indicendae Synodi caussae, ex ipsius Innocentii verbis quae in ejus lite-

ris convocatoriis leguntur liquet. Ibi enim haec occurrunt: *Ut generale Concilium convocemus, in quo ad corrigendos excessus et reformandos mores, eliminandas haereses, ad inducendos Principes et populos christianos ad succursum et subsidium Terrae sanctae, tam a Clericis quam a Laicis impendendum*. Hinc explicata in hoc Concilio fuit Fides SS. Trinitatis; damnati libri cum Abbatis Joakim in Petrum Lombardum, tum Almarici doctoris parisiensis; concessae Fidelibus euntibus contra Saracenos ad bellum amplissimae indulgentiae; ac publicati demum plures in morum reformationem canones.

Tertium decimum Concilium oecumenicum, Lugdunense I. celebratum anno 1245. convocavit ac ei praesedit Innocentius Papa IV. ut ex literis convocatoriis, et ex oratione ab ipso Innocentio ad Patres Concilii habita, et quod ejus nomine plures editae fuerint formulae ac sanctiones, liquatissime colligitur. Interfuerunt huic Concilio, praeter Cardinales numero plures, Patriarchae tres, C-P. antiochenus et aquilejensis, Episcopi 140. Balduinus Imperator C-P. et Legati seu Oratores Regum Galliae, Angliae, Friderici II. Imperatoris Romanorum, aliorumque Principum. Maxima ratio hujus celebrandi Concilii fuit Friderici II. in Ecclesiam Romanam tyrannis. Is enim partibus adhaerens Gibellinorum diu vexavit Ecclesiam sub Gregorio IX. et postea etiam sub ipso Innocentio IV. Altera ratio fuit nimius Praelatorum ac Clericorum in moribus excessus. Tum etiam media ad subsidium ferendum Christianis orientalibus adversus Saracenos, et ad impetus reprimendos Tartarorum in Poloniam et Hungariam. Et quoniam Graecorum schisma in dies augebatur, ei quoque malo obviam eundum erat. His ergo de caussis absolutum est Concilium tribus actionibus, in quarum 3. anathema dictum est in Fridericum II. et septemdecim procusi canones ad morum reformationem.

Quartum decimum generale Concilium celebratum est pariter Lugduni in majori S. Johannis Basilica an. 1274. Indictum fuit a Gregorio X. P. M. et per se ipsum illi praesedit. Qua de caussa fuerit celebratum indicant ejusdem Gregorii literae convocatoriae ad omnes Episcopos, in quibus ista leguntur: *Non solum scissuras multiplicatas aperte videmus, sed ruinae magnae periculum in subtractione populi Graecorum, qui a Sedis apostolicae devotione ac obedientia se subtraxit, in occupatione maxima et vastatione valida Terrae sanctae, in subversione morum quae universaliter in Clero graviter obrepsisse videtur et populo, jam non tam cernimus quam palpamus*. Praeter Romanum Pontificem interfuere Concilio quindecim Cardinales, Patriarchae duo, C-P. et antiochenus, Archiepiscopi 60. vel 70. Episcopi 500. Abbates aliique inferiores Praelati complures. Adfuerunt quoque Jacobus Aragoniae Rex, qui tamen post sessionem 2. discessit, quod Rom. Pontifex noluerit absque ecclesiastico vectigali coronam capiti ejus imponere; Michaëlis Graecorum Imperatoris, Regum Galliae, Angliae, Germaniae, Siciliae, ac Tartariae Oratores. Interfuit et S. Bonaventura, ibique Cardinalis creatus est: qui tamen ante absolutum Concilium fatis cessit. Adfuissetque S. quoque Tho-

mas Aquinas, nisi in itinere in Fossae novae monasterio obiisset. Sex fuerunt Concilii hujus sessiones quibus iterum definitum est Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, eique definitioni et ipsi Graeci subscripserunt. Ecclesiastici Beneficiarii daturos se ecclesiasticorum reddituum decimas polliciti sunt in hierosolymitani belli subsidium ad sexennium, ac denique multi editi sunt canones ad mores reformandos.

Quintum decimum Concilium oecumenicum habitum est Viennae Allobrogum, unde Viennense dictum est, an. 1311. licet ab anno 1307. fuerit convocatum a Clemente V. Summo Pontifice qui ei pro jure praefuit, ut ex actis et constitutionibus ibi conciliariter ejus nomine emanatis constat. Ad illud venere, praeter Rom. Pont. et Cardinales permultos, Patriarchae duo, alexandrinus nempe et antiochenus; Episcopi juxta Guilelmum Nangium 114. juxta Johannem Villanum 300. Adfuerunt et Reges, Philippus videlicet Pulcher Rex Galliarum cum tribus filiis suis qui postea et ipsi omnes Reges fuerunt, Eduardus II. Rex Angliae, Jacobus III. Rex Aragoniae, aliorumque Principum Oratores. Celebratum fuit Concilium ad Templariorum ordinem extinguendum; ad condemnandos errores Dulcinistarum, Beguardorum, et Beguinarum; ad subsidium ferendum Christianis adversus Saracenos pugnantibus; atque ad instaurandam collapsam Ecclesiae disciplinam. Quae omnia tribus peracta sunt sessionibus.

Sextum decimum generale Concilium habetur a multis pisanum, quod anno 1409. ab omnibus Cardinalibus unanimi consensu coactum fuit, eique Cardinalis pictaviensis sacri Collegii tunc temporis decanus praesedit. Adfuerunt, ut narrat Osorius, Cardinales 24. Patriarchae 4. alexandrinus videlicet, antiochenus, hierosolymitanus, gradensis; Archiepiscopi 12. per seipsos, totidemque alii per Procuratores; Episcopi 300. partim per se partim per Procuratores; Abbates 87. Generales 4. Ordinum Mendicantium; magnus Magister Equitum Rhodi cum 16. Commendatoribus; Prior generalis Equitum S. Sepulchri; Procurator generalis Equitum Ordinis Theutonici; Deputati Academiarum bononiensis, florentinae, parisiensis, tolosanae, aurelianensis, andegavensis, montispesulani, cracoviensis, vindebonensis, pragensis, coloniensis, et cantabrigensis; 300. amplius Doctores in Theologia ac jure canonico; Oratores Regum Galliae, Angliae, Lusitaniae, Bohemiae, Poloniae, Cypri, et Siciliae; Oratores itidem Ducum Burgundiae, Bavariae, Brabantiae, Lotharingiae, Pomeraniae, et omnium fere Germaniae Principum. Convocatum hoc Concilium fuit ad diutinum tollendum schisma quo misere Ecclesia ob Gregorium XII. et Benedictum XIII. de papatu contendentes lacerabatur. Quod ut intelligatur, paullo altius historia repetenda est. Gregorius XI. natione gallus Apostolicam Sedem quae per septuaginta annorum spatium Avenione permanserat, SS. Birgitta et Catharina Senensi suadentibus, Romam iterum transtulit. Mortuo Gregorio XI. metuentes romani cives ne si Pontificem natione gallum Cardinales eligerent, S. Sedem Avenionem denuo transferret, excitato tumultu clamaverunt se Pontificem aut roma-

num aut italum velle ; eaque de caussa Bartholomaeum barensem episcopum qui Urbani VI. nomen assumpsit, Cardinales elegerunt. Paullo post duodecim Cardinales ultramontani quum Urbani ferre non possent severitatem, Anagniam secedentes ibi Summum Pontificem elegerunt Robertum tituli SS. Apostolorum Cardinalem, annorum 36. Clementem VII. nuncupatum qui Sedem Avenione iterum fixit. Urbano VI. duodecimo pontificatus sui anno Romae mortuo, Cardinales illi adhaerentes Petrum Thomacellum suffecerunt sub Bonifacii IX. nomine. Huic pariter defuncto subrogarunt Cosmarum Cardinalem Melioratum, cui nomen Innocentius VII. Et huic an. 1406. successit Angelus Corrarius, dictus Gregorius XII. Anno 1394. obierat Avenione Clemens VII. eique a Cardinalibus illic commorantibus subrogatus est Petrus de Luna sub nomine Benedicti XIII. Tempore itaque horum duorum Pontificum quum divisiones atque schismata adaugerentur in dies, utriusque partis Cardinales in unum convenientes, unanimiter decreverunt generale congregare Pisis Concilium eo quo dictum est modo. Celebrari itaque coepit die 15. Martii, ac initio ter rite citati sunt duo de papatu contendentes Gregorius XII. ac Benedictus XIII. iisque non comparentibus, *decernit Synodus et declarat in caussa Fidei et schismatis contumaces, et ordinat in eorum contumaciam ad ulteriora debere procedi, et procedendum fore*. In aliis sessionibus subtrahendam esse utrique Pontifici obedientiam, declaratumque Ecclesiam Romanam vacare; et denique Cardinales 24. Conclave ingressi, unanimi consensu in Summum Pontificem Petrum Philargi tituli SS. Apostolorum elegerunt, nomine sibi imposito Alexandri V. qui reliquis praefuit Concilii sessionibus, et universa gesta ac definita approbavit confirmavitque Bononiae speciali diplomate eodem anno 1409. Num Concilium hoc fuerit legitimum disputant Theologi et Canonistae.

Decimum septimum Concilium generale quod est Constantiense a Johanne XXIII. indictum fuit an. 1414. Non unus Concilii hujus Praeses fuit; prioribus enim sessionibus praefuit idem Johannes, reliquis vero usque ad 41. quoniam clam se subduxerat Pontifex, praesederunt Cardinales; ac deinceps ad finem usque sessionis 45. Martinus V. recens in Romanum Pontificem renuntiatus praesidentiam in consessu tenuit. Prima Concilii hujus caussa fuit schisma quod adhuc Ecclesiam dividebat. Mortuo enim Alexandro V. in cujus locum substitutus fuerat Johannes XXIII. Gregorius XII. et Benedictus XIII. adhuc de papatu contendebant. Quare dubium penes multos erat quinam ex his tribus legitimus esset Petri successor. Ad hoc itaque extinguendum schisma Johannes XXIII. Sigismundo Imperatore aliisque Principibus christianis procurantibus, Concilium convocavit. Altera Concilii cogendi caussa haeresis fuit Wicleffi, Johannis Hus, ac Hieronymi de Praga: qui partim concionibus, partim scriptis voluminibus pravas disseminabant in Deum, in Christum, et in Ecclesiam doctrinas. Et quoniam illis temporibus simonia vehementer grassabatur, tertia caussa fuit Ecclesiae in moribus ac disciplina reformatio. Auspicatus ergo Johannes Concilium cum amplissimo Cardinalium Antistitumque numero, praesentibus etiam Si-

gismundo Imperatore omnibus ornato imperii insignibus, ac plerisque Germaniae Principibus, spopondit Pontifex ac jurejurando promisit se Pontificatui cessurum dummodo et Gregorius XII. et Benedictus XIII. idipsum facerent. Absoluta tamen secunda Concilii sessione veritus ne pro sua pollicitatione ad abdicandum compelleretur Pontificatum, re cum Friderico Austriae duce communicata, clam se Concilio subripuit, atque Sciaffusam oppidum Friderico subjectum se recepit. Hinc lata in eum tamquam in perjurum aliorumque criminum reum a Concilio depositionis sententia: quam et ipse Johannes paullo post vi compulsus ad Concilium rediens scripto ratam et confirmatam habuit. Interea Gregorius XII. per Carolum Malatesta Arimini principem veluti per procuratorem in manibus Sigismundi Augusti Pontificatui sponte cessit; quam cessionem laeta Synodus suscepit ratamque habuit. Benedictus XIII. quod pertinaciter papatui cedere recusaverit a Synodo unanimi depositus est consensu, et extra Ecclesiam tamquam schismaticus ejectus. Proscripti quoque sunt ignique damnati libri atque tractatus a Johanne Wicleffo elucubrati; articuli 36. Johannis Hus qui cum pertinaciter in errore persisteret, degradatus saeculari traditus est potestati puniendus; et Hieronymus de Praga quod Wicleffitis atque Hussitis occinuerit, vivus exustus est. Post haec communi omnium suffragio in Summum Pontificem renunciatus est Otho Columna, assumpto nomine, ut diximus, Martini V. qui sacro approbante Concilio varias edidit promulgavitque Constitutiones ad ecclesiasticam spectantes disciplinam. Absolutum fuit Concilium hoc anno 1418.

Decimum octavum Concilium universale dicitur Basileense, convocatum a Martino V. juxta ea quae in Constantiensi Concilio statuta fuerant, primo Papiae, tum Senis, postremo Basileae an. 1431. eique Julianus Caesarini Tituli S. Angeli Cardinalis diaconus praefuit tamquam Legatus a latere Martini V. et Eugenii IV. Martini successoris. Revocavit quidem Eugenius Julianum Legatum, quod aliud Bononiae haberi volebat Concilium: sed eodem Juliano cum universo Basileae congregato Concilio resistentibus, Eugenius decretum de Concilii dissolutione retractavit, idemque Concilium legitimum fuisse declaravit ad illud usque tempus, videlicet usque ad sessionem 15. inclusive, in qua orta inter Patres de loco futuri Concilii dissensio est pro unione Graecorum. Multa in hoc Concilio statuta sunt, primo pro Bohemorum unione qui Wicleffitarum imbuti erant erroribus: secundo pro concilianda inter Principes christianos pace: tertio pro Cleri reformatione in capite et in membris. Disputant Eruditi an hoc Concilium fuerit revera legitimum et oecumenicum. Alii illud omni ex parte rejiciunt, quod post primam sessionem fuerit ab Eugenio IV. dissolutum. Tenent alii legitimum fuisse ad sessionem usque 15. inclusive, quoniam Eugenius edita revocans decreta per literas declaravit: *Generale Concilium Basileense legitime inchoatum, a tempore praedictae inchoationis suae legitime continuatum fuisse ... perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset*. Multi etiam arbitrantur legitimum et oecumenicum fuisse usque ad sess. 25. in qua dissensio inter Patres orta est.

Decimum nonum universale Concilium fuit Florentinum quod celebrari coepit Ferrariae, fuitque veluti quaedam continuatio Concilii Basileensis; quum post Basileensis Concilii sessionem 25. absolutam, Summus Pontifex decreverit Concilium transferendum esse Ferrariam. Huic Concilio praefuit per se Eugenius, coeptumque est Johanne Palaeologo Graecorum Imperatore ejusque fratre Demetrio, Josepho Patriarcha C-P. aliorumque Patriarcharum Legatis, et amplissimo Episcoporum tum ex Graecis tum ex Latinis numero praesentibus. Verum post 16. illic habitam sessionem, grassante atque in dies Ferrariae ingravescente peste, idem Concilium translatum est Florentiam. Hujus Concilii caussa fuit orientalis Ecclesiae cum occidentali unio et pax. Hinc postquam Ferrariae de jure praesidendi Concilio, de Purgatorio, de Animarum beatitudine etc. Grecos inter ac Latinos varie disputatum est in sexdecim sessionibus; eaedem controversiae renovatae sunt et iterum continuatae Florentiae usque ad sess. 25. In iis actum est quoque de processione Spiritus sancti a Patre et Filio, de addita Symbolo particula *Filioque*, de Romani Pont. primatu, de usu azymi vel fermenti in sacrificio Missae etc. Ac tandem absoluta sessione 25. editum est decretum unionis inter Graecos et Latinos cui tam Latini quam Graeci unanimiter subscripserunt. Quamvis Concilium hoc tamquam oecumenicum ab omnibus habitum semper fuerit, Gallis tamen putantibus hujus Concilii decretis auctoritatem reliquorum generalium laedi Conciliorum, an. 1440. in bituricensi conventu ab omnibus regni ordinibus fuit aperte rejectum. Verum re maturius procedente tempore discussa ac pensitata, plerique agnoverunt Concilium hoc aliorum auctoritati Conciliorum non derogare; proindeque illud modo tamquam legitimum et oecumenicum recipiunt ac venerantur.

Vigesimum Concilium generale, hoc est Lateranense V. indictum a Julio Papa II. inchoatum fuit an. 1512. et absolutum an. 1517. Plures fuere Concilii hujus Praesides; nam ad 4. usque sessionem inclusive praefuit idem Julius II. Illo aegrotante praefuit sess. 5. Raphael Cardinalis ostiensis. Julio II. mortuo, reliquis septem sessionibus praesedit Leo X. Julii in cathedra Petri successor. Orto inter Julium II. et Ludovicum XII. Galliae Regem bello, novem Cardinales ejusdem Ludovici et Maximiliani Imperatoris freti auctoritate in Julium rebellantes, Pisis celebrandum Concilium indixerunt, primamque habuerunt sessionem anno 1512. Prima ergo Concilii Lateranensis V. caussa fuit conciliabuli pisani abrogatio. Altera Ecclesiae morum reformatio. Tertia ut pax inter Principes christianos, tum expeditio adversus Turcas in Terram sanctam promoverentur. Quae omnia in duodecim sessionibus feliciter peracta sunt, quarum postrema an. 1517. habita est. Omnes orbis catholici Episcopi ad hoc vocati sunt Concilium: sed quinquennio numerum 120. nunquam excesserunt. Quindecim interfuere Cardinales, duo orientales Patriarchae, antiochenus et alexandrinus, plurium Principum Oratores, generales Ordinum Praepositi, Abbates et Doctores bene multi, quos inter sapientia eminebat noster Ægydius.

Postremum Concilium oecumenicum indictum fuit a Paulo III. Tridentum anno 1542. et inchoatum sub eodem Pontifice anno 1545. sub quo undecim celebratae sunt sessiones, octo videlicet Tridenti, tres Bononiae, quo ob luem quae Tridenti grassabatur ad tempus translatum fuit. Paulo III. successit Julius itidem III. sub quo sex aliae habitae sunt sessiones. Hoc Pontifice pariter e vivis sublato, in ejus locum suffectus est Marcellus II. Huic Paulus IV. post quem Pius IV. quo Pontifice reliquae habitae sunt sessiones usque ad vigesimam quintam. Atque ita Tridentinum Concilium nunc bellorum procellis, nunc inimicorum insidiis interruptum, post decem et octo annorum spatium absolutum est. Huic Concilio praefuere Legati Romanorum Pontificum; quare ita singulae sessiones incipiunt: *Sacrosancta Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata in ea praesidentibus tribus Apostolicae Sedis Legatis*. Concilio subscripserunt quatuor Sedis Apostolicae Legati tamquam praesides, duo alii Cardinales, tres Patriarchae, vigintiquinque Archiepiscopi, centum sexaginta octo Episcopi, triginta novem Praelatorum absentium Procuratores, septem Abbates, totidemque regularium Ordinum Generales. Congregatum fuit ad Lutheri, Zuinglii, Calvini, aliorumque Novatorum haereses extirpandas, qui veterum omnium haereticorum portenta in christianum orbem ad Ecclesiae perniciem invexerant, et etiam ad Ecclesiae reformandam disciplinam ob haereses et multa bella labefactatam, eaque feliciter 25. sessionibus et 127. canonibus sunt absoluta. Atque haec est brevis generalium Conciliorum historia. De Conciliis particularibus non agimus: tot enim tantaque fuerunt, ut ad illorum nomina dumtaxat recensenda justae molis volumen non sufficeret. Atque hic sit quarto libro finis.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER V.

DE ECCLESIA.

De Ecclesia in Conciliis congregata, quantum instituti nostri ratio ferebat, satis superque, ni fallor, pertractatum est; eamque dedimus Conciliorum notitiam quae ad illorum vindicandam ab haereticorum calumniis auctoritatem sufficere videatur. Nunc operae pretium est ut pro ejusdem Ecclesiae extra Concilia consideratae dignitate tuenda bene et naviter decertemus; nec ullo modo sinamus infensissimos Ecclesiae hostes catholicae veritati putidissimis mendaciis tenebras offundere. Quod ut recte assequamur, plura in antecessum disputanda erunt sive de membris Ecclesiam constituentibus, sive de notis quibus ab aliis secernitur societatibus, sive de essentialibus proprietatibus illam adornantibus, aliisque similibus. Sed initio de illius nomine, essentia, et origine paucis est disserendum.

CAPUT I.

De nomine, essentia, et origine Ecclesiae.

Ecclesia ergo si nominis spectes etymologiam, idem omnino est ac *evocatio*; provenit enim a graeco verbo ἐκκαλεῖν, quod significat, *evoco*. Atque Ecclesia hoc modo accepta quemcumque denotat coetum sive sacrum sive profanum. Hinc David de concione Sanctorum Ps. 149. inquit: *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum*. Et de iniquorum conventu subdit Ps. 25. *Odivi Ecclesiam malignantium*. In Novo autem Testamento et vulgato Christianorum sermone, nunquam ad civilem et profanam, sed ad piam semper sacramque indigitandam congregationem Ecclesiae nomen usurpatur, sed non uno semper eodemque sensu. 1. Dicitur Ecclesia locus ille materialis in quo sacer hominum fit conventus, juxta illud Apostoli in I. ad Cor. cap. 11. *Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam*: quo in loco Ecclesiae voce illud idem significatur quod Matthaeus hisce verbis innuit, *Domus mea, domus orationis vocabitur*. 2. Accipitur pro certo Fidelium conventu in una eademque domo vel familia manentium. Sic idem Apostolus ad Rom. cap. 16. salutat Priscam, et Aquilam, et eorum domesticam ecclesiam. 3. Sumitur pro coetu Fidelium qui in eadem paroecia sub Presbyteri cura degunt. Ita intelligitur crebro a sanctis Patribus. 4. Pro congregatione Fidelium in una civitate ejusque districtu sub Episcopo commorantium, unde Apostolus I.

ad Cor. cap. 1. *Paulus*, inquit, *vocatus Apostolus* ... *Ecclesiae Dei*, *quae est Corinthi*. 5. Intelligitur Ecclesiae nomine societas quaedam Fidelium in una aliqua provincia vel regno vel etiam natione degentium. Id innuit Apostolus ad Titum scribens cap. 1. ubi affirmat se reliquisse Cretae Titum ut illi Ecclesiae praeesset, atque Presbyteros constitueret per civitates quas illis temporibus centum in insula Cretae fuisse veteres testantur Historici. 6. Demum Ecclesiae nomen accipitur ad universam indigitandam Christianorum gentem per totum orbem diffusam. De Ecclesia hoc postremo modo considerata intelligi debent ea Apostoli verba Ep. ad Gal. cap. 1. *Persequebar Ecclesiam Dei*, *et expugnabam illam*. Et illa Lucae Actor. 15. *Tunc placuit Apostolis*, *et Senioribus cum omni Ecclesia*. Paulus siquidem antequam Christi susciperet Fidem, universum Christianorum genus cupiebat expugnare: et in Concilio hierosolymitano Apostolorum ac Seniorum nomine omnes omnino loquuti sunt Christiani per orbem diffusi. Juxta postremam hanc nominis acceptionem veterum quoque Judaeorum universitas appellari jure poterat Ecclesia. Nam et ipsi coetus erant Fidelium in Christum venturum credentium. Hinc vetus ille *Dei populus*, inquit antiquus Auctor apud Hieronymum Com. in cap. 5. Proverb. *utroque nomine vocabatur*. Verum nonnihil discriminis est Judaeos inter ac Christianos, ut S. P. Augustinus animadvertit in Ep. ad Rom. his verbis: *Ecclesia quippe ex vocatione appellata est*, *synagoga vero ex congregatione*. *Convocari enim magis hominibus congruit*, *congregari autem magis pecoribus*: *unde greges proprie pecorum dici solent*. *Quamquam ergo plerisque Scripturarum locis ipsa Ecclesia grex Dei*, *et ovile Dei*, *et pecus Dei vocetur*: *tamen in comparatione homines pecora dicuntur*, *ad vitam veterem pertinent*. *Et apparet hujusmodi homines*, *non cibo sempiternae veritatis*, *sed temporalium promissionum tamquam terreno pabulo esse contentos*. Paulus *ergo* servus Christi Jesu vocatus *est* Apostolus, *quae vocatio illum cooptavit Ecclesiae*. In Evangelium *autem* Dei segregatus *est*, *unde nisi a grege Synagogae*? Quae nos itaque sumus in hoc libro dicturi, de Ecclesia postremo sensu accepta dicta esse volumus, atque haec de multiplici Ecclesiae nominis significatione. Pauca nunc de illius essentia.

Non melius rei alicujus essentia nobis innotescere potest quam ex definitione, ut vel ipsi Logici norunt. Cumque Ecclesia universim accepta Fideles omnes sive regnantes in caelis sive in Purgatorio patientes sive militantes in terris complectatur, eam primo trademus definitionem quae Ecclesiae generatim sumptae exprimit ac repraesentat essentiam; dabimus post eam definitionem quae explicat naturam dumtaxat militantis in terra. Ecclesiae itaque generatim considerata optime definiri potest *Societas sive coetus Sanctorum sub uno capite Christo Deo servientium*. Definitio, inquam, haec apprime convenit Fidelibus omnibus vel in Caelo regnantibus, vel in Purgatorio patientibus, vel militantibus in terra; de omnibus enim dici jure meritoque potest, quod *Societas sint Sanctorum*. Et quoniam triplicis generis est sanctitas, alia videlicet interna et unde-

quaque perfecta, alia autem interna quidem sed inchoata et imperfecta, alia denique dumtaxat externa, hoc est, externa Fidei professio; Beati in Patria et Patientes in Purgatorio prioris generis habent sanctitatem: quare de his Apostolus ad Hebr. cap. 12. scribit: *Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Hierusalem caelestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in caelis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum*. Justi in terra sanctitate pollent inchoata et imperfecta, de quibus idem Apostolus ad Ephes. cap. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae*. Impii tandem et ipsi sancti aliquo sensu dici possunt; quoniam etsi neque perfectam neque inchoatam habeant internam charitatem et sanctitatem ut Justi, gaudent tamen sanctitate extrinseca quae in externa Fidei consistit professione: quo sensu Christiani omnes sive justi sive impii futuri essent, ab Isaia cap. 6. hoc nomine praenunciantur semen sanctum: *Semen sanctum erit id, quod steterit in ea*; et a Petro Ep. 1. cap. 2. *Gens sancta, populus acquisitionis* appellantur. Alia similiter definitionis verba, *sub uno capite Christo*, Beatis in Caelo regnantibus, Justis in Purgatorio existentibus, et Fidelibus adhuc in terra militantibus ex aequo possunt aptari. Christus siquidem caput est omnium credentium, juxta phrasim Apostoli ad Ephes. cap. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*, quoniam in nullo aliquo alio est salus praeterquam in nomine Domini Jesu, in quo etiam veteris legis cultores salutem sunt consequuti; cum eo tamen discrimine quod illi salvi facti sunt per Fidem in Christum venturum, nunc vero per Fidem in Christum jam mortuum salvantur quicumque salvantur. Idipsum de appositis in definitione postremo loco verbis, *Deo servientium*, est intelligendum; quoniam hic est institutae Ecclesiae finis ut omnes Deo serviamus, sive perfecte in caelis per charitatem consummatam, sive per eamdem charitatem sed imperfectam et inchoatam in terris. Hinc Paulus de Fidelibus omnibus indiscriminatim affirmat in Ep. ad Eph. cap. 2. *Non estis hospites, et advenae: sed estis cives sanctorum, et domestici Dei*; proindeque Deo servientes. Optima igitur est atque accuratissima allata mox definitio, si Ecclesiam generatim consideremus. Nam praeterquam quod Fidelibus omnibus sive in caelis sive in Purgatorio sive in terris existentibus convenit, ut proxime observavimus, per allatam definitionem Christi Ecclesia a quacumque alia discrepat societate. Neque enim vel de infidelibus, aut Judaeis, sive manifestis haereticis et schismaticis, dici potest quod sint societas Sanctorum, vel sint sub uno capite Christo; quum iis non interna modo, sed et externa quoque sanctitas, Fidei nempe professio deficiat: et rursus infideles Christum nullimode agnoscant, Judaei credant ipsum esse venturum, manifesti autem haeretici atque schismatici ob schismatis ipsius pertinaciam Christum dispescant ac dividant. Sed de essentia Ecclesiae universim acceptae haetenus.

Essentia Ecclesiae prout Fideles adhuc in terris degentes complectitur

consideratae, de qua nos in hoc opusculo nostro sumus pertractaturi, hac concluditur definitione: *Ecclesia est coetus hominum, quos unit ejusdem Fidei professio, et eorumdem Sacramentorum communio, sub legitimis Pastoribus, et praecipue sub Romano Pontifice*. Haec definitio adaequata est et accuratissima. Et sane, quod Ecclesia dicatur coetus hominum, definitio exprimit genus; quum coetus hominum sint non solum haereticorum schismaticorumque conventicula, sed quaecumque infidelium societates. Reliqua definitionis verba discrimen quod inter Ecclesiam aliosque hominum conventus intercedit, mirifice repraesentant. Et re quidem vera, tres habet allata definitio partes. Unius videlicet Fidei professio, eorumdem communio Sacramentorum, et legitimis Pastoribus ac praecipue Romano Pontifici subjectio. Ex quo de Ecclesiae essentia sit *unius verae Fidei professio*, secernitur Ecclesia Christi a Turcarum, Paganorum, Judaeorum, ipsorumque Haereticorum societatibus: quae aut in Christum plane non credunt, aut non credunt eo quo credendum est modo. Ex quo Ecclesia exigat *eorumdem Sacramentorum communionem*, sequitur ad illam non spectare neque catechumenos, neque excommunicatos; illi enim ad Sacramentorum participationem nondum fuerunt admissi, hi autem ab eorumdem communione fuerunt exclusi. Denique ex quo ad essentiam Ecclesiae requiratur *legitimis Pastoribus ac praecipue Romano Pontifici subjectio*, recte intelligitur veram non esse Ecclesiam penes schismaticos qui licet Fidem habeant ac Sacramenta, legitimis tamen non subjiciuntur Pastoribus.

Allata mox definitio recentioribus non arridet haereticis quibuscum hac in caussa facit etiam Launojus, qui demonstrare conatur in eo quod subjectionem includat legitimis Pastoribus, inauditam esse penes veteres Patres. Jurieu autem conqueritur mancam esse ac imperfectissimam, quoniam theologalium virtutum nullam facit mentionem.

Verum uterque decipitur. Et quod Launojum spectat, tot habet ille mendacii sui reprehensores quot ferme sunt sancti Ecclesiae Patres. Quorum si nomina recitare vellem, in longum abiret oratio. Unus pro omnibus sufficiat Magnus Augustinus qui Ep. ad Generosum, ut apud Donatistas ostendat non esse Ecclesiam, argumento utitur ex successione petito Episcoporum, ac praesertim Romanorum, quorum postquam catalogum a Petro usque ad Anastasium contexuit: *In hoc ordine*, inquit, *successionis nullus donatista episcopus invenitur. Sed ex transverso ex Africa ordinatum miserunt, qui paucis praesidens Afris in urbe Roma Montensium vel Cutzucitarum vocabulum propagavit*. Deinde quid Launojus miratur non eodem modo definisse Ecclesiam veteres Patres, quomodo nunc a recentioribus definitur? Novis emergentibus erroribus, sicuti nova fas est ad eos refutandos inventare vocabula: ita antiquis definitionibus nonnullas addere licet conditiones ad eas illustrandas ac in majori luce ponendas. Hinc quoniam Augustinus v. g. de essentia Ecclesiae disputabat adversus Donatistas qui Ecclesiam intra Africam concludebant, illam, de Catech. Rudib. definire hoc modo debuit: *Ecclesia est populus Dei, populus fi-*

delis per universum orbem diffusus. Eadem de caussa, quoniam Cyprianus rem cum schismatico habebat qui se Pastori suo subtrahebat, ita Ecclesiam definire debuit: *Plebs Sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens*. Similiter ergo, quoniam recentiores Theologi adversus haereticos agunt qui veterum Patrum definitiones ad sua conventicula trahunt; ita debent illius essentiam describere, ut haereticorum aptari haud possit coetibus. Haec ad Launoji argumentum. Jurii autem difficultas facillime solvitur ipsius Jurii verbis; *Ut quis*, inquit lib. de vero Syst. Eccl. *sit pars humani corporis, necesse non est ut de anima ac ejus influxu participet. Brachium mortuum semper est brachium. Fateor quidem non esse perfectum membrum, quum vitam non habeat; brachium tamen est et pars humani corporis ... Ita, ut quis ad Ecclesiae corpus, hoc est, ad Ecclesiam visibilem spectet, necesse non est ut ad animam quoque Ecclesiae pertineat. Si quis externam Fidei professionem externumque morum habeat exercitium, ad corpus Ecclesiae spectat, licet non ad animam si sit hypocrita*. Haetenus Jurius. Qui ergo interna fide caret, spe, et charitate, juxta ipsius Jurii principia dummodo externam Fidei servet professionem, Ecclesiae membrum est. Quomodo ergo manca est et imperfecta nostra Ecclesiae definitio, quod theologicarum ibi non occurrat mentio virtutum? Ast non proinde ab Ecclesiae essentia ac definitione virtutes theologicas arcemus, imo illas jam praesupponimus: et ideo non exprimimus, quoniam Ecclesiam definire intendimus quatenus visibilis est, et a reliquis distinguitur societatibus. Rarae admodum sunt definitiones, inquit Nicolius lib. I. de Unit. Eccl. cap. I. quae integram rei essentiam exprimant, et nihilominus si rem definitam a quacumque alia re secernant, adaequatae sunt et perfectae. Sic celeberrima hominis definitio, *Homo est animal rationale*, nec voluntatem nec amandi aut odio habendi exprimit facultatem, et nihilominus accuratissima est, quoniam hominem a quavis alia re secernit. Similiter, etsi nostra Ecclesiae definitio integram illius essentiam non repraesentet, tamen adaequata est et accuratissima: tum quia exprimit totum id quod requiritur ut quis ad Ecclesiae corpus pertineat; tum etiam quia Ecclesiam a non Ecclesia secernit. Sed his lucem afferent majorem quae paullo post de Ecclesiae membris dicturi sumus.

Breviter num inquiramus in Ecclesiae originem. Accipi potest Ecclesia vel secundum latissimam significationem, quatenus nimirum complectitur Angelos et homines; vel minus late, prout continet homines tantum, sed V. simul ac N. Testamenti; vel stricto ac rigoroso modo, prout videlicet homines includit dumtaxat N. Testamenti. Si de Ecclesia priori sensu considerata loquamur, habuit illa initium quando condidit Deus Angelos et homines. Nam et Angeli et primi nostri Parentes simul accepti, coetus erant Sanctorum Deo servientium. Angeli quippe in primo creationis instanti, ut Augustinus inquit, Deum coluere oratione laudis; et primi nostri Parentes in statu naturae innocentis, utpote gratia justitiaque ornati originali, Deum amavere de corde puro et fi-

de non ficta, ut ait idem Augustinus. Post lapsum autem, a recuperata per Christum gratia aut saltem a fide nunquam exciderunt.

Si vero loquamur de Ecclesia altero modo accepta, putant aliqui sumpsisse illam exordia sua ab Adamo innocente, aut saltem ab eodem post recuperatam per poenitentiam amissam gratiam. Alii autem ab Abele coepisse arbitrantur. Prioris sententiae patroni his ducuntur momentis. 1. Adam primus fuit qui fidem habuit in Christum venturum; verba enim Adami quae Gen. cap. 2. habentur, *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, Apostolus ad Ephes. cap. 5. de Incarnationis mysterio interpretatur: *Sacramentum hoc*, inquit, *magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia*. 2. Fuit Adam pater omnium viventium, et qui fidem in Christum, ac per fidem sanctitatem perceperunt, ab eo tamquam a propagationis principio orti sunt omnes. 3. Quod si per peccatum amisit originalem justitiam, eam subinde recuperavit per poenitentiam. Haec illi. Qui vero tenent Ecclesiam initium sumpsisse potius in Abele, inquiunt 1. Apostolus ad Hebr. cap. 11. veterum Patrum fidem commendans, incipit veluti a capite ab Abele: *Fide*, ait, *plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus*. 2. Abel primus fuit qui externo aliquo signo Deum venerari coepit; unde Gen. cap. 4. legitur: *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus*. 3. Quum fuerit Abel pastor, justus, et martyr, fuit proinde typus et figura Christi. 4. Hinc S. P. Augustinus Enarr. in Ps. 142. *Haec*, inquit, *civitas* (Dei) *initium habet ab ipso Abel, sicut mala civitas a Cain*.

Ceterum utcumque res se habeat, Ecclesia secundo sensu accepta, ab initio mundi fuit, et usque ad saeculi consummationem perseverabit; quum eadem fides in Deum ac mediatorem Christum in omnibus Fidelibus a mundi exordio usque ad Christum fuerit, et a Christo futura sit ad usque finem mundi. Recte doctorum aquila Augustinus Serm. 4. cap. 11. de Jacob et Esau: *Ecclesiam autem accipite, Fratres, non in iis solis qui post Domini adventum et nativitatem esse coeperunt sancti, sed quotquot fuerunt sancti ad ipsam Ecclesiam pertinent*. Hoc sensu tres habet Ecclesia status: primus ante legem, hoc est ab Adam usque ad Moysem; alter sub lege, nempe a lege lata per Moysem usque ad adventum Spiritus sancti super Apostolos; tertius a memorata Spiritus sancti missione usque ad extremum judicii diem.

Quo tempore autem coeperit Ecclesia tertio modo spectata, mox diximus, a sacra videlicet die Pentecostes: quod confirmatur ab Augustino tum in Ps. 147. ubi sic inquit: *Coepit Ecclesia ab Jerusalem, iit per omnes gentes*; tum in Ep. 2. Johan. his verbis: *Ubi inchoata est Ecclesia, nisi ubi venit de caelo Spiritus sanctus, et implevit uno loco sedentes centum-viginti?* Et iterum: *Unde coepit? ab Jerusalem. Quo pervenit? ad omnes gentes ... Ab Jerusalem coepit, et omnes gentes implevit*. Legas Tract. 2. in eamdem Epistolam.

CAPUT II.

Primum Ecclesiae systema a recentioribus invectum haereticis evertitur.

Recentiores heterodoxi, Lutherani scilicet et Calvinistae, ubi de Ecclesia scripserunt, animadvertentes se a Catholicis extra Ecclesiam positos jure existimari; ut anathematis eluderent sententiam initio commenti sunt solos Justos et Praedestinatos esse in Ecclesia. In quo sane sequuti sunt Wicleffistas, Hussitas, Donatistas, Novatianos atque Pelagianos: quorum primi, Wicleffistae nimirum et Hussitae, solos Praedestinatos ad Ecclesiam pertinere docebant; ut constat ex concilio Constantiensi Sess. 15. ubi refertur ac damnatur hic Johannis Hus articulus primus, *Unica est sancta et universalis Ecclesia quae est Praedestinatorum universitas*. Donatistae autem ac Novatiani affirmabant Ecclesiam congregationem esse Justorum, eo saltem sensu ut nunquam vel a Fide exciderint vel in graviora fuerint scelera prolapsi, ut apud Augustinum videre licet Haer. 69. Pelagiani demum volebant ibi Ecclesiam non esse ubi solida vitae puritas integritas atque perfectio non est, ut idem refert S. Pater Haer. 88. ubi ita scribit: *In id etiam progrediuntur, ut dicant vitam justorum in hoc saeculo nullum omnino habere peccatum, et ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula et ruga, quasi non sit Christi Ecclesia, quae toto terrarum orbe clamat ad Deum, Dimitte nobis debita nostra*. Horum, inquam, haereticorum portenta reviviscere fecerunt nostri heterodoxi, atque ex his Ecclesiae systema pro lubitu sibi conflarunt. In quo tamen diu non perstiterunt, quum postremus qui illud propugnaverit, fuerit Claudius Calvinistarum in Gallia degentium minister. Post Claudium aliud ab isto toto caelo diversum sibi praeformarunt, cujus inventor habetur Jurius eorumdem Calvinistarum et ipse minister. Sed de hoc systemate postea; nunc redeamus ad scopum.

Caussae quae Protestantes hujusmodi Ecclesiae systema sibi confingerent impulerunt, fuere quatuor praecipuae. 1. ut Ecclesiae judicio ac potestati se subducerent. Si namque Ecclesia coetus est justorum hominum ac praedestinatorum, Ecclesiae pastores ac judices et ipsi justi plane ac praedestinati esse debent. Ast vero quis umquam scire poterit num qui pastorum et judicum officio funguntur sint revera justi et praedestinati? Cumque nemo teneatur dubiis pastoribus ac judicibus se submittere, nemo pariter tenebitur, hoc statuto semel systemate, judicio ac potestati Ecclesiae se submittere. 2. hujus inveniendi systematis caussa fuit ut demonstrarent se non esse ab Ecclesia revera ejectos. Nam nemo qui de numero sint Justorum ac Praedestinatorum scit: ac proinde ii etiam qui extra Ecclesiae Romanae positi sunt communionem quum justi ac praedestinati esse possint, possunt esse etiam Ecclesiae membra. 3. caussa erat ut aliquo innixi fundamento in dubium revocarent an vel unus Catholicorum ad veram spectet Ecclesiam, dubius siquidem et incertus est numerus Justorum et Electorum. 4. denique ut probarent eorum Ecclesiam ab

Apostolis ducere originem. Nam si Ecclesia, inquiunt, ex solis Justis constat et Praedestinatis, Justorum autem Praedestinatorumque coetus est invisibilis; cur fieri non potuit ut invisibili quadam successione per Praedestinatos ac Justos sibi succedentes Lutheranorum et Calvinistarum ecclesia ab Apostolis ad nos usque pervenerit? Juvat ergo quam maxime falsum illud principium unde tot erronea descendunt consectaria totis viribus confutare. Sit ergo

CONCLUSIO I.

Non soli Praedestinati sunt Ecclesiae membra.

Prob. 1. ex sacris literis. I. Ecclesia Christi in sanctis paginis assimilatur agro in quo Pater-familias quum animadvertisset una cum tritico crescere etiam zizania, noluit haec a servis avelli, sed crescere permisit usque ad messem. Prostat haec parabola Matth. cap. 13. et de Ecclesia per universum orbem diffusa illam interpretatur Augustinus cont. Parm. et Serm. de verbis Domini prope finem. Porro in agro quo repraesentatur Ecclesia, praeter triticum inveniuntur etiam zizania. Zizania autem quid nisi reprobos significant, sicuti triticum denotat Praedestinatos? Hinc in allata parabola concluditur quod zizania quando in aream advecta fuerit messis, colligenda sunt et alliganda in fasciculos ad comburendum. Quare sunt in Ecclesia una cum Electis etiam reprobi. II. comparatur Ecclesia areae cujus idem Matthaeus cap. 3. meminit: *Cujus ventilabrum in manu sua: et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. Lege Augustinum lib. 13. cont. Faust. cap. 32. de Unit. Eccl. cap. 5. Sicut itaque in area paleae sunt cum tritico simul permixtae donec triticum ventilabro purgatum recondatur in horreo, paleae vero igni inextinguibili comburantur: ita in Ecclesia usque ad judicii diem Electi simul et reprobi inveniuntur. III. convivium quod Matth. cap. 22. describitur veram adumbrat Ecclesiam, ut constat ex Augustino lib. 3. cont. Petilian. cap. 2. 3. 9. et cont. Parm. lib. 1. cap. 2. et 3. Ast in illo convivio cum iis qui vestem habebant nuptialem, admixti erant quoque nuptialem vestem non habentes: unde cum Electis in Ecclesia permixti sunt quoque reprobi qui in tenebras conjiciendi sunt exteriores, cum eo qui vestem non habebat nuptialem; unde Christus Dominus parabolam hoc modo concludit: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*. IV. Matth. cap. 13. Ecclesia Christi comparatur sagenae missae in mare. Ibid. cap. 25. ovili, et decem virginibus. Videndus S. P. Augustinus Tract. 122. in Johan. Collat. 3. cum Donatistis, et Serm. 47. In sagena porro boni ac mali pisces concluduntur, in ovili sunt oves simul et haedi, ex decem virginibus quinque prudentes erant et quinque fatuae: quibus similitudinibus Electi ac reprobi exprimuntur; unde hi simul permixti utique reperiuntur in Ecclesia. V. denique Apostolus in 2. ad Tim. cap. 2. in-

quit: *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia: et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam*. Quid vero est illa magna domus nisi Dei Ecclesia? Inquit enim Apostolus ad eumdem Tim. Ep. 1. cap. 3. *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi*. Quare in Ecclesia sunt vasa in gloriam, et vasa in contumeliam. Vasa in gloriam sunt Electi, sicuti vasa in contumeliam reprobi, juxta ejusdem Apostoli phrasim in Ep. ad Rom. cap. 9; quare non soli Praedestinati, sed etiam reprobi pertinent ad Ecclesiam.

Prob. 2. ex SS. PP. Cyprianus lib. 3. Ep. 3. et lib. 4. cap. 2. Hieronymus in Dial. adv. Lucifer. et S. P. Augustinus lib. 2. cont. Crescon. cap. 34. allatas paullo superius Scripturae parabolas interpretantur de Ecclesia: docentque per eas significari, quod in Ecclesia Electi simul ac reprobi reperiantur. Idem Augustinus Tract. 45. in Johan. *Secundum praescientiam*, inquit, *et praedestinationem, quam multae oves foris, quam multi lupi intus!* Multi videlicet sunt reprobi intra Ecclesiam, multique extra Ecclesiam Praedestinati.

Prob. 3. ex absurdis quae in adversariorum systemate sequuntur. Si soli Praedestinati essent Ecclesiae membra, sequeretur 1. Judam nunquam in Ecclesia Christi fuisse, nequidem quando unus ex duodecim Apostolis erat, ac in Christi nomine miracula patrabat. E contra vero Paulum fuisse in Ecclesia etiam dum ipsam Ecclesiam persequebatur, ac proinde Idololatras, Turcas, atque Judaeos, si de Electorum numero sint, antequam de Christo aliquid audiant, esse cum Saulo persecutore Ecclesiae membra; et multos e contra Fideles justos, et pueros recens baptizatos, vel adultos non adhuc in peccatum prolapsos, si non sint praedestinati, ad instar Judae non esse Ecclesiae membra. Hoc autem magnum absurdum est. De Paulo namque licet praedestinato inquit M. Augustinus Serm. 1. de Conver. S. Pauli, fuisse quondam lupum in ovem subinde conversum; et de Juda subdit idem S. Doctor fuisse aliquando Christi Domini filium. Et rursus, quis umquam Idololatras, Turcas, et Judaeos qui nihil de Evangelio audierunt, esse dixerit Ecclesiae membra, quamvis sint ex Electorum numero? Et e contra ad Ecclesiam non pertinere pueros nuper baptizatos, illosque Fideles qui a justitia adhuc non exciderunt, ex quo non sint praedestinati? 2. Haereticorum systemate semel admisso Ecclesia Christi erit omnino invisibilis, quomodo invisibilis est numerus Praedestinatorum; proindeque nullus in ea ordo erit, nullaque hierarchia; oves nescient proprios pastores, nec pastores proprias agnoscere poterunt oves. Imo nec pastor scire poterit legitimum se vel illegitimum esse pastorem, utpote qui nesciat se esse praedestinatum. 3. Adeoque sequetur Auctorem Ecclesiae fuisse insipientissimum. Quae namque respublica, quod regnum, quae civitas, quae domus, ubi ima summis permiscentur, confusa ac permixta sunt omnia? Ubi nec superior agnoscitur nec inferior, nec subditus nec princeps? Ubi rector ab eo qui regitur non distinguitur, nec pater-familias a filiis atque servis? Et tamen Ecclesia in sacris li-

teris appellatur, *regnum* Matth. cap. 13. *civitas* ibid. cap. 5. *domus* Timoth. cap. 1. Si res igitur ita se habeat, ut volunt haeretici, quid aliud superest nisi ut aperte fateantur stultum Ecclesiae auctorem fuisse? Quid autem stultius dici potest?

CONCLUSIO II.

Non soli Justi sunt Ecclesiae membra.

Prob. 1. Impii si Fidem exterius non negaverint, si Sacramentorum communione cum aliis Fidelibus fuerint colligati, si legitimis subjiciantur Pastoribus sunt et ipsi Ecclesiae membra; adeoque non soli Justi ad Ecclesiam pertinent. Quod iisdem patet momentis quibus non solos Praedestinatos ad Ecclesiam spectare probavimus. Nam appellatur haec in Scripturis regnum, civitas, domus; comparatur areae, agro, convivio, sagenae, ovili, ut animadvertimus. Porro regnum, civitas, domus nonne bonos et malos concludit? In agro autem sunt triticum et zizania, in area triticum et paleae, convivio adfuerunt etiam nuptialem vestem non habentes, sagena bonos malosque capit pisces, habet ovile agnos et haedos: quibus similitudinibus significantur Justi et Peccatores; unde utrique sunt Ecclesiae membra. Urget hoc argumentum S. P. Augustinus lib. 3. cont. Ep. Parmen. cap. 3. et hoc eodem argumento confusos Donatistas in celebri collatione carthaginensi refert S. Doctor in Brevic. Coll. diei tertiae. 2. Ii sunt in Ecclesia qui ab ea expelli possunt. Peccatores autem et impii si incorrigibiles sint possunt utique ab Ecclesia expelli: Nam Matth. cap. 18. de incorrigibili inquit Christus: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum etc. Quod si non audierit ... dic Ecclesiae, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus*. Praeterea Paulus in 1. ad Cor. cap. 5. postquam incestuosum virum diu patienterque in Ecclesia sustinuerat, tandem nihil longanimitatem suam ad poenitentiam prodesse animadvertens, ejici illum praecepit ab Ecclesia: *Auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes: ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis: et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu jam judicavi ut praesens eum qui sic operatus est, in nomine D. N. J. C. ... tradere hujusmodi Satanae in interitum carnis*. Dubitari itaque non potest peccatores etiam solemnes esse in Ecclesia quandiu illi tolerantur. 3. Matth. cap. 23. legitur Christum dixisse: *Super cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate, et facite: secundum opera vero eorum nolite facere*. Pastores de quibus hic loquitur Christus erant proculdubio membra Ecclesiae, ut denotant illa verba, *quaecumque dixerint vobis, servate, et facite*. Erant tamen impii et hypocritae non imitandi: *secun-*

dum opera vero eorum nolite facere. Non ergo ex solis Justis tamquam ex suis membris constat Ecclesia.

Prob. 2. ex Traditione. Temporibus Augustini ex occasione ordinationis Caeciliani quem ab Episcopo sacrorum proditore ordinatum fuisse contendebant Donatistae, inter hos et Catholicos exorta controversia est num peccatores ad Ecclesiam pertinerent. Habita est hac de caussa celeberrima a Catholicis cum Donatistis collatio Carthagine, judice seu potius praeside Comite Marcellino jussu Honorii Augusti, in qua multi ex catholicis multique ex donatistis adfuerunt Episcopi. In collatione diei tertii cedere coacti sunt in pugna Donatistae, et confessi sunt saltem impios occultos esse membra Ecclesiae, ut refert Augustinus in Breviculo Collation. Quidquid tamen regererent Donatistae, Episcopi catholici constanti fide semper tenebant omnes impios etiam manifestos si externam saltem Fidem, Sacramentorum communionem, et legitimis Pastoribus retineant subjectionem esse Ecclesiae membra. Haec igitur erat Augustini aetate fides Ecclesiae catholicae. An ne recentiores haeretici reponent veram Ecclesiam extitisse tunc penes Donatistas? Quod si haec erat ea aetate verae Ecclesiae fides, a quibus Ecclesia illam acceperat nisi a Majoribus? Ex Traditione itaque scimus etiam peccatores esse membra Ecclesiae.

Prob. 3. testimonio Patrum. Tertullianus, Agrippinus, major africanae Ecclesiae pars sub Cypriano, nonnullae Ecclesiae orientales sub Firmiliano aliique licet tenerent non valere Baptisma collatum ab haereticis; valere tamen putabant Baptisma collatum a peccatoribus, hac una ducti ratione quod illi extra, hi essent intra Ecclesiam. Hinc Cyprianus Ep. 3. ad Maximum: *Impediri*, inquit, *non debet aut fides aut caritas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus*. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. apolog. ex eo probat magnam esse in Ecclesia regenda Episcopi curam, quod innumera hominum genera, perfecti, imperfecti, justi, impii, magis minusve scelesti homines in Ecclesia inveniantur. Chrysostomus in Ps. 39. inquit: *Habet* (Ecclesia) *eos etiam qui otio et socordia se dedunt, mollemque et dissolutam vitam amplectantur, et libenter serviunt voluptatibus, et quoniam est unum corpus tamquam ex una persona etc.* Hieronymus in Dial. adv. Lucifer. *Arca Noe*, inquit, *Ecclesiae typus fuit; sicut in illa omnium animalium genera, ita et in hac universarum et gentium et morum homines sunt: ut ibi pardus, haedi, lupus, et agni; ita et hic Justi, et peccatores, idest vasa aurea et argentea cum ligneis, et fictilibus commorantur*. Augustinus lib. 4. de Bapt. cap. 7. scribit: *Distinguamus inter eos qui mali foris sunt, et eos qui intus mali sunt*. Et lib. 7. cap. 51. subdit: *Alios autem ita dici esse in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferae pacificaeque justitiae; sed sicut esse palea dicitur in frumentis: nam et istos esse in domo negare non possumus, dicente Apostolo, In magna autem domo non solum aurea vasa sunt vel argentea, sed et lignea et fictilia, et alia quidem sunt in honorem, alia vero in contumeliam*. Eadem habet in lib. de vera Relig. cap. 5. de

Unit. Eccl. cap. 12. 13. 14. et postremo in tribus libris cont. Ep. Petil. in quorum 3. cap. 12. praeclaram hanc habet sententiam: *Homo sum enim de area Christi, palea, si malus; granum, si bonus. Non est hujus areae ventilabrum lingua Petiliani*. Legendus Augustinus etiam lib. 2. Retract. cap. 18. et lib. 18. de Civ. Dei cap. 4. et 9. Denique Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 47. ita ipsum alloquitur: *Firmiter crede, et nullatenus dubites, aream Dei esse Ecclesiam catholicam, et intra eam usque in finem saeculi frumento mixtas paleas contineri, hoc est, bonis malos Sacramentorum communione misceri*. Quae sententiam nostram non modo confirmant, sed demonstrant etiam tenendam esse de Fide.

Prob. ultimo theol. ratione. I. quum Ecclesia animam habeat et corpus, ut postea fuse exponemus; tametsi peccatores, quoniam interna charitate et gratia sanctificante carent, ad animam Ecclesiae non pertineant; quum tamen Fidei professionem et communionem Sacramentorum et legitimis Pastoribus retineant subjectionem, nec Jurius negat, ut cap. 1. vidimus, pertinere ad corpus Ecclesiae. Porro qui ad Ecclesiae corpus pertinet nonne membrum ejus est? Alioquin superfluum in Ecclesia esset Sacramentum Poenitentiae. II. si soli Justi vera essent Ecclesiae membra, quum non semper manifestum sit qui Justi qui peccatores sint in Ecclesia, consequitur eam esse invisibilem; proindeque ea admittenda erunt absurda quae in illorum sententia qui volunt Ecclesiam ex solis constare Praedestinatis sequi demonstravimus in antecedenti propositione. III. innumera essent quotidie in Ecclesia schismata; unus enim alteri diceret: tu non es de Ecclesia quia malus es; ego de Ecclesia sum quia sum bonus. Ne igitur portenta haec admittamus, sinamus esse in Ecclesia Justos simul et improbos: illos tamquam membra perfecta, ut quae ad corpus pertineant et ad animam; hos autem tamquam membra imperfecta, quum ad corpus tantum Ecclesiae, non ad animam spectent.

CAPUT III.

Objecta quaedam adversus positas superius theses diluuntur.

Obj. I. cont. 1. prop. Ecclesia Christi, teste S. Cypriano, est *hortus conclusus, fons signatus, puteus aquae vivae*, ut Cantic. cap. 4. legitur. Hortum autem conclusum, fontem signatum, et puteum aquae vivae non esse nisi Praedestinatos affirmat S. P. Augustinus lib. 5. de Bapt. cap. 27. dicens: *Hoc intelligere non audeo, nisi in sanctis et justis*. Et paucis interjectis: *Numerus ergo ille justorum, qui secundum propositum vocati sunt, de quibus dictum est, Novit Dominus qui sunt ejus: ipse est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquae vivae*. Unde soli Praedestinati ad Ecclesiam spectant. II. Idem Augustinus loco proxime citato cap. ultimo affirmat arcam Noë esse figuram Ecclesiae. Ast in arca Noë non fuerunt nisi qui salvandi erant a diluvio. Quare in Ecclesia non sunt nisi salvandi, nempe Praedestinati. III. Idem S. Doctor nomine ovium de

quibus saepe in Evangelio, intelligit solos Praedestinatos. Tract. enim 45. in Johannem: *Novit Dominus*, inquit, *qui sunt ejus*: *Novit praescitos*, *novit praedestinatos* ... *Novit ergo Dominus qui sunt ejus*, *ipsae sunt oves*. *Aliquando se ipsae nesciunt*, *sed pastor novit eas*, *secundum istam praedestinationem*, *secundum istam Dei praescientiam* ... *ante constitutionem mundi*. Solae oves sunt in Ecclesia; adeoque soli Praedestinati ad Ecclesiam spectant.

Resp. ad 1. In Cant. Cant. comparatur Ecclesia horto concluso, fonti signato, et puteo aquae vivae ad significandum in ea locum non habere infideles et haereticos, non ut impii excludantur et peccatores. Atque hoc sensu ea intelligit verba S. Cyprianus qui ea utebatur comparatione, ut inde concluderet Baptisma haereticorum utpote collatum extra Ecclesiam quae est fons signatus, hortus conclusus etc. non valere. Non usurpare autem comparationem illam ut ab Ecclesia excludat reprobos et peccatores, vel ex eo patet quod horum admittat Baptisma, utpote intra Ecclesiam collatum. Haec ad Cypriani sententiam. Ut autem Augustini mentem recte assequamur animadverto cum Gaspare Juvenin, Ecclesiam tribus considerari posse modis; quoad esse *finale*, quoad esse *formale*, quoad esse *materiale*. Ecclesia priori modo considerata est status patriae ad quam soli Praedestinati spectant. Ecclesia sumpta altero modo est status viae cum charitate conjunctus. Tertio demum modo spectata est status pariter viae, sed charitate destitutus, suntque in eo statu omnes Fideles peccatores. Augustinus itaque cum inquit in horto concluso de quo loquitur Salomon, non esse nisi Praedestinatos, sumit Ecclesiam priori modo. Idque ad Cypriani enervandum argumentum quo Donatistae abutebantur. Ita enim S. Doctor ratiocinatur: Verba illa Cantic. de Ecclesia quae constat ex iis qui caelestem patriam consequentur, nimirum de Praedestinatis intelliguntur. Quare quum sit illa hortus conclusus, sequeretur nec etiam reprobos aliquid commune habere cum Ecclesia; adeoque illorum quoque Baptisma esse irritum; quod Cyprianus non admittebat: *Nam dicat mihi aliquis*, quomodo irrepserint in hortum conclusum et fontem signatum, *quos saeculo verbis solis et non factis renuntiasse Cyprianus*, *et tamen intus fuisse testatur*? *Si enim et ipsi ibi sunt*, *et ipsi sponsa Christi sunt*; *ita ne vero talis est illa sine macula et ruga*, *et illa speciosa columba tali membrorum parte turpatur*? *An istae sunt spinae*, *in quarum medio est illa sicut lilium*, *quod in eodem cantico dicitur*? Non repugnat autem ut quis unam eamdemque rem diverso sensu etiam sibi specie tenus contrario quandoque accipiat, dummodo mentem suam satis aperiat, ut Augustinus tum hoc in loco tum alibi saepe praestitit; ac praesertim lib. 2. Retract. cap. 18. ubi ita scribit: *Ubicumque autem in his libris* (de Baptismo cont. Donatistas,) *commemoravi* Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, *non sic accipiendum est quasi jam sit*, *sed quae praeparatur ut sit*, *quando apparebit etiam gloriosa*. Haec est verborum S. Patris tradita ab accuratioribus Theologis interpretatio. Nam quod ait Bellarminus Cantic. verba non esse de Ecclesia intelligenda, injuriosum omni-

no est Cypriano et Augustino: quamvis enim intelligi quoque possint de B. Virgine, et de anima perfecta, ut ipse animadvertit; cur Augustinus et Cyprianus per illas similitudines adumbrari etiam Ecclesiam affirmare non potuerunt? Aut ergo contemnenda est sanctorum Patrum auctoritas, aut Canticorum verba intelligenda sunt etiam de Ecclesia, quomodo ea intellexit Augustinus, et ante illum Cyprianus. Sed Lojolitis scriptoribus familiare est SS. PP. parvipendere auctoritatem.

Ad 2. Arca Noë figura utique fuit Ecclesiae, ut Augustinus docet. Sed quoad aliqua non quoad omnia. In hoc itaque juxta S. Doctorem arca Noë fuit figura Ecclesiae: quod sicuti diluvii tempore nonnisi per arcam salus haberi poterat, ita nunc nemo potest aeternam consequi salutem nisi per Ecclesiam. *Sicut ergo*, verba sunt Augustini loco in argumento memorato, *non alia, sed eadem aqua et in arca positos salvos fecit, et extra arcam positos interemit: sic non alio, sed eodem Baptismo et boni catholici salvi fiunt, et mali catholici vel haeretici pereunt*. Ceterum arca Noë fuit Ecclesiae typus etiam in hoc, quod quemadmodum erant in arca animalia munda et immunda: ita in Ecclesia sunt Justi impiis, et reprobi Praedestinatis admixti. Vide Augustinum lib. 12. cont. Faust. et Hieronymum in Ep. 14. ad Damas.

Ad 3. Quamvis ovium nomine in sacris literis Praedestinati aliquando intelligantur, ut Johan. cap. 10. ut plurimum tamen ii omnes designantur qui exterius profitentur Fidem, et Sacramentorum communionem sub legitimis retinent Pastoribus, sive electi sint, sive reprobi, sive interna polleant charitate sive ea careant. Cujus intelligentiae non desunt exempla plura. Sic Johan. cap. ultimo Petro dictum est, *Pasce oves meas*: hoc est, non electorum dumtaxat, sed omnium omnino credentium cura Petro demandata est. Similiter Ps. 73. Propheta inquit: *Iratus est furor tuus super oves pascuae tuae*. Oves Dei furorem provocantes non sunt profecto Praedestinati. Item Ezech. cap. 34. describuntur oves Dei pingues et macilentae, sanae et aegrotae etc.

Ad 4. Quum ovis nomen significet interdum Praedestinatos, ut proxime animadvertimus, mirari non subit si S. P. Augustinus etiam nomen illud hoc sensu accipiat. Verum non ita solis Praedestinatis convenire docet, ut ex solis ovibus eo sensu intellectis constare velit Ecclesiam; ait quippe ibidem: *Secundum istam ergo praescientiam Dei et praedestinationem, quam multae oves foris, quam multi lupi intus*! Per Augustinum ergo multae oves, hoc est, multi Praedestinati sunt extra Ecclesiam; et vicissim complures lupi, nempe reprobi intra Ecclesiam commorantur.

Obj. 2. cont. eamd. thes. Praedestinati etiamsi in gentilitatis versentur errore, sunt membra Ecclesiae. Nam Johan. cap. 10. inquit Christus: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili*. Hi sane membra sunt Ecclesiae quoniam oves Christi sunt, et vitam aeternam quae extra Ecclesiam haberi nequit, absolute consequentur. Nihilominus in gentilitatis errore versantur, quoniam *non sunt ex hoc ovili*. II. E contra reprobi licet in Ecclesia esse videantur, ad Ecclesiam tamen minime pertinent,

quoniam idem Johannes in Ep. 1. cap. 2. scribit: *Ex nobis exierunt: sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum*. En reprobi extra Ecclesiam, quamvis in Ecclesia manere videantur. Hinc optime S. P. Augustinus lib. de Corr. et grat. cap. 10. *Ex nobis*, inquit, *exierunt, sed non erant ex nobis, hoc est, et quando videbantur in nobis, non erant ex nobis*.

Resp. ad utrumque. Quum tribus modis considerari possit Ecclesia, ut supra observavimus, nempe quoad esse finale, quoad esse formale, et quoad esse materiale; tribus pariter modis ad Ecclesiam quis spectare potest, ejusque dici membrum. Qui absolute aeternam consequetur salutem, scilicet Praedestinatus, ad Ecclesiam pertinet quoad esse finale: sed si in gentilitatis vel haeresis errore versetur, non est actu vereque membrum Ecclesiae, sed potentia dumtaxat. Si quis autem Fidem exterius profiteatur, et Sacramentorum communionem, Pastoribusque legitimis subjectionem retineat; etiamsi internam non habeat charitatem, etiamsi reprobus sit, aeternoque igne cremandus, is est actu in Ecclesia ejusque membrum, quamvis ad corpus tantum non ad animam pertineat Ecclesiae. Quod si sanctificante praeterea gratia sit exornatus, licet ad numerum non pertineat Electorum, est nihilominus non modo verum Ecclesiae membrum, sed membrum vivum et animatum. Porro quando nos statuimus reprobos quoque, si externam servent Fidei professionem etc. esse Ecclesiae membra, de iis loquimur qui actu sunt, sive formaliter, sive, ut inquiunt, materialiter in Ecclesia, non vero quod ad Ecclesiam spectent secundum esse finale consideratam. E contra quando Scriptura nonnullos gentiles appellat oves Christi, et proinde ad Ecclesiam spectare, de Ecclesia intelligenda est secundum esse finale spectata: ac si dicat nonnullos gentiles utpote praedestinatos esse in Ecclesia, potentia, non actu; quoniam antequam ex hac vita discedant, Fidem percipient, et vera Ecclesiae membra actu evadent. Similiter si Ecclesia spectetur quoad esse finale, reprobi quamvis actu sint in Ecclesia, et per internam charitatem vera membra Ecclesiae sint, dici tamen potest videri eos esse in Ecclesia, sed reapse de Ecclesia non esse; quoniam quum de numero non sint Praedestinatorum, nihil eis Ecclesia proderit. Quando ergo Scriptura inquit: multi gentiles sunt oves Christi, sunt illius haeredes, filii Dei, a Deo tamquam sui agnoscuntur etc. idem est ac si dicat multos gentiles esse praedestinatos, adeoque futuros membra Ecclesiae, aeternamque consequuturos salutem. E contra cum eadem Scriptura ait multos Fideles etiam justos videri ex nobis, videri filios Dei, sed tamen non esse: hoc sensu id est intelligendum quod multi qui nunc actu in Ecclesia reperiuntur, ejusque membra vel mortua ut peccatores, vel viva et animata ut Justi, non sunt praedestinati; proindeque justitia, sanctitas, et adoptio filiorum nihil omnino eis prodesse poterit. Hoc sensu accipiendae sunt Scripturae, eodemque sensu intelligendus est Augustinus qui rem totam paucis mirifice exponit Tract. 45. in Johan. his verbis: *Quid est quod dixi, quam multae oves foris? Quam multi modo luxuriantur, casti futuri; quam multi blasphemant Christum, credituri*

in Christum ; *quam multi se inebriant* , *futuri sobrii* ; *quam multi rapiunt res alienas* , *donaturi suas* : *verumtamen modo vocem alienam audiunt* , *alienos sequuntur* . *Item quam multi intus laudant* , *blasphematuri* ; *casti sunt* , *fornicaturi* ; *sobrii sunt* , *se vino postea sepulturi* ; *stant*, *casuri* : *non sunt oves* . (*De Praedestinatis enim loquimur etc.*)

Obj. 3. adv. 2. prop. Isaias cap. 52. haec habet: *Non adjiciet ultra* , *ut pertranseat per te incircumcisus* , *et immundus* . Et rursus: *Recedite* , *recedite* , *exite inde* , *pollutum nolite tangere* : *exite de medio ejus* . Per haec praenuntiat propheta Ecclesiam N. T. militantem . Praedicit autem non futuros in ea , neque incircumcisos , videlicet infideles , neque immundos et pollutos , hoc est peccatores . Vult ergo solos Justos esse Ecclesiae membra . II. Concinit Isaiae Paulus in Ep. 2. ad Cor. cap. 6. dicens : *Quae enim participatio justitiae cum iniquitate ? Aut quae societas luci ad tenebras ? Quae autem conventio Christi ad Belial ?* Excludit per haec verba Paulus a Christi Ecclesia non modo sectatores Baal , nempe infideles , sed etiam qui de iniquitate participant , ut sunt peccatores : adeoque soli Justi constituunt Ecclesiam . III. In 1. autem ad Cor. cap. 10. idem Apostolus jam scripserat : *Quoniam unus panis* , *unum corpus multi sumus* , *omnes*, *qui de uno pane participamus* . Quae hunc habent sensum, quod Fideles impii se habeant sicuti paleae respectu panis . Paleae autem quum ad panem non pertineant , neque impii pertinent ad Ecclesiam .

Resp. ad 1. cum S. P. Augustino in Brevic. Collat. tertii diei , priorem Isaiae textum de Ecclesia triumphante , non militante esse intelligendum ; posteriorem vero de separatione bonorum ab impiis et malis hoc tempore facienda , per cordis videlicet et vitae morumque dissimilitudinem, accipiendum esse , non de corporali discessione ; atque adeo nihil ex propheta contra nostram sententiam concludi . Sed admisso Isaiae textu quoad alteram partem , dico falsum esse per immundos atque pollutos intelligere prophetam impios Fideles ; loquitur enim de infidelibus quos immundos ac pollutos merito appellat, quoniam eorum depravatae leges in immunditia illos ambulare permittunt . Quapropter juxta Prophetarum phrasim , incircumcisus, pollutus , et immundus, idem omnino significant . Unde verborum Isaiae sensus est : Qui Baptismo initiandi sunt , infidelium coetus illorumque immundas leges dimittere debent , nec immisceri amplius eorum ritibus, sacrificiis , caeremoniis , connubiis ; quum Christi Ecclesia incircumcisorum religionem ac mores abominetur . Hanc esse prophetae mentem ex literali verborum sensu patet , juxta Cyrilli expositionem in hunc locum. Praedicit namque Isaias babylonicae finem captivitatis ; contribulesque suos solatur spondens illis diutinum in terra Juda pacis tempus , quo perdurante non fore per eam transituros , ut antea fecerant , incircumcisos ac immundos hostes . Ex quo argumentum subinde sumit eos exhortandi ut Babylonem cito relinquant , et alacri inde recedentes animo, pollutum quidquam non attingant . Ubi vides loqui prophetam de Babylone Judaeorumque hostibus qui plane immundi erant atque polluti , quoniam erant infideles .

Ad 2. Apostolus iniquitatis nomine et ipse intelligit infidelitatem; ait siquidem eodem in capite: *Nolite jugum ducere cum infidelibus ... Quae pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis?*

Ad 3. Similitudines non in omnibus cum re assimilata convenire debent; secus res assimilata cum instituta similitudine identica esset. In hoc itaque allata ab Apostolo similitudo consistit, quod sicuti multa tritici grana mediante aqua unum panem efficiunt: ita multi homines mediante Baptismo unum efficiunt Christi corpus. Ceterum aliquid in apostolico textu legitur quod retorqueri in adversarios potest; inquit enim: *Unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus*. Ast etiam impii per Apostolum de eucharistico pane participant; ait quippe: *Qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit*. Quare impii quoque pertinent ad corpus, per quod multi unum sumus, videlicet ad Ecclesiam.

Obj. 4. cont. eamd. concl. Ecclesia sancta est, de illa namque legitur Cant. cap. 4. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*; et in Symbolo profitemur, *sanctam Ecclesiam*. Qui ergo sancti non sunt, nihil commune habent cum Ecclesia. II. Impii non Deum, sed diabolum patrem habent, juxta illud Johan. Ep. 1. cap. 3. *In hoc sunt manifesti filii Dei, et filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo*. Verum qui non habet Deum patrem, potest ne habere pro matre Ecclesiam? Absit, inquit Cyprianus in lib. de Unit. Eccl.

Resp. ad 1. Ecclesia jure dicitur et est sancta, quoniam quae ad illam constituendam requiruntur sancta sunt; et quoniam etiam multa illius membra sunt sancta. Et vero, ad Ecclesiam in suo esse constituendam requiruntur Baptisma, professio Fidei ac regularum morum, membrorumque unio tum inter se per charitatem, tum cum legitimis Pastoribus per spiritum humilitatis: quae omnia, ut per se patet, sancta sunt. Deinde licet in Ecclesia sint plures impii, negari tamen non potest quin in sinu multos Justos ac perfectos homines foveat. Cumque denominatio a meliori nobiliorique sumi debeat parte, ut ipsi Logici norunt, potest ac debet Ecclesia etiam hoc titulo nuncupari sancta, etiamsi plures in sinu suo sustineat impios. Hoc sensu tum Canticorum tum Symboli verba sunt intelligenda; quamvis textus ex libro Cant. desumptus accipi quoque possit de Ecclesia triumphante, ut illum interpretatus est Doctorum aquila Augustinus lib. 2. Retract. cap. 18.

Ad 2. Impii uno sensu filii Dei, alio vero filii diaboli dici possunt. Filii Dei generatione spiritali per Baptismum, filii diaboli imitatione. *Tribus modis*, inquit Augustinus lib. cont. Adim. Manichaei discipulum cap. 5. *in Scripturis sanctis filiorum nomen accipitur: uno secundum naturam; quomodo Isaac filius Abrahae, vel etiam ceteri Judaei qui ex eadem origine veniunt: alio secundum doctrinam, ut filius ejus in ea re quisque appelletur, a quo aliquid didicit; sicut filios suos Apostolus appellat, qui ab illo didicerunt Evangelium: tertio secundum imitationem; sicut filios Abrahae nos vocat Apostolus, qui ejus fidem imitamur:*

Alios praeterea filiationis modos recenset lib. 1. Retract. cap. 22. Impii ergo non sunt filii Dei imitatione, sed generatione et doctrina, quoniam Christus eos per Baptismum non secus ac Justos genuit Ecclesiae, et in ejus sinu permanentes doctrinam a Deo traditam, hoc est Fidei professionem, una cum Justis conservant. Sed quoniam cum Justis internam non retinent charitatem, merito de iis conqueritur Dominus Isaiae cap. 1. *Filios enutrivi, et exaltavi: ipsi autem spreverunt me*. Itaque impii sunt aliquo sensu filii Dei: atque idcirco matrem habent Ecclesiam. Sed operibus suis imitantur diabolum, illiusque sectantur vestigia, et secundum hunc modum iis inquit Christus: *Vos ex patre diabolo estis;* et Johannes: *In hoc sunt manifesti etc.* Optime autem Cyprianus affirmat eos qui non sunt filii Dei, non habere matrem Ecclesiam: quoniam schismatici et haeretici, adversus quos agit in eo libro S. Martyr, qui nullo prorsus modo sunt filii Dei, nequeunt appellari filii Ecclesiae.

Objiciunt praeterea multa Patrum testimonia. Cyprianus Ep. 6. tradit in Ecclesia non esse nisi concordes. Chrysostomus in 2. ad Timoth. non esse nisi vasa aurea et argentea. Pacianus autem docet apertissime non esse in Ecclesia peccatores. Hieronymus denique Comm. in cap. 5. ad Eph. *Qui ergo*, inquit, *peccator est, aut aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici*.

Resp. haec minima esse. Cyprianus enim excludit ab Ecclesia discordes, nempe schismaticos, non simplices peccatores; reprehendit quippe Novatianos. Chrysostomus ne quis putaret malos in Ecclesia esse necessarios, quomodo in domo necessaria sunt vasa lignea et fictilia, docet Apostoli comparationem, *In magna domo sunt vasa aurea et argentea etc.* accipi posse de mundo. Et quidem impii sunt in Ecclesia, sed necessarii minime sunt ad illam constituendam. Pacianus loquitur de peccatoribus in haeresim lapsis. Nam paullo ante dixerat Ecclesiam esse immaculatam, quoniam caret haereticis. Juxta Hieronymum in ea Ecclesiae parte nequeunt esse peccatores quae solos complectitur perfectos, quum ibi doceat diversimode Ecclesiam in sacris literis sumi; modo nempe prout malos, modo prout complectitur justos. Et hinc est, inquit, quod nunc Ecclesia laudatur, nunc vero reprehenditur.

Obj. iterum auctoritatem S. P. Augustini qui pluribus in locis dogmati favere videtur adversariorum. Lib. enim 2. contra Crescon. cap. 21. *Non potest Christus*, inquit, *habere membra damnata*; lib. 4. de Bapt. cap. 3. *Videntur* (impii) *esse in Ecclesia, sed non sunt;* et cap. seq. *In corpore autem unicae columbae, incorruptae, sanctae, pudicae, non habentis maculam aut rugam, nec ille* (haereticus), *nec ille* (peccator) *invenitur*; et lib. 6. cap. 24. *Quia extra petram sunt, profecto extra Ecclesiam sunt;* et cap. 40. *Nisi essent extra arcam, non morerentur per aquam*. Haec itaque hujus generis S. Doctor habet quae luculenter ostendunt impios Fideles non esse Ecclesiae membra.

Resp. Ut Augustini mentem probe assequamur, operae pretium est animadvertere sub duplici respectu considerari posse Ecclesiam, ut saepe dixi-

mus; uno modo quatenus est societas hominum externa Fidei professione, Sacramentorum communione, et subjectione legitimis Pastoribus colligatorum; altero modo quatenus est coetus hominum qui vinculo charitatis inter se, et cum Christo conjuncti sunt. Sed de his sermo redibit postea. Quando ergo Augustinus inquit peccatores ad Ecclesiam non pertinere, non esse illius membra vel Christi, esse extra arcam, extra petram etc. considerat tunc Ecclesiam posteriori exposito sensu, et vult significare nil prodesse impiis illorum Fidem, quoniam justi non sunt. Non autem eos ab Ecclesia priori accepta sensu excludit. Audias eumdem Augustinum in eodem lib. 4. cap. 9. seipsum penitus declarantem: *Sunt in unitate Christi, qui sunt ex parte diaboli? Procul dubio, sicut ipse Dominus ait, Inimicus homo hoc fecit, qui superseminavit zizania ... An extra unitatem Ecclesiae non habet sua Christus, et in unitate Ecclesiae sua diabolus? Hoc fortasse de hominibus dici potest, ut sic extra communionem Ecclesiae non habeat Deus aliquem suorum, sicut inter angelos sanctos non habet diabolus aliquem suorum. Ecclesiae vero huic quae adhuc carnis mortalitatem portat, quamdiu peregrinatur a Domino, licuerit diabolo miscere zizania, hoc est malos homines etc.* Quibus vestigiis inhaerens appellat peccatores dein *interiora zizania*, *paleas interiores*, et frequens exit in haec verba, *qui intus sunt*. Legas et caput 10. et sequentia ejusdem libri. Neque alium patiuntur sensum ea quae sequuntur, dummodo attente percurras lib. 6. unde sunt excerpta: ubi nedum non contradicit, sed saepe saepius fatetur *intus* esse, per oppositionem ad haereticos quos *foris* esse clamat ubique. Quod si clariora adhuc exoptas, recole quae lib. 7 cap. 51. occurrunt, nempe, *Alios autem ita dici esse in domo ... sicut esse palea dicitur in frumentis: nam et istos esse in domo, negare non possumus*. Neque demum repugnat ut quis eamdem rem sub diverso aspectu consideret. Dum igitur S. P. Augustinus excludit peccatores ab Ecclesia, loquitur de Ecclesia non corporaliter, sed spiritaliter considerata modo superiori exposito. Si autem quaeras qua de caussa tam saepe in libris de Bapt. asserat S. Doctor peccatores ad Ecclesiam non pertinere, responsio in promptu est: quoniam videlicet agebat contra Donatistas qui docebant 1. irritum esse haereticorum Baptisma, quia haeretici ad Ecclesiam non spectant. 2. Ecclesiam ex solis constare Justis et sanctis. 3. Non esse iterandum Baptisma collatum a peccatoribus. Ex his Donatistarum principiis sic Donatistas ipsos refellit: Per vos quum Ecclesia immaculata esse debeat et sine ruga, haeretici Spiritum sanctum non habent; proindeque irritum est illorum Baptisma. Ast etiam peccatores extra Ecclesiam immaculatam et sine ruga quum sint, non habent Spiritum sanctum; unde irritum erit peccatorum quoque Baptisma. A vobis autem impiorum Baptisma admittitur. Quare non cohaerent vestra principia. En S. Patris verba lib. 4. de Bapt. cap. 4. *Sicut autem urgeri videor, cum mihi dicitur*, Ergo haereticus dimittit peccata? *Sic et ego urgeo cum dico, Ergo qui caelestia mandata non servat, avarus, raptor, foenerator ... dimittit peccata? Si per vim Sacramenti Dei, sicut ille, ita et ille: Si*

per meritum suum , nec ille , nec ille . Illud enim Sacramentum et in malis hominibus Christi esse cognoscitur : in corpore autem unicae columbae, incorruptae, sanctae, pudicae, non habentis maculam aut rugam , nec ille , nec ille invenitur . Et quomodo accipienti non prodest Baptismus ei qui saeculo verbis non factis renuntiat ; sic non prodest ei qui in haeresi vel schismate baptizatur: utrique autem correcto prodesse incipit , quod antea non proderat etc.

Obj. ultimo . Si impii essent Ecclesiae membra , essent quoque membra Christi . Porro repugnat asserere impios esse membra Christi ; tum quia id aperte negat Apostolus inquiens : *Qui spiritum Christi non habet , hic non est ejus* ; tum etiam quia indignum videtur tribuere Christo vel corpori Christi membra damnata .

Resp. Repugnat quidem asserere peccatores esse membra Christi , et Ecclesiae viva ; nulla autem repugnantia est affirmare esse membra mortua . Apostoli autem verba hunc habent sensum : *Qui spiritum Christi non habet* , hoc est charitatem , *hic non est ejus* , subintellige membrum vivum et animatum . Est tamem membrum mortuum et informe , si cum ceteris Fidelibus exterius Fidem profiteatur , de iisdem participet Sacramentis, iisdemque legitimis subjiciatur Pastoribus . Neque indignum est Christo ejusque corpori membra tribuere damnata sensu nuper exposito . Imo vel in hoc Christi charitas et pietas commendatur , quod impios patiatur esse et dici sui corporis membra . Etenim id unum sufficit ad impios a via mala revocandos , si serio meditentur esse Christi Domini membra . Hoc sane argumento utitur Apostolus ad fornicarios suadendos ne ambulent deinceps in immunditia : *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi ?* 1. ad Cor. cap. 6.

COROLLARIUM .

Non incongrue ex disputatis eruitur nec omnes Praedestinatos , nec omnes Justos esse Ecclesiae membra . Quum nempe tria ut quis sit Ecclesiae membrum requirantur, externa scilicet Fidei professio , Sacramentorum participatio , et legitimis Pastoribus subjectio ; si nonnulli Praedestinati in infedelitate adhuc versentur , Ecclesiae membra profecto non sunt, omnium defectu conditionum ; nec nisi improprie ad Ecclesiam spectare dici possunt, nempe quoad esse Ecclesiae finale , ut observavimus . Quoad Justos autem fieri quandoque potest ut quis in justitia constitutus per excommunicationem ab Ecclesia expellatur ; fieri etiam potest ut catechumenus adeo proficiat donec justificetur . Justus sacro Baptismate tinctus, sed excommunicatus Ecclesiae membrum non est , secundae ac tertiae conditionis defectu . Neque enim exterius Sacramentorum cum reliquis Fidelibus retinet communionem, aut legitimis subjicitur Pastoribus . Catechumeno vero quum per sacrum Baptisma Ecclesiae adhuc insertus non sit , nec eucharistico corpore cum ceteris reficiatur, Sacramentorum deest participatio . Uterque tamen consequi aeternam potest vitam, quoniam de anima Ecclesiae ,

hoc est, de charitate participat. Atque ita tam excommunicatus fidelis, quam catechumenus, si justi sint, sunt Ecclesiae membra improprie dicta; quoniam etsi non sint in Ecclesia actu vere et proprie, in ea tamen sunt voluntate, desiderio, et affectu.

CAPUT IV.

Recentius haereticorum de Ecclesia systema refutatur.

Alterum ab heterodoxis subinde procusum Ecclesiae systema ei quod proxime evertimus, e diametro opponitur; illius enim systematis propugnatores ex solis Praedestinatis ac Justis, hujus autem ex omnium schismaticorum et haereticorum sectis Ecclesiam constare arbitrantur. Jurius itaque qui erroris hujus portentum in orbem invexit, nobiscum in tradenda Ecclesiae definitione convenire non detrectat; hoc est tres et ipse verae Ecclesiae adscribit conditiones, externam scilicet Fidei professionem, Sacramentorum communionem, ac legitimis Pastoribus subjectionem. Verum in iis applicandis a Catholicorum intelligentia quam longissime recedit. Catholici siquidem per externam Fidei professionem universim excludunt quoscumque ab Ecclesia damnatos errores. Ast Jurius excludit dumtaxat errores fundamentales. Catholici eam exigunt Sacramentorum communionem qua Ecclesiae membra omnia simul invicem colligantur. Jurius autem illam intelligit qua Sacramenta in quavis Fidelium societate quae fundamentales Fidei articulos non excludat participantur. Catholici demum legitimos Pastores quibus Fideles subjici debent eos agnoscunt, qui in illa Fidelium unica individuaque inveniuntur societate quae cum Summo Pontifice tamquam cum capite communicat, et Catholica seu Romana Ecclesia vulgo appellatur. Ast vero Jurio sufficit ut Fideles pastoribus cujuslibet societatis fundamentales Fidei articulos non negantis adhaereant. Ex his Jurii principiis sequitur 1. Haereticos omnes atque schismaticos fundamentales Fidei articulos retinentes vera esse Ecclesiae membra. 2. In quavis haereticorum secta quae Fidei non evertat fundamenta, hominem aeternam consequi posse salutem. 3. Neque illi officere quod haereticorum schismaticorumque diversae sectae anathemate sese invicem feriant, dummodo in fundamento, ut inquiunt, conveniant.

Quid autem articulorum fundamentalium nomine intelligatur, nec ipsi haeretici in quorum ore *fundamentum*, *et non fundamentum* quotidie resonat, recte percipiunt. Nam mira est in fundamentalibus assignandis articulis animorum inter illos dissensio. Nunc scire sufficiat veritatem fundamentalem juxta illorum intelligentiam nil aliud esse nisi veritatem Fidei quae absque salutis discrimine negari non potest: quaeque talis est, sive accedat sive non Ecclesiae definitio. Veritas autem non fundamentalis quae absque salutis periculo sciri ex aequo et ignorari potest, sive ab Ecclesia fuerit sive non fuerit definita. Catholici e contra veritatis aut erroris fundamentalis nomen, si paucos excipias, non solent usurpare. Ii

vero qui hoc nomine utuntur, veritatem fundamentalem illam appellant quae ab Ecclesia tamquam veritas definita est; non fundamentalem vero scholasticam et adiaphoram quaestionem. Errorem autem fundamentalem dicunt illum qui doctrinam Ecclesiae definitionibus adversam complectitur. Haec est Ecclesiae idea et essentia penes recentiores haereticos post Jurium.

Caussae autem quae eumdem Jurium ut novum hoc sibi fingeret Ecclesiae systema impulerunt, tres praecipue mihi fuisse videntur. 1. Ut sectae suae pastorum aliquo modo consuleret missioni; sic enim ratiocinatur: Legitimum Evangelii ministerium in qualibet viget societate quae in fundamentalibus Fidei articulis non errat. Cumque Calvinistae in fundamento non errent, legitimum retinent ministerium. 2. Ut anathematis vinculum quo se suosque agnoscebat innodatos, facilius eluderet: semper enim injuste, secundum Jurii principia, anathemate feriuntur qui articulos non evertunt fundamentales. 3. Demum ut praecipuas difficultates quas antecessorum suorum patiebatur systema nullo, ut ipse putat, negocio exsufflaret. Nam in illius systemate verum est Ecclesiam hominum esse societatem quos Fidei professio, Sacramentorum communio, et legitimis Pastoribus unit subjectio. Verum est quoque Ecclesiam extra quam salus haberi nequit, debere esse visibilem, per totum orbem diffusam, et quidem diffusam omni tempore. Quae licet diverso a Catholicis sensu ab ipso admittantur, arma illi nihilominus suppeditant ne a Scripturarum ac Patrum argumentis quae adversus Claudium aliosque veteres Protestantes Catholici urgere solebant opprimatur. Hinc in lib. de vero Eccl. system. *Jure merito*, inqnit, *credidit* (Augustinus) *Ecclesiam per universum orbem diffusam esse debere; hanc eamdem diffusionem debere esse visibilem, eamque Ecclesiae convenire omni tempore, aut saltem pro temporis parte praecipua. Sed deceptus est dum ab Ecclesia exclusit communiones schismaticas et errantes quae fundamentum non destruunt.* Nostrum igitur erit hoc in capite confictum a Jurio systema conquisitis undique rationibus convellere, et a fundamentis disijcere atque evertere. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Publici haeretici non sunt Ecclesiae membra.

Prob. 1. Nemo unus umquam, sive catholicus, sive acatholicus, aut schismaticus, a primo Ecclesiae saeculo ad usque Jurii aetatem ausus est docere publicos haereticos esse Ecclesiae membra. Neque enim vel unicum ecclesiasticum Scriptorem in medium afferre poterit Jurius qui systemati suo sit vel obscure patrocinatus. Imo quum veritatis ea vis sit ut ab ipsis etiam invitis pectoribus interdum erumpat, fateri Jurius coactus est Tertullianum qui secundo et tertio saeculo floruit, Firmilianum cum multis Asiae ecclesiis, et ante illum Agrippinum cum Carthaginensi Concilio, et post illum Cyprianum cum tota africana ecclesia sententiae suae

manifesto adversari. Uno verbo, adeo clare cognovit se omni antiquitatis destitui patrocinio, ut sententiam quae publicos haereticos excludit ab Ecclesia veritus non sit appellare errorem aetatis S. Augustini, videlicet quarti et quinti saeculi, ut legere est in ejus libro de vero System. Eccl. p. 81. Jam vero cuinam potius credendum est, Jurio nova systemata fingenti, an universae antiquitati dogmata illius respuenti? An recenti Calvini discipulo novae a Deo factae sunt revelationes quae nec universali fiunt Ecclesiae?

Prob. 2. Si ex variis sectis se invicem condemnantibus et anathematizantibus composita esset Ecclesia, *Ecclesiae* aut *Ecclesiae catholicae* nomen ad id significandum usurpatum aliquando fuisset. Ast nomen illud a Fidelibus usurpatum semper fuit ad significandam potius societatem quae omnes haereticorum se invicem condemnantium et anathematizantium sectas excludit. Et primo loquamur de nomine Ecclesiae solitarie accepto. Irenaeus lib. 3. adv. Haer. cap. 4. *Cum haec igitur*, inquit, *adeo evidentia sint, non oportet adhuc quaerere inter alios* (haereticos) *veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorium dives plenissime in ea contulerint omnia, quae sunt veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones, propter quod oportet devitare quidem illos: quae autem sunt Ecclesiae cum magna diligentia diligere, et approbare veritatis traditionem*. Fures et latrones quos devitare oportet, appellat hic Irenaeus haereticos quos extra Ecclesiam morari statuit; unde de Marcione loquit ibidem: *Saepe in Ecclesiam veniens, et exhomologesim faciens, in iis quae docebat male, abstentus est*. Similia habet lib. 1 adv. Haer. Tertullianus lib. de Praescr. cap. 4. scribit: *Erunt haereses non minus doctrinarum perversitate Ecclesiam lacessentes, quam tunc Antichristus persecutionum atrocitate persequetur*. Clemens alexandrinus lib. 3. Strom. ita habet: *In unius ergo naturae sortem cooptatur Ecclesia, quae est una, quam conantur haereses in multas discindere*. Origenes lib. 1 in Job, *Ad dimicandum*, inquit, *adversus Ecclesiam, non tria tantum cornua, sed innumera atque inaestimabilia omnes sectae et haereses faciunt, per quas universas adversus Ecclesiae unitatem incessanter dimicant*. Hilarius lib. 7. de Trinit. cap. 12. ita loquitur: *Haeretici omnes contra Ecclesiam veniunt: sed dum haeretici omnes se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt; victoria enim eorum Ecclesiae triumphus ex omnibus est*. Hieronymus Dial. adv. Lucif. circa finem, postquam in ea Ecclesia commorandum esse dixerat quae ab Apostolis fundata adhuc subsistit, addit e vestigio: *Sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo, sed a quocumque alio nuncupari, utpote Marcionitas, Valentinianos, Montenses, seu Campitas, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam*. A sententiis Cypriani, Augustini, Fulgentii, aliorumque similium Patrum recitandis abstineo, quoniam fatetur Jurius revera illos existimasse quoscumque haereticos ad Ecclesiam non pertinere. Iote-

rim ex adductis Patrum locis luculentissime patet haereticos ab Ecclesia abstentos esse, esse Ecclesiae persecutores, conari eam scindere ac lacerare, contra illam dimicare incessanter, ab Ecclesia vinci dum eam vincere tentant; adeoque non ad Christi Ecclesiam, sed ad Antichristi spectare synagogam. Possunt ne hujusmodi homines membra dici Ecclesiae?

Respondent autem Novatores nullius esse momenti allatum mox argumentum, quoniam illorum Patrum sententia quae publicos excludit haereticos ab Ecclesia, non Ecclesiae ipsius universalis, sed privatorum hominum fuisse sententiam. Sed decipiuntur apertissime. Nam non solum in privatis scriptis, sed etiam in Concilio adunati antiqui Patres manifestos haereticos ad Ecclesiam non pertinere definierunt. Synodus enim Laodicena can. 9. iis qui sunt de Ecclesia prohibet, *Ne ad haereticorum coemeteria, vel ad ea quae ab iis martyria appellantur, orationis caussa vel sanitatis accedant*. Concilium C-P. 1. can. 4. sic inquit: *Haereticos autem dicimus, et qui olim ab Ecclesia abdicati sunt, et qui sunt a nobis postea anathematizati*. Concilium Ariminense cum adhuc legitimum esset, hanc protulit in Ursacium et Valentem sententiam: *Detrahantur ab Ecclesia, ut catholica Ecclesia in pace permaneat*. Et paullo ante dixerat, *sanctam Ecclesiam* diu quam par esset illos sustinuisse, licet doctrinam sanctae Ecclesiae contrariam propalaverint. Concilium Carthaginense IV. can. 71. expresse vetat, *Ne conventicula haereticorum Ecclesiae nomine nuncupentur*. Quod a legibus quoque imperialibus Cod. l. 1. cap. 5. *de Haereticis*, sancitum fuit. Quinta generalis Synodus Act. 3. sic loquitur: *Si quis semetipsum ab ejus* (Ecclesiae) *communione separet, contraria ei sapiens, talis, semetipsum alienans rectae fidei, et haereticis communicans, juste a S. Dei Ecclesia condemnatur, et anathematizatur*. Sexta oecumenica Synodus extra Ecclesiam ponit eos, *qui priora quinque Concilia, quae omnis Ecclesia approbat et sequitur*, non fuerint venerati: qui certe erant haeretici. Igitur non aliquorum privata opinio Patrum, sed totius Ecclesiae sententia est manifestos haereticos nec esse, nec dici posse Ecclesiae membra; quoniam a tota Ecclesia nomen ipsum *Ecclesiae* semper constanterque acceptum est pro unica ac individua societate quae quorumlibet haereticorum sectas excludit.

Sed enim vero etiam nomen *Ecclesiae catholicae* ab omnibus omnino Fidelibus eodem sensu semper fuit usurpatum. Tertullianus de Marcione et Valentino inquit: *Constat in catholicae primo credidisse doctrinam apud Ecclesiam Romanensem, donec ob inquietam semper eorum curiositatem .... semel et iterum ejecti*. A quanam ejecti societate nisi a catholica in cujus doctrinam primo crediderunt? Et paullo ante dixerat credibile non esse Apostolos aliam discipulis in particulari tradidisse doctrinam quam ipsi tradiderunt *catholicae*. Clemens alex. lib. 1. Strom. cap. 7. *Conciliabula*, inquit, *haereticorum posteriora sunt catholicae Ecclesiae .... quam in plures partes illi scindere optarent*. Alexander patriarcha alexandrinus in Ep. ad Alexandrum C-P. relata a Theodoreto lib. 1. cap. 3. H. E. hanc Fidei edidit professionem: *Nos credimus unam catho-*

licam Ecclesiam, *inexpugnabilem semper*, *quamvis eam totus mundus oppugnet*. Concilium Nicaenum I. de Arianis in suo symbolo inquit quod *eos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia*. Et can. 8. de Novatianis loquens haec habet: *De his qui se nominant Catharos*, *idest mundos*, *si aliquando veniant ad Ecclesiam catholicam*, *placuit etc.* Novatiani ergo non erant in catholica Ecclesia. Concilium C-P. 1. can. 7. statuit Arianos, Macedonianos, Quartodecimanos, Novatianos etc. hac lege esse recipiendos, *Omnem haeresim anathematizantes*, *quae non sentit*, *ut sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia*. Eodem sensu catholicae Ecclesiae nomen accipitur a PP. Concilii Sardicensis apud Athan. cap. 11. ab Episcopis africanis in Libello Leporii; a Caelestino Rom. Pont. in Ep. ad Nestorium; a Justiniano Imperat. in lib. adv. Origenem; a Leandro Episcopo hispano in Orat. de Laudib. Eccl. ubi, *Spinae sunt*, inquit, *haeretici*, *eo quod foris a Dei paradiso*, *hoc est*, *extra Ecclesiam catholicam nutriantur*. Et iterum: *Haeresis quae respuit Ecclesiae catholicae unitatem*, *eo quod adulterino amore diligat Christum*, *non uxoris*, *sed concubinae obtinet locum*; a S. Paciano Episcopo barcinonensi in Ep. ad Semp. *Ab haeretico*, inquit, *nomine noster populus hac appellatione dividitur*, *cum catholicus nuncupatur*. Quid plures commemoro? Adeo certum est apud Veteres *Ecclesiae catholicae* nomen pro societate semper usurpatum fuisse quae omnium haereticorum excludit sectas, ut proponeretur cathecumenis ad eis indicandam veram Ecclesiam in quam credere debebant et quam in recitatione symboli intelligere deberent, ut videre est apud Cyrillum hierosol. Catech. 18. Hinc S. P. Augustinus in lib. de vera Relig. cap. 7. merito scribit: *Tenenda est nobis Christiana religio*, *et ejus Ecclesiae communicatio quae catholica est*, *et catholica nominatur*, *non solum a suis*, *verum etiam ab omnibus inimicis*. *Velint nolint enim ipsi quoque haeretici*, *et schismatum alumni*, *quando non cum suis*, *sed cum extraneis loquuntur*, *Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant*. *Non enim possunt intelligi*, *nisi hoc eam nomine discernant*, *quo ab universo orbe nuncupatur*: Quae adversarii huic argumento respondent, solvuntur ex iis quae prop. sequenti dicturi sumus.

Prob. 3. Vera Christi Ecclesia aliquando congregatur, saepe judicat, semper loquitur, instruit, docet, ac demum damnat, et a sui communione contraria sentientes expellit. Haec est idea quam de vera Christi Ecclesia habuerunt semper et hactenus habent omnes omnino Fideles: quam veram esse Ecclesiae ideam patet ex omnibus cum generalibus tum particularibus Conciliis; ex Episcopis vel per se vel per alios populum in Fide erudientibus; uno verbo ex omnibus et singulis Christi fidelibus qui quod ab universali propositum est Ecclesia referentes, jus habent dicendi: *Ecclesia hoc docet*, *hoc definit*, *hoc damnat*. Ast Ecclesia quae componi dicitur ex variis sectis se invicem condemnantibus et anathematizantibus, non congregatur, non loquitur, non definit, non damnat, ut ipse Jurius fatetur: adeoque non est vera Christi Ecclesia.

Prob. 4. Societas quae non est aut universalis Ecclesia, aut universalis Ecclesiae pars, non est vera Christi Ecclesia. Societas ex variis haereticorum sectis composita non est Ecclesia universalis, neque universalis Ecclesiae pars. Non Ecclesia universalis, quoniam innumerae haereticorum sectae, ut Arianorum, Nestorianorum, Novatianorum, Donatistarum, Lutheranorum, Calvinistarum etc. ab initio non fuerunt, nec progressu temporis futurae erunt amplius; quum experientia doceat haereticorum sectas nasci et interire, sibique succedere. Non Ecclesiae universalis pars, quum una haereticorum societas alterius societatis partem se minime faciat, unaque aliam excludat, condemnet, anathematizet, ut in Arianis, Pelagianis, Lutheranis, Calvinistis, aliisque patet. Quare falsissima est idea Ecclesiae quam sibi fingit Jurius.

CONCLUSIO II.

Nec haeretici qui in Fidei articulis dumtaxat, ut dicunt, non fundamentalibus errant, sunt Ecclesiae membra.

Prob. 1. ex dictis. Nomen enim *Ecclesiae* et *Ecclesiae catholicae* ab universis Fidelibus eo sensu semper acceptum est quo cujusvis generis haeretici, sive admittant sive respuant fundamentales Fidei articulos, a vera Ecclesia intelliguntur avulsi; ut fuse paullo ante ostendimus.

Prob. 2. Ecclesia quae tempore quo Concilia Nicaenum I. C-P. I. Carthaginense etc. celebrata sunt vigebat, vera erat Christi Ecclesia, ipso fatente Jurio. Jam vero Ecclesia iis in Conciliis adunata e sinu suo ejecit atque anathemate percussit etiam haereticos illos qui in Fidei articulis fundamentalibus non errabant; anathematizarunt siquidem memorata Concilia Novatianos, Montanistas, Quartodecimanos, Sabbatianos, qui nec circa Trinitatem et Incarnationem aut Christi gratiam, sed vel circa parvi momenti dogmata, vel circa aliquot disciplinae capita a veritate recedebant. Idque ex Gangrensi illustratur Concilio, quod licet non fuerit oecumenicum, ab universali tamen Ecclesia fuit receptum. Hujus ergo Concilii can. 12. anathemati subjiciuntur qui Agapas et Christianos ferentes vestes quae ea aetate in usu erant, damnabant. Can. 13. proscribuntur foeminae virilibus vestibus sub pietatis obtentu incedentes; can. 17. qui capillitium caedebant; can. 18. qui diebus dominicis jejunabant. Et can. 19. qui jejunium ab Ecclesia approbatum frangere audebant. An ne errabant hi in Fidei articulis fundamentalibus? Et nihilominus Concilium eos omnes tamquam haereticos anathematizat, communione privat, et separat ab Ecclesia.

Prob. 3. ex SS. PP. Omitto Ignatium, Justinum, Irenaeum, Tertullianum aliosque Veteres qui ab Ecclesia omnes indiscriminatim haereticos ejiciunt, nulla inter illos qui fundamentales ac illos qui non fundamentales Fidei articulos retinent facta distinctione. Clemens Alex. lib. 1. Strom. cap. 1. ab Ecclesia amovet illos qui in conficienda Eucharistia sola aqua utebantur. Origenes in Ep. ad Titum vitandis haereticis accenset illos

qui non omnes humanas animas unius ejusdemque dicunt esse substantiae; et illos etiam qui homines a daemonibus tentari negant. Auctor Const. apost. can. 10. *Instrumenta diaboli et filios irae* vocat eos qui docent illicitum esse carnis suillae esum. Lactantius in lib. divin. Instit. Athanasius Orat. 2. adv. Arian. Ambrosius lib. 1. de Poenit. cap. 6. Novatianos ponunt extra Ecclesiam Dei. De Cypriano, Firmiliano, Augustino, aliisque post illum Patribus, nec ipse Jurius dubitat quin extra Ecclesiam cujuslibet generis haereticos statuerint. Certum itaque est nec haereticos qui in Fidei articulis non fundamentalibus tantum errant esse Ecclesiae membra.

CONCLUSIO III.

Schismatici manifesti non sunt Ecclesiae membra.

Patet ex iis quae ad demonstrandas superius positas theses allata sunt. Quae enim vel ex Conciliis vel ex sanctis Patribus in medium protulimus, in illud denique recidunt ut inconcussum sit omnium Christianorum principium, eos qui ab Ecclesia anathematizantur ad Ecclesiam nullatenus pertinere. Cumque schismatici manifesti et ipsi ab Ecclesia anathemate confodiantur, consequitur et ipsos esse extra Ecclesiam.

Prob. praeterea ex illis Patribus qui ex professo hoc argumentum versarunt. Cyprianus in Ep. ad Pupian. *Ecclesia*, inquit, *est plebs sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens; unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo: et si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse*. Hieronymus in cap. 1. Amos: *Schismatici*, ait, *separant quidem deceptam multitudinem ab Ecclesia Dei.* Optatus milevitanus lib. 1. cont. Parm. haec habet: *Deserta matre catholica*, (schismatici) *impii filii dum foras excurrunt et se separant, ut vos fecistis, a radice matris Ecclesiae invidiae falcibus amputati, errando rebelles abscedunt*. Infinitus essem si omnia S. P. Augustini ad rem facientia testimonia heic vellem afferre. Innumera quippe adversus schismaticos Donatistas scripsit: quae adeo luculenta sunt ut Jurius affirmare non vereatur errorem fuisse hunc peculiarem Cypriani et Augustini, ab Ecclesia manifestos sejungere schismaticos. Quare unico dumtaxat contentus ero Augustini testimonio ex lib. de Fide et Symb. cap. 10. decerpto, ubi sic inquit: *Credimus et sanctam Ecclesiam, utique Catholicam. Nam et haeretici et schismatici congregationes suas ecclesias vocant. Sed haeretici de Deo falsa sentiendo, ipsam Fidem violant; schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quae credimus. Quapropter nec haeretici pertinent ad Ecclesiam catholicam, quae diligit Deum; nec schismatici, quoniam diligit proximum*. Reliquos Patres brevitati consulens omitto.

CONCLUSIO IV.

Publici haeretici ac manifesti schismatici aeternam consequi nequeunt salutem.

Prob. Publici haeretici ac manifesti schismatici sunt extra Ecclesiam, ut fuse probatum est. Qui sunt autem extra Ecclesiam aeternam nequeunt consequi salutem. Nam Ignatius martyr in Ep. ad Trall. *Si quis*, inquit, *sequitur eos qui se ab Ecclesia separant, regnum Dei non possidebit*. Justinus item martyr in Dial. cum Tryph. affirmat esse aliquos, qui cum christianos se dicant docent dogmata Deo contraria, impietates, blasphemias, *cum quibus nulla nobis est communio, injustos, impios, et a Deo alienos esse scientibus*. Irenaeus lib. 4. adv. Haer. cap. 33. tradit Dominum judicaturum *eos omnes qui sunt extra veritatem, idest, qui sunt extra Ecclesiam*. Origenes in Ep. ad Titum, *Sicut hi*, inquit, *qui fornicationibus, immunditiis, atque impudicitiis, et idolorum cultibus maculati sunt, regnum Dei non possidebunt; ita et hi qui in haeresim declinaverunt*. Lactantius Firmianus asserit eum qui in Ecclesiam non ingreditur vel ab ea egreditur, nullam habere posse spem salutis et vitae. Ambrosius de Poenit. lib. 2. cap. 4. docet haereticos, schismaticos, omnesque illos qui ab Ecclesia recedunt, a spiritu ferri diaboli qui omnem ab illis adimit veniae spem. Concilium C-P. I. *Recipimus*, inquit can. 7. *haereticos illos qui ingredi denuo cupiunt in societatem, in qua unica est salus aeterna*. Theodoretus Praef. in Catal. Haeres. Sporatium monet ne haereticorum viam sequatur, quoniam ducit in interitum aeternamque damnationem. Cyrillus alexand. adv. Anthropomorph. cap. 12. Hieronymus Ep. 47. Gregorius M. lib. 35. Moral. cap. 17. aliique Patres uno ore inquiunt: Quicumque extra hanc domum agnum comederit, hoc est extra Ecclesiam, salutem consequi minime poterit. Idipsum definierunt omnia tum generalia tum particularia Concilia. Hoc perpetuo crediderunt nedum Catholici, sed cujuslibet sectae haeretici; quaevis videlicet societas in sua secta salutem invenire putabat. Quare a veritate quam longissime recedit Jurius dum affirmat sententiam quae ab aeterna salute publicos haereticos et manifestos schismaticos ab aeterna salute excludit, fuisse peculiarem Cypriani et Augustini errorem. Nam Cyprianus non secundum opinionem suam, sed juxta communem Ecclesiae sensum inquit in Ep. 93. *Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit*. Et alibi: *Salus extra Ecclesiam non est*. Non ex propria, sed ex Ecclesiae communi doctrina S. P. Augustinus Ep. 141. alias 152. scribit: *Quisquis ergo a catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam; sed ira Dei manet super eum*. Et Ep. 185. alias 50. cap. 11. *Ecclesia catholica sola corpus est Christi, cujus ille caput est Salvator corporis sui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus sanctus*. Et de unico

Bapt. cap. 16. *Intra istam aream boni et mali esse possunt, extra eam boni esse non possunt*. Et Enchyr. cap. 65. *Ipsa namque proprie Spiritum sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata*.

Prob. iterum hoc argumento. Ecclesia est corpus Christi; dicente ex Scriptura Augustino lib. de Unit. Eccl. cap. 2. *Haec autem Ecclesia* (catholica) *corpus Christi est, sicut Apostolus dicit, Pro corpore ejus, quae est Ecclesia*. Verum *utique manifestum est, eum qui non est in membris Christi, christianam salutem habere non posse*, ut S. Doctor ibid. ait; et ante illum Apostolus ad Ephes. cap. 5. ajebat de Christo: *Ipse Salvator corporis ejus*. Unde haeretici atque schismatici qui, ut demonstratum est, non sunt Ecclesiae membra, aeternam salutem consequi non possunt.

Prob. ultimo. Haeresis atque schisma multa complectuntur in se crimina. Puta, voluntariam in proprios Pastores rebellionem, calumniam et quidem atrocissimam adversus Ecclesiam a qua discedunt, (solent enim haeretici et schismatici variorum illam insimulare scelerum:) rei sunt praeterea gravissimi scandali, Fideles subvertentes aut offendentes populos. Qua de re nisi ad Ecclesiae redeant communionem, aeternam salutem consequi haud poterunt.

CAPUT V.

Haereticorum argumenta eliduntur.

Sophismata adversariorum omnes ex aequo statutas a nobis hactenus propositiones impetere videntur: unde promiscue in medium a nobis afferentur, et merita refellentur confutatione.

Obj. itaque 1. post Jurium. Ecclesia Christi juxta V. ac N. Testamenti vaticinia debet esse ubique gentium diffusa: dicente Deo ad Abraham Gen. cap. 22. *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes*; et regio Vate Ps. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terrae verba eorum*. Verum si publici haeretici ac manifesti schismatici non sint Ecclesiae membra, jam ecclesia non erit juxta Scripturarum oracula ubique diffusa; una quippe societas intra aliquot provinciarum, vel ad summum intra paucorum regnorum limites ut plurimum concluditur, ut est vel ipsa societas cum Romana ecclesia communicans: atque adeo Ecclesia complexio esse debet plurium tum haereticorum tum schismaticorum sectarum.

Resp. 1. Veteres omnes ecclesiastici Scriptores usque ad saeculum XVI. quum de Ecclesiae egerunt diffusione, semper usi sunt Scripturarum oraculis de quibus Calvinistae loquuntur, ut in S. P. Augustino praecipue aliisque africanis Patribus adv. Donatistas disputantibus videre est; nec ulli umquam in mentem venit de haereticorum schismaticorumque sectis simul sumptis ea interpretari: sed unanimiter illa acceperunt de unica dumtaxat societate Christianorum, ipsis consentientibus Donatistis; licet hi contenderent Scripturae vaticinia illorum, non Catholicorum convenire societati. Dicendum ne erit Antiquos omnes errasse, solique Jurio Scripturarum

oracula fuisse reserata? 2. Ecclesia utique juxta vaticinia debet esse ubique diffusa, sed non extensione stricta et in rigore metaphysico accepta: verum extensione sumpta vel moraliter vel successive vel quatenus amplitudine sua omnes haereticorum et schismaticorum sectas superare debet, non collective sed distributive consideratas. Non debent vaticinia stricte et in rigore metaphysico accepta intelligi, quasi omnes omnino mundi partes omnesque populi ac gentes Christo nomen dare debeant; tum quia nemo ex Veteribus hoc illa accepit sensu; tum etiam quia sequeretur nunquam fuisse adimpleta aut adimplenda fore, nisi forte in extrema Judicii die quum *fiet unum ovile, et unus pastor*. Nam plures orbis partes, vel ab idololatris, vel a mahumetanis, vel a judaeis, vel ab haereticis fundamentales Fidei articulos denegantibus incoluntur. Intelligi ergo ea oracula debent I. *moraliter*, quum Scripturae mos sit universalitatis notas eo sensu frequentissime sumere; ut dum Apostolus ad Philip. cap. 2. inquit, *Omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Jesu Christi*, vocem, *omnes*, de pluribus, non de omnibus nemine excepto intelligit, ut eamdem Epistolam legenti patet: et Daniel cap. 8. et 4. dum ait Alexandri M. et Nabuchodonosoris imperia universam occupasse terram. Quare dum in Psalmo legitur, *In omnem terram etc.* et in lib. Gen. *Omnes gentes etc.* et alibi his similia, de universa terra omnibusque populis moraliter, non metaphysice acceptis sumi debent. Ast unica Catholicorum societas in universa terra in omnibus populis moraliter acceptis diffusa reapse invenitur: tum quoniam pueri vel ab haereticis vel a schismaticis baptizati, sunt Ecclesiae membra, ut cap. sequenti demonstrabimus; tum quoniam qui ex haereticis atque schismaticis propria voluntate et cognitione haeresi vel schismati assensum adhuc non praebuerunt, sunt et ipsi Ecclesiae membra; tum denique quia nulla orbis regio est in qua vel Catholica religio non dominetur, vel innumeri etiam inter mahumetanos et haereticos et schismaticos Catholici non inveniantur, etiamsi de remotissimis loquamur mundi partibus. II. Scripturae vaticinia explicari debent de diffusione successiva, hoc est de extensione illa qua temporis progressu universae terrae cunctisque mundi nationibus debet Evangelium annuntiari. Hoc sensu clarum est vaticinia Prophetarum ecclesiae Romanae convenire; quum nulla prorsus futura sit terrae pars in qua Evangelium non fuerit aliquando auditum. III. Prophetae affirmant Ecclesiam esse debere ubique diffusam, quatenus amplitudine sua omnes haereticorum schismaticorumque sectas distributive sumptas superare debet. Quod quidem adimpletum jam in catholica Ecclesia vel a S. P. Augustini temporibus fuisse constat ex illius lib. 3. cont. Crescon. ubi ad ejusdem Cresconii quaestionem, *Quomodo totus orbis communione vestra plenus est, ubi tam multae sunt haereses, quarum vobis nulla communicat?* cap. 66. respondet: *Immo non tantum haereticis, verum etiam ceteris hominibus malis plenus est orbis, et sanctis ac fidelibus Dei servis plenus est orbis: quia et marê plenum est amaris fluctibus, plenum est et dulcibus piscibus*. Multis ergo modis vera Christi Ecclesia in V. Testamento praedicitur futura universalis,

catholica, ubique gentium diffusa, absque eo quod indigeamus ad universalitatem seu diffusionem salvandam, admittere Ecclesiam ex variis haereticorum ac schismaticorum sectis se invicem condemnantibus et anathematizantibus compositam.

Obj. 2. Non magis peccata contra Fidem, quam peccata contra charitatem vim habent homines a vera Christi Ecclesia excludendi. Peccata contra charitatem per catholicos homines a vera Christi Ecclesia non excludunt, quum ecclesiae Romanae doctrina sit peccatores quoque membra esse Ecclesiae. Cur ergo excludere debent a vera Christi Ecclesia peccata contra Fidem? II. et re quidem vera Apostolus in 1. ad Cor. cap. 3. de Evangelii loquens Praedicatoribus, alios inquit aedificare super fundamentum, quod est Christus, aurum, argentum, et lapides pretiosos; alios autem ligna, foenum, et stipulam; hos autem salutem consequi posse, *Sic tamen, quasi per ignem*. Qui super fundamentum, quod est Christus, ligna, foenum, et stipulam aedificant, ii sane pastores sunt et doctores falsa Fidei dogmata erroresque non fundamentales docentes, quum super fundamentum aedificent. Hi autem salutem consequentur, sic quasi per ignem: ac adeo de Ecclesia sunt, et salutem consequentur aeternam. III. Hinc est quod Deus in haereticis atque schismaticis sectis verbi sui praedicationem conservat, non alio plane fine nisi ut per verbum ad salutem illos perducat.

Resp. ad 1. Si hoc argumentum consisteret, probaret homines qui contra charitatem peccant, in statu peccati perseverantes aeternam percipere posse salutem. Argumentum enim supponit eos qui peccant contra Fidem, ut sunt haeretici, ita esse Ecclesiae membra, ut quamvis in haeresi pertinaciter existant, possint tamen aeternam obtinere salutem. Quod est nimis probare. 2. Ratio discriminis inter eos qui contra charitatem et eos qui contra Fidem peccant est, quod qui peccant contra charitatem ideo non desinunt esse Ecclesiae membra licet mortua et inanimata, quoniam quum retineant Fidem, schisma non faciunt neque simul juncti societatem constituunt; imo se pessime agere confitentur nec in eo statu salutem posse obtinere. E contra qui peccant contra Fidem, societatem adversariam Ecclesiae constituunt, in qua nemo recipitur nisi aut haeresim aut schisma publice profiteatur. Quae discriminis ratio adeo certa est, ut si esset in Ecclesia hominum coetus qui publice profiteretur patrare v. g. adulteria aut furta etc. Ecclesia a sui communione illos separaret. E contra vero nonne Ecclesia patitur in sua communione esse haereticos occultos?

Ad 2. dico 1. nec unum quidem afferre posse Calvinistas aut Concilium aut Patrem aut S. Scripturae Interpretem qui ex allato testimonio deduxerit homines falsas doctrinas ab Ecclesia damnatas docentes, salutem consequi posse aeternam, eo titulo quod falsa illa doctrina circa fundamentales articulos non versetur. Nec occasio sane defuit Veteribus apostolicum testimonium eo sensu interpretandi. Quot enim habuit v. g. Origenes defensores? Nulli tamen umquam in mentem venit ab errore illum excusare quod Apostolus dicat in fundamentalibus non errantes ab aeterna non excludi salute. 2. Jurii expositio repugnat Apostoli scopo dicentis

fundamentum esse totum Christum, caput et corpus. Corpus autem Christi est Ecclesia per eumdem Apostolum. Hinc qui sententias ab Ecclesia damnatas propugnat, errat in fundamento, et aliud ponit fundamentum *praeter id quod positum est*. 3. Per Apostolum itaque qui aedificat super fundamentum, idest super Christum ejusque sponsam et corpus Ecclesiam, lignum, foenum, stipulam, ii sunt qui humanas quidem opiniones ab Ecclesia non damnatas docent, sed quae nulla Scripturae aut Traditionis auctoritate nituntur. Ii sunt qui post vanas abeunt humani ingenii speculationes. Ii sunt qui in Evangelii praedicatione varia saecularis eloquentiae ornamenta adhibentes, vana loquuntur et inutilia. Ii, inquam, per Apostolum, licet salutem consequi possint aeternam, poenam tamen merentur; unde concludit: *Ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem*.

Ad 3. Haec quoque Jurii ratiocinatio magis quam ipse velit demonstrat. Probat videlicet etiam haereticos qui Fidei articulos fundamentales non retinent, imo et judaeos salutem posse adipisci; adeoque et illos esse Ecclesiae membra. Nam verbi Dei praedicatio penes illos haereticos et judaeos invenitur. 2. *Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit?* inquit Paulus ad Rom. cap. 2. Hoc unum scimus Deum nec apud judaeos nec apud haereticos et schismaticos verbi sui conservare praedicationem, ut illis adhuc in judaismo vel haeresi vel schismate persistentibus salutem largiatur aeternam; quoniam id Deus ipse hominibus revelavit. Forte verbi sui praedicationem in haereticis et schismaticis conservat, ut Ecclesia sua communicet per illos pueris Sacramentum Baptismi, adeoque gratiam sanctificationis; vel ut hujusmodi sectae testimonium perhibeant Ecclesiae, accepisse se a Patribus verbi Dei praedicationem; quomodo haeretici atque schismatici eamdem receperunt ab Ecclesia, quamvis postea variis deturpaverint illam erroribus. Vel propter illos qui ad Ecclesiam redibunt, quique per verbi Dei praedicationem in suo vero sensu acceptam ad reditum disponuntur. Verbo dicam, nescit homo divina consilia.

Obj. 3. S. Hieronymus Dial. adv. Lucif. cap. 8. *Arca Noe*, inquit, *Ecclesiae typus fuit ... Ut in illa omnium animalium genera; ita et in hac universarum gentium, et morum homines sunt. Ut ibi pardus et haedi, lupus et agni; ita et hic justi et peccatores*. Ubi per peccatores intelligit S. Doctor haereticos et schismaticos. Nam ex quo peccatores sint in Ecclesia, infert valere Baptisma ab haereticis collatum, quod Luciferiani inficiabantur. II. S. Basilius in Ep. ad Amphilochium quae canonum ecclesiae Graecae partem constituit, can. 1. ita scribit: *Visum est ergo Antiquis, haereticos quidem omnino rejicere; qui se autem abscederunt, qui schismatici dicuntur, ut qui adhuc sint in Ecclesia admittere*. Igitur schismatici saltem sunt Ecclesiae membra.

Resp. ad 1. Jurii argumenta aut nimis aut parum, ut plurimum, probant. Quod autem mox allatum est, utroque vitio peccat. Et primo quidem nimis probat, quoniam systema a se confictum funditus convellit. Si enim Hieronymus peccatorum nomine intelligit haereticos quorum Ba-

ptisma validum esse adversus Luciferianos propugnat, jam sua sponte sequitur etiam illos ad Ecclesiam pertinere qui fundamentales denegant Fidei articulos. Nam ait ibidem: *Ad eos venio haereticos qui Evangelia laniaverunt, Saturninum quemdam, et Ophitas, et Gnoitam, Carpocratem, et Cerinthum, et hujus successorem Ebionem, et ceteras pestes, quorum plurimi, vivente adhuc Johanne apostolo, eruperunt: et tamen nullum eorum legimus rebaptizatum*. 2. Allatum a Jurio argumentum parum aut nihil probat. Hieronymus siquidem quoslibet haereticos a Christi Ecclesia expressis verbis excludit; inquit enim ad Dial. contra Lucif. calcem: *Sicuti audieris eos qui dicuntur Christi, non a D. J. C. sed a quoquam alio nuncupari, utpote Marcionitas, Valentinianos, Montenses, seu Campitas, scito non Christi Ecclesiam, sed Antichristi esse synagogam*. Sunt ne hi peccatores quos in Ecclesia existere tradit Hieronymus? Ut itaque S. Doctoris intelligatur ratiocinatio animadvertendum est quod qui haereticorum Baptisma rejiciebant, quibuscum rem habet Hieronymus, hoc ducebantur momento: Haeretici quum non habeant fidem, charitatem, et Spiritum sanctum, nequeunt per Baptisma fidem, charitatem, et Spiritum sanctum aliis conferre, et nihilominus peccatores valide conferre Sacramentum concedebant. Quid ad haec S. Hieronymus? Hoc statuit principium: Sicut in arca Noë omnium erant animalium genera, ita et in Ecclesia justi sunt et peccatores; eaque de caussa peccatorum Baptisma a vobis non rejicitur. Ast nec peccatores fidem habent, charitatem, et Spiritum sanctum. Aut ergo utrorumque rejiciendum, aut utrorumque, haereticorum nempe et peccatorum, est recipiendum Baptisma. Est ne hoc docere haereticos esse Ecclesiae membra?

Ad 2. Schismatici per Basilium sunt Ecclesiae membra nomine tenus, non re ipsa. Nam neque ad animam, juxta Basilium, neque ad corpus pertinent Ecclesiae. Haec enim expresse tradit. 1. Esse schismaticos ab Ecclesia separatos. 2. Non esse in Ecclesia recipiendos nisi post peractam poenitentiam. 3. Non habere gratiam Spiritus sancti, proindeque nec baptizandi potestatem. 4. Non posse in schismate permanentes aeternam obtinere salutem: *Cathari*, inquit, *sunt et ipsi ex iis qui sunt abscissi ... quoniam separationis quidem principium per schisma: qui autem se ab Ecclesia abjunxerunt, non habent in se amplius gratiam Spiritus sancti; defecit enim Traditio, quod discissa sit consequentia. Qui enim primi recesserunt, ordinationem habebant a Patribus, et per manuum impositionem habebant spiritualem gratiam. Qui autem abrupti sunt, laici effecti non baptizandi nec ordinandi habent potestatem, ut qui non possint amplius Spiritus sancti gratiam aliis quoque praebere a qua ipsi exciderunt*. Per haec apparet non reipsa, sed nomine tenus, juxta Basilium, schismaticos esse in Ecclesia. Hoc est, vult S. Pater ea phrasi innuere eos qui mere schismatici sunt, omnia retinere Ecclesiae dogmata praeter unitatem; ad differentiam haereticorum qui non modo unitatem disrumpunt, sed in Fidei quoque dogmatibus errant. Interim Concilium C-P. cui Amphilochius interfuit, Basilii loquutionem correxit hoc

modo: *Haereticos autem dicimus eos, qui olim ab Ecclesia abdicati sunt, et qui sunt postea a nobis anathematizati. Ad haec autem et eos, qui se sanam quidem Fidem confiteri praeseferunt, avulsi autem sunt et abscissi, et adversus canonicos nostros Episcopos congregationem faciunt.*

Obj. 4. auctoritatem S. P. Augustini, ut demonstrent strenuissimum unitatis Ecclesiae vindicem parum sibi constare; non enim negare audent illorum opinioni ut plurimum adversari. Lib. 1. de Bapt. cap. 10. quaestionem Donatistarum, *Utrum generet filios baptismus Christi in parte Donati?* solvens, scribit: *Quasi vero ex hoc generet unde separata est, et non ex hoc unde conjuncta est. Separata est enim a vinculo charitatis et pacis, sed juncta est in uno baptismate. Itaque est una Ecclesia, quae sola Catholica nominatur; et quidquid suum habet in communionibus diversorum a sua unitate separatis, per hoc quod suum in eis habet, ipsa utique generat.* Per haec, inquiunt Calvinistae, docet Augustinus 1. Ecclesiam Donatistarum quae erat schismatica, vim habuisse generandi filios. 2. Donatistas fuisse Ecclesiae conjunctos, quoniam communem cum illa Fidem habebant et Baptismum. Societas autem quae generat filios mater est; adeoque vera Ecclesia. Qui Ecclesiae ob Fidem et Baptismum conjuncti sunt, ad Ecclesiam revera pertinent. Itaque per Augustinum sectae schismaticorum ad veram concurrunt componendam Ecclesiam.

Resp. 1. Si argumentum quidquam probaret demonstraret etiam haereticos qui Fidei fundamentales, ut inquiunt, articulos denegant, esse membra Ecclesiae. Nam docet S. Doctor in libris de Bapt. contra Donat. illos quoque haereticos qui fundamentales non retinent articulos Fidei, generare per Baptismum filios Ecclesiae, communem habere cum Ecclesia catholica Baptismum majoremque Fidei partem, eique in multis esse conjunctos. 2. Retorqueri facile potest in adversarios argumentum. Nam ut quis sit Ecclesiae membrum, etiam per Calvinistas, ad animam et ad corpus, aut saltem ad solum Ecclesiae corpus debet pertinere. Ast laudatum Augustini testimonium demonstrat Donatistas neque ad animam neque ad corpus spectare Ecclesiae. Non ad animam, quia Donatistarum societas *separata est a vinculo charitatis*, in qua anima Ecclesiae consistit. Non ad corpus, quia *separata est a vinculo pacis*, propter quam separationem plures S. Doctor affirmat esse societates extra unitatem Ecclesiae; ait enim in memorata sententia: *Una est Ecclesia, quae sola Catholica nominatur; et quidquid suum habet in communionibus diversorum a sua unitate separatis etc.* Hinc Donatistae, per Augustinum, aliaeque haereticorum societates non sunt catholicae Ecclesiae membra, contra quam adversarii sentiant. 3. Rursus Donatistae, si citata in argumento Augustini verba attendamus, donec Donati partes sequuntur salutem nequeunt obtinere aeternam; quoniam ait S. Doctor separatos esse a vinculo charitatis et pacis sine quibus aeterna salus, etiam per Calvinistas, obtineri non potest. Quomodo ergo haberi possunt ut membra Ecclesiae, extra quam aeterna salus non reperitur? 4. Ut societas dici possit et sit vera Ecclesia, debet esse

Christi sponsa, juxta illud Cantic. cap. 4. *Veni de libano sponsa mea*. Quod si Christi sponsa non sit, quantumvis filios generet et pariat, vera non erit Ecclesia: quoniam non sibi, sed Ecclesiae verae Christi sponsae filios generat; quemadmodum ancillae uxorum, Abraham, Isaac, et Jacob, quae non sibi, sed Rebeccae, Racheli, ac Sarae filios pepererunt. Porro cum Augustinus inquit Donatistarum haereticorumque sectas filios gignere, docet illas non tamquam Christi sponsas, sed veluti catholicae Ecclesiae ancillas gignere filios ac parere. Eodem enim lib. et cap. ex quo argumentum desumptum est, sic habet haeresum profligator Augustinus: *Ergo ipsa generat, et per uterum suum, et per uteros ancillarum ex iisdem Sacramentis, tamquam ex viri sui semine*. Et cap. 15. *Ecclesia*, inquit, *omnes per baptismum parit, sive apud se, idest, ex utero suo; sive extra se, de semine viri sui; sive de se, sive de ancilla*. Et paullo post: *Haec itaque* (Ecclesia) *in omnibus generat, cujus Sacramenta retinentur, unde possit tale aliquid ubicumque generari*. Quapropter haereticorum schismaticorumque sectae tamquam ancillae et Ecclesiae ministrae, non tamquam totidem Christi sponsae generant filios; proindeque verae non sunt Ecclesiae. Nec sufficit per Augustinum Fidem ac Baptismum retinere: sed requiritur praeterea ut omnia et singula communia cum Ecclesia habeat, ut quis sit et dici possit illius membrum. Hinc Enar. in Ps. 54. ad illa verba, *In multis erant mecum*, inquit: *Quare dixit, Qui appropinquant mihi? Quia in multis erant mecum? Baptismum habebamus utrique, in eo erant mecum: Evangelium utrique legebamus, erant in eo mecum ... In multis mecum, in paucis non mecum. Sed in his paucis in quibus non mecum, non eis prosunt multa in quibus mecum*. Cujus rei rationem reddens in lib. de Fide et Symb. cap. 10. scribit: *Credimus et S. Ecclesiam, utique catholicam. Nam et haeretici et schismatici congregationes suas ecclesias vocant. Sed haeretici de Deo falsa sentiendo, ipsam Fidem violant; schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quae credimus. Quapropter nec haereticus pertinet ad Ecclesiam catholicam, quae diligit Deum; nec schismatici, quoniam diligit proximum*. Nunquam finem haberet oratio si omnia vellem S. Patris exscribere testimonia quae haereticos atque schismaticos ad Ecclesiam non pertinere declarant.

Obj. 5. Decem tribus Israel ob secessionem ab Juda et Jerusalem sub Jeroboamo I. factam schismaticae revera erant, et nihilominus complures ex illis tribubus salutem consequebantur. Etenim multi erant in Samaria Prophetae et non pauci viri perfecti, ut Regum narrat historia. II. Neque dici potest schisma illud ad Religionem non spectasse; quum etiam perfecti inter Israelitas cum iis qui regibus Juda parebant non communicarent, neque ad hierosolymitanum templum quotannis, ut lex jubebat, adibant. III. In schismate etiam quo Romana Ecclesia saeculo XIV. laboravit, viri sancti in utraque parte fuerunt. Quare schismatici Ecclesiae partem constituunt.

Resp. ad 1. Schisma decem tribuum Israel sub impio Jeroboamo non

ad Religionem pertinebat, sed erat mere civile; unde nil mirum si multi ex iis qui in idololatriam ad quam a Jeroboamo incitabantur non inciderunt, aeternam salutem consequebantur. In Samaria enim post infandam illam divisionem tria erant hominum genera. Quamplurimi enim Jeroboami consentientes impietati, non modo ante vitulos in Dathan et Bethel constitutos et ante Baal genua curvarunt, sed et in aliis seducendis omnem impendebant conatum. Alii timidiores quum essent in duas claudicabant partes, nunc colentes verum Deum, nunc vero ad idololatriam declinantes; quos Elias lib. 3. Reg. cap. 18. sic alloquitur. *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum*. Nonnulli demum superstitionem spernentes idolorum, unicum verum Deum ejusque legem colebant; iique erant Prophetae aliique perfecti Israelitae de quibus dixit Dominus ad Eliam ibid. cap. 19. *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal*. Porro hi dumtaxat salutem aeternam consequebantur. Hi autem cum hierosolymitanis in omni Dei cultu communicabant.

Ad 2. Falsum autem est perfectos Israelitas cum iis qui regibus Juda parebant, in rebus ad Religionem spectantibus non communicasse. Contrarium quippe vel unius Elisaei exemplum suadet: qui quum subditus esset Joram regis Israel, dicitur tamen lib. 4. Reg. cap. 3. et preces fudisse Deo pro Josaphat rege Juda, et cum illo aperte communicasse, ut haec Elisaei ipsius ad Joram regem Israel demonstrant: *Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat regis Judae erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem*. Imo Elisaeus cum eodem Joram communicare recusabat, unde ad illum loco mox memorato inquit: *Quid mihi et tibi est? Vade ad prophetas patris tui, et matris tuae*. Deinde etiamsi non communicassent, non inde tamen inferri posset illud fuisse schisma Religionis, quum ob civiles caussas potuissent a communione abstinere. Quod vero perfecti Israelitae Hierosolymam quotannis non ascenderent, non demonstrat fuisse illos schismaticos; ejusmodi namque lex, pergendi nimirum Hierosolymas ad adorandum, positiva quum esset, ab ejus observatione justis de caussis facile eximebantur, ut ex Judaeis illis qui post expeditionem Alexandri M. floruerunt, quique cum per universum orbem dispersi essent, Hierosolymam sane ad adorandum in templo non ascendebant, nec proinde transgressionis rei existimabantur.

Ad 3. Qui saeculo XIV. alterutri ex Romanis Pontificibus adhaerebant, vere et proprie schismatici non erant: tum quia bona fide adhaerebant ei quem pro legitimo Pontifice habebant, aderant siquidem pro utraque parte probabiles rationes; tum etiam quoniam etsi utraque pars invicem non communicaret immediate, communicabat tamen mediate: nam utraque pars cum debita reverentia universalis Ecclesiae in concilio congregatae judicium expectabat, atque idcirco utraque pars Ecclesiae subdebatur. Non moror quae ex parabolis evangelicis de agro et arca, de sagena missa in mare, de convivio etc. objicere solent haeretici: quoniam haec facilem habent solutionem ex iis quae cap. 2. hujus libri statuimus. Multa quoque

alia praeterea objectamenta, quoniam vel frivola sunt, vel ex iis quae hactenus disputavimus, levi brachio exsufflantur.

CAPUT VI.

Verum Ecclesiae systema exponitur et demonstratur.

Ex iis quae hactenus adversus veteres recentioresque disputavimus heterodoxos, non difficile est eruere quodnam sit verum Ecclesiae systema. Si namque non omnes ac soli Praedestinati ac justi, non publici haeretici, non manifesti schismatici veram constituunt Ecclesiam; verum ergo Ecclesiae systema illud erit quod definitione a nobis capite 1. tradita continetur. Sed exponenda lucidius ac demonstranda ista sunt, non simpliciter affirmanda. Ast in antecessum operae pretium existimo nonnulla praenotare.

Ecclesia igitur considerari potest ad instar hominis anima constantis et corpore, ut S. P. Augustinus in Brevic. Coll. diei tertii docet. Sicut enim homo animam cum suis perfectionibus et ornamentis habet, ita et Ecclesia habet nonnulla quae animae ejusque correspondent proprietatibus. Rursus, quemadmodum habet homo corpus cum lineamentis, figuris etc. ita aliqua habet Ecclesia humano corpori ac illius lineamentis motibusque simillima. Anima Ecclesiae in theologalibus consistit virtutibus, ac charitate praesertim quae ceteris major est, ut inquit Apostolus; reliqua autem Spiritus sancti dona sunt illius ornamenta et proprietates. Corpus autem ejusdem Ecclesiae sunt externa Fidei professio, externa Sacramentorum communio, externaque item legitimis Pastoribus subjectio. Sed adhuc ulterius similitudo procedit. In homine quaedam sunt quae de anima simul et corpore participant, ut membra animata et viventia; nonnulla quae ab anima quidem non informantur, sed animatis dumtaxat partibus adhaerent, ut sunt in aliquibus membra mortua, vel in omnibus ungues, humores, et pili; quaedam demum quae de anima tantum participant, ut purae cogitationes quae a sensibus minime pendent. Similiter in Ecclesia multi inveniuntur qui de illius corpore et anima participant, idest nedum externam Fidei habent professionem, communionem Sacramentorum, ac legitimis Pastoribus subjectionem, sed Fide praeterea interna, spe, charitate, aliisque internis Spiritus sancti donis uberrime locupletantur; atque hi sunt Fideles justi qui membra perfectissima Ecclesiae militantis dici possunt. Rursus, alii sunt in Ecclesia qui aut charitatem non habent, aut neque charitatem, neque internam Fidem, sed retinent dumtaxat Fidei professionem externam; ut sunt vel Fideles peccatores quibus deest charitas, vel infideles, judaei, haeretici, schismatici qui esse possunt in Ecclesia, sed tamen occulti, quoniam etsi internam Fidem non habeant, externam tamen retinent cum reliquis Fidelibus ejusdem Fidei professionem, Sacramentorum communionem, et legitimis Pastoribus obedientiam: et hi quoque ad Ecclesiam pertinent, sed ad corpus dumtaxat, non ad animam, suntque veluti membra mortua, pili, et humores

in homine. Nonnulli postremo sunt qui Fide, spe, et charitate interius non destituuntur, sed cum aliis Fidelibus nequeunt exterius communicare; quemadmodum sunt catechumeni, injuste excommunicati, pueri haereticorum et schismaticorum, et omnes qui haeresi vel schismati adhuc propria voluntate non consenserunt: et hi ad animam solum, non ad corpus pertinent Ecclesiae. Haec ex maximo Doctore Augustino; atque haec ad verum Ecclesiae systema circa illius membra explicandum. Nunc ea quae proposuimus et enucleavimus, argumentis sunt breviter demonstranda.

CONCLUSIO I.

Soli Fideles justi sunt perfectissima Ecclesiae militantis membra.

Omnes fere recentiores haeretici huic propositioni subscribunt. Et merito. Nam ut quis perfectissimum sit Ecclesiae militantis membrum, debet de anima simul et corpore Ecclesiae participare: soli autem Fideles justi de anima simul et corpore Ecclesiae participant. De anima, inquam, quoniam interiori fide, spe, charitate, aliisque Spiritus sancti donis exornantur. De corpore etiam, quoniam cum reliquis Fidelibus externam Fidei professionem, et Sacramentorum communionem, ac obedientiam retinent legitimis Pastoribus. Atque ad Ecclesiam hoc modo consideratam vocavit nos Christus, quando Johannis cap. 17. ajebat: *Pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate*. Et Apostolus ad Ephes. cap. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in charitate*.

COROLLARIUM

Praedestinati qui sunt in Ecclesia, si sint peccatores sunt quidem Ecclesiae membra, sed non perfectissima; quoniam etsi aeternam salutem sint absolute consequuturi, ad animam tamen quandiu peccatores sunt non pertinent, sed ad solum corpus.

CONCLUSIO II.

Non modo peccatores, sed haeretici quoque, schismatici, et infideles occulti, si baptizati sint, et externam Fidei professionem, Sacramentorum communionem, ac legitimis Pastoribus retineant obedientiam, imperfecte ad Ecclesiam, hoc est ad illius corpus pertinent.

Duas habet propositio partes; una circa peccatores, altera circa haereticos, schismaticos, et infideles occultos (nam eadem est horum omnium ratio;) versatur. Priorem partem, nempe peccatores esse membra Ecclesiae demonstravimus capite libri hujus 2.

Prob. itaque altera thesis pars. I. Corpus Ecclesiae, ut ex praenotatis liquet, in externa Fidei professione, Sacramentorum communione, legitimisque Pastoribus consistit subjectione. Haeretici porro occulti, schismatici, et infideles item occulti, post receptum Baptisma externam retinent Fidei professionem, communionem Sacramentorum, ac legitimis Pastoribus obedientiam, ut modo supponimus: adeoque pertinent imperfecte ad Ecclesiam, hoc est de illius corpore sunt. II. Si occulti haeretici, infideles, et schismatici ad Ecclesiae corpus nullo modo spectarent, duo plane sequerentur absurda. Primo videlicet, Ecclesia esset omnino invisibilis. Nam si ut quis Ecclesiae membrum etiam imperfectum esset interna Fides requireretur, quum nemini nisi soli Deo constet quinam interiorem Fidem habeat, nemini quoque constare posset ubinam sit vera Ecclesia, quod absurdissimum est, ut paullo infra demonstrabimus. Deinde sequeretur etiam omnia in Ecclesia perturbata esse atque confusa. Etenim si illi qui interiori destituuntur Fide nullo modo sunt Ecclesiae membra, Parochi, Episcopi, et ipse Rom. Pontifex si in haeresim vel schisma aut etiam in infidelitatem clam et interius solummodo incidant, nullam habebunt in subjectos sibi Fideles jurisdictionem; qui namque Ecclesiae membrum non est, nec alicujus nec universalis Ecclesiae caput et pastor esse potest, ut per se manifestum est; proindeque actus omnes qui a jurisdictione dimanant, nulli erunt et illegitimi; aut saltem suspicari possent Fideles eorum Pastores internam amisisse Fidem: atque adeo nullos ac illegitimos illorum jurisdictionis actus existimare, quod idem est ac perturbationem in Ecclesiam inducere. Hinc Cyprianus lib. 1. Ep. 6. lib. 2. Ep. 1. Optatus milevitanus lib. 1. cont. Parmen. Ambrosius lib. 1. de Poenit. S. P. Augustinus Enchyr. cap. 65. multique alii Patres disertissime docent eos qui extra Ecclesiam sunt, nullam penitus intra Ecclesiam habere jurisdictionem. III. Patet iterum propositio Patrum auctoritate, et praesertim ex magno unitatis Ecclesiae propugnatore Augustino qui Tract. 3. in Ep. 1. Johan. cap. 2. ad illa verba, *Et nunc Antichristi multi facti sunt ... Ex nobis prodierunt etc.* sic inquit: *Omnes haeretici, omnes schismatici ex nobis exierunt, idest ex Ecclesia exeunt: sed non exirent, si ex nobis essent. Antequam exirent ergo, non erant ex nobis. Si antequam exirent, non erant ex nobis, multi intus sunt, non exierunt, sed tamen Antichristi sunt.* En multi antichristi, hoc est haeretici, per Augustinum, et schismatici intra Ecclesiam antequam ex Ecclesia egrediantur, hoc est palam manifestentur. Prosequitur S. Doctor: *Et sunt qui intus sic sunt in corpore Domini nostri Jesu Christi; quandoquidem adhuc curatur corpus ipsius, et sanitas perfecta non erit nisi in resurrectione mortuorum: sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali. Quando evomuntur, tunc relevatur corpus: sic et mali quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur. Et dicit quando eos evomit atque projicit corpus, Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est non erant ex me? Non de carne mea praecisi sunt, sed pectus mihi premebant cum inessent.* Hactenus S. Pater qui sicut in antecedentibus verbis affirmaverat haereticos et schismaticos

occultos esse intra Ecclesiam, ita in subsequentibus mox recitatis declarat quomodo sint in Ecclesia; traditque esse in corpore Christi seu in Ecclesia quomodo mali humores corpori insunt humano. Nescio quid clarius inveniri pro nostra sententia possit. Praeterea idem S. Doctor in lib. de Catech. Rudib. cap. 17. postquam bonos Catholicos ad animam simul et ad corpus Ecclesiae pertinere docuerat, duo alia hominum genera distinguit quos pariter in Ecclesia esse tradit his verbis: *Sunt qui propterea volunt esse Christiani, ut aut promereantur homines a quibus temporalia commoda expectant, aut quia offendere nolunt quos timent. Sed isti reprobi sunt: et si ad tempus eos portat Ecclesia, sicut area usque ad tempus ventilationis paleam sustinet; si non se correxerint, et propter futuram sempiternam requiem Christiani esse coeperint, in fine separabuntur*. Infideles ergo et haereticos occultos per Augustinum Ecclesia portat et sustinet. Prosequitur: *Sunt etiam alii meliori quidem spe, sed tamen non minore periculo, qui jam Deum timent, et non irrident Christianum nomen, nec simulato corde intrant Ecclesiam Dei, sed in ista vita expectant felicitatem*. Quibus verbis describere Augustinum impios Catholicos nemo non videt. Innumera his similia habet Tract. 61. in Johan. lib. 3. de Bapt. cap. 18. Ibid. lib. 4. cap. 10. lib. 1. de Civit. Dei cap. 35. et alibi. Praeiverat Augustino Origenes qui Hom. 21. in Josue, *Etiam hic*, inquit, *in Jerusalem, idest in Ecclesia, sunt quidam Jebusaei qui et fide et actibus perversi sunt. Neque enim dicimus de iis, qui manifeste et evidenter criminosi sunt, ut non de Ecclesia expellantur*. Post Augustinum autem Gregorius M. lib. 13. Moral. cap. 5. scribit: *Etiam pacis suae tempore sancta Ecclesia falsiloquium patitur, dum sunt in ea multi qui de aeternitatis promissione diffidunt, et tamen se fideles esse mentiuntur. Sed cum malitiae tempus eruperit, is qui nunc metuens derogat ad contradicendum, ante faciem venit, quia verbis verae Fidei obsistit*.

SCHOLION

Disputant ad invicem Theologi utrum infideles occulti non baptizati si ceteris communicent Fidelibus, ad Ecclesiae corpus pertineant. Johannes Driedo cui subscribit Obstraët Diss. 10. de Loc. theol. tenet ad Ecclesiae corpus illos revera spectare, quoniam aliis communicant Fidelibus, Sacramenta cum illis percipiunt, iisdemque subjiciuntur legitimis Pastoribus. Nec obstat, inquiunt, quod Baptismus sit janua per quam in Ecclesiam habetur introitus. Nam Baptismus est janua ad ingrediendum in Ecclesiam legitime. Alii autem, ut Johannes de Turre-Cremata, Bellarminus, Juvenin, Tournely, arbitrantur nullo modo pertinere ad Ecclesiam qui Baptisma quod janua est Ecclesiae non perceperunt. Utraque sententia et tuto defendi, et sine periculo negari potest.

CONCLUSIO III.

Catechumeni et injuste excommunicati charitatem habentes, Fideles justi qui longe a reliquorum detinentur communione, pueri haereticorum schismaticorumque baptizati, et qui haeresi vel schismati adhuc non consenserunt, sunt de anima Ecclesiae.

Quatuor sunt prop. partes. Quoad primam vide quae in Coroll. cap. 3. hujus libri diximus. Altera vero pars iisdem suadetur momentis quibus ibi demonstravimus primam. Prob. ergo 3. pars duobus momentis. I. Illi ad animam Ecclesiae proculdubio pertinent, qui ab Ecclesia semel geniti justitiam non amiserunt. Hujusmodi sunt pueri haereticorum et schismaticorum baptizati. Justitiam videlicet non amiserunt, quia compotes rationis non sunt. Geniti autem sunt ab Ecclesia, quoniam Ecclesia per Baptismum peperit eos per uterum ancillarum suarum. Relege Augustini sententias capite antecedenti laudatas. II. Ejusmodi pueri utpote regenerati Baptismate gratia exornati sunt habituali, aliisque Spiritus sancti eam comitantibus donis: adeoque sunt habitualiter conjuncti Deo, proindeque inseparabiliter uniuntur etiam Ecclesiae. Non quidem corpori, quia cum ceteris non communicant Fidelibus: ergo animae uniuntur Ecclesiae.

Tertia propositionis pars demonstratione non indiget. Nam nemo actualis peccati reus esse potest nisi propria deliberata voluntate illi assentiatur; unde qui haeresi vel schismati propria non consenserunt voluntate, nec alio crimine gratiam amiserunt sanctificantem, pertinent ad animam Ecclesiae.

SCHOLION

Difficile âdmodum est definire tempus quo in haeresi vel schismate baptizati ob proprium in haeresim vel schisma consensum, gratiam amittant in Baptismo receptam. Nihilominus Theologi quidam qui in rebus maxime obscuris sententiam pronunciare temere audent, ignorantiam invincibilem etiam in iis quae manibus, ut ita dicam, attrectantur admittentes, in haereticorum schismaticorumque sectis innumeros agnoscunt qui non formaliter, ut ipsi inquiunt, sed materialiter tantum haeretici sint et schismatici. Vide Caramuel Th. Fund. num. 1358. et sequentibus, ubi plures hujus opinionis suae laudat auctores. Ast sancti Ecclesiae Patres quibus major plane fides adhibenda est quam Caramueli hujusque furfuris scriptoribus, nulla hac in re ignorantiae vincibilis vel invincibilis facta distinctione, absolute pronunciant adultos qui in aliqua haereticorum vel schismaticorum secta versantur, haeresis vel schismatis habendos esse reos. Et jure quidem. Nam practice loquendo impossibile fere est ut quis in haeresi vel schismate diu vivens, nesciat aliam esse societatem quae sua secta numerosior sit et universalior et antiquior: quod satis est ut ab invincibili liberetur ignorantia.

CONCLUSIO IV.

Quicumque vel de corpore vel de anima dumtaxat participat dici vero quodam sensu potest esse in Ecclesia.

Prob. prior thesis pars. Qui de corpore Ecclesiae est, quamvis non sit de societate illorum qui fide, spe, charitate, aliisque Spiritus sancti donis in quibus anima Ecclesiae consistit, exornantur, est tamen de societate illorum qui Fidem exterius profitentur, de iisdem participant Sacramentis, iisdemque legitimis Pastoribus subjiciuntur. Tales autem vero quodam sensu sunt in Ecclesia.

Prob. altera prop. pars eodem argumento. Qui est de anima Ecclesiae, etsi cum ceteris non communicet Fidelibus, nec Sacramenta participet etc. internam nihilominus fidem, spem, et charitatem retinet, adeoque vero quodam sensu est in Ecclesia.

Hoc posito rerum discrimine facile intelliguntur sancti Patres, inter quos Augustinus, dum tam crebro affirmant aliquos esse in Ecclesia quos tamen in Ecclesia esse alibi negant. Ecclesiam namque vel corpus Ecclesiae aut corpus Christi, aliquando pro societate illorum accipiunt qui ad animam tantum, aliquando autem pro illorum societate qui etiam ad corpus Ecclesiae spectant. Priori sumpta sensu Ecclesia, negant impios esse Ecclesiae membra, quos tamen ad Ecclesiam spectare affirmant posteriori modo consideratam. Sed de his plura diximus cap. 2. et 3. hujus libri.

Respondetur adversariis.

Adversus priorem prop. ea urgeri possunt, quae afferi ab heterodoxis solent ad suadendum solos Praedestinatos esse Ecclesiae membra: quae a nobis soluta sunt hujus libri cap. 3. Contra itaque alteram thesim sic objiciunt. Haeretici, schismatici, et infideles occulti, quum interiorem non habeant fidem, neque ad Ecclesiae corpus spectare possunt. Quandoquidem inquit Apostolus in 1. ad Cor. cap. 3. *Secundum gratiam Dei, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum*, idest Christum, *posui*. Et ad Ephes. cap. 2. *Superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu:* quae de interna accipi debent fide.

Resp. Apostolum allatis in testimoniis appellare Christum et internam in illum Fidem fundamentum, non Ecclesiae, sed justitiae ac perfectionis quae est in Ecclesia; hoc est internam fidem requiri, non ut quis sit in corpore Ecclesiae, sed ut quis aeternam obtineat salutem: ita ut sensus sit neminem justitiam vel perfectionem qua ad aeternam conscendimus vitam percipere posse, nisi per Christum qui est fundamentum super quod aedificarunt Prophetae et Apostoli. Quare e vestigio subdit Christum esse fundamentum, praeter quod aliud statui non potest. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. Praeterea, quamvis daremus loqui Apostolum de in-

terna Christi fide quae necessaria sit in Ecclesia, nihil inde tamen contra nos sequeretur. Nam nos quoque fatemur verae Christi Ecclesiae interiorem fidem esse necessariam, si tamen collective, non distributive consideretur. Videlicet, Ecclesia collective sumpta necessario interiorem exigit in Christum fidem et charitatem. Ast Fideles distributive considerati interiorem fidem et charitatem exigunt ut salutem consequantur, non vero ut sint Ecclesiae membra. Atque hoc sensu loquitur Apostolus.

Obj. 2. adv. eamd. thesim. S. P. Augustinus lib. de Unit. Eccl. cap. 25. haec habet verba: *Sed cum pro ipsis operibus etiam veritati apertissimae qua redarguitur, resistere coeperit, tunc praeciditur. Et multi tales sunt in Sacramentorum communione cum Ecclesia, et tamen jam non sunt in Ecclesia ... Quid si ergo fictus accedat, atque adversus veritatem et Ecclesiam cor inimicissimum gerat, quamvis peragatur in eo illa solemnitas, numquid irreconciliatur, numquid inseritur?* Jam per Augustinum, qui veritati contradicit aut fictus ad Ecclesiam accedit, vel ipsa contradictione ab Ecclesia praescinditur, vel nunquam Ecclesiae inseritur: adeoque haeretici et schismatici occulti de Ecclesia non sunt.

Resp. priorem allati testimonii partem hunc habere sensum, quod qui veritati contradicit non occulte sed aperte, ille proculdubio ab Ecclesia praeciditur; ait enim in allata sententia S. Doctor: *Sed cum ... veritati apertissimae qua redarguitur, resistere coeperit*; cum quis videlicet manifestum se prodit haereticum aut schismaticum, tunc amplius ad Ecclesiam non pertinet: quod nos quoque ultro fatemur. Cum vero addit eum qui fictus accedit non inseri Ecclesiae, quamvis in Sacramentorum communione permaneat, loquitur de anima Ecclesiae; traditque nullum Sacramentorum percipere fructum, licet Sacramenta percipiat; non illum autem a corpore Ecclesiae sejungit. Secus quomodo diceret: *Multi tales sunt in Sacramentorum communione cum Ecclesia?* Haec aliaque hujus generis Augustini loca hoc intelligenda sunt modo: *Utrumque verum est, et ex nobis, et non ex nobis: secundum aliud ex nobis, secundum aliud non ex nobis: secundum communionem Sacramentorum ex nobis, secundum suorum proprietatem criminum non ex nobis*. Verba sunt Augustini Tract. 61. in Johan. qui clarius etiam mentem suam tradit in lib. de Gestis cum Emerito, scribens: *Quidam ... adhuc corde positi in parte Donati, praesentiam nobis exhibent corporalem, sive viri, sive foeminae; carne intus, spiritu foris*.

Obj. postremo cont. eamd. prop. Ecclesia est coetus Fidelium. Absque interiori fide nemo dici potest fidelis: qui ergo exterius tantum profitetur Fidem non est de Ecclesia. II. Qui haeresim vel schisma profitetur, illico est excommunicatus. Numquid excommunicatus pertinet ad Ecclesiam? III. Qui cum Ecclesiae capite unionem non habet, membrum Ecclesiae esse non potest. Haereticus autem aut schismaticus unionem profecto cum capite Ecclesiae non habet.

Resp. ad I. Ex ipsa Ecclesiae definitione solutum remanet argumentum. Ecclesia quippe est utique coetus Fidelium. Sed qui saltem exterius

Fidem profiteantur; alioquin si in Fidelibus singulis interior requireretur fides, cur et non interior charitas? Atque ita ex solis Justis componeretur Ecclesia, quod repugnare multis in superioribus demonstravimus.

Ad 2. Quod de haereticis et schismaticis, illud idem dicendum est de excommunicatis. Excommunicati nimirum manifesti, non autem occulti intelligantur ab Ecclesia praecisi.

Ad 3. Ut quis membrum sit Ecclesiae, satis est ut cum illius capite communionem habeat extrinsecus per Fidei professionem, Sacramentorum communionem, et Capiti legitimo subjectionem: quae omnia in haeretico, schismatico, et infidelibus occultis inveniri supponimus.

CAPUT VII.

De Ecclesiae notis universim, et speciatim de unitate Ecclesiae.

Quisquis a catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam; sed ira Dei manet super eum. His S. P. Augustini verbis quae Ep. 141. alias 152. prostant, plane intelligimus neminem extra Ecclesiam aeternam capere posse salutem. Sed ubinam haec Ecclesia invenitur? Nam haeretici quoque atque schismatici in quorum societate salus profecto consequi nequit, penes se veram Ecclesiam inveniri gloriantur. Quare idem S. Doctor in lib. de Unit. Eccl. cap. 2. ajebat: *Quaestio inter nos versatur, ubi sit Ecclesia, utrum apud nos, an apud illos. Quae utique una est, quam majores nostri Catholicam nominarunt ... Haec autem Ecclesia corpus Christi est, sicut Apostolus dicit, Pro corpore ejus, quae est Ecclesia. Unde utique manifestum est, eum qui non est in membris Christi, christianam salutem habere non posse.* Maxime itaque interest veram Ecclesiam a falsa secernere. Quod ut facile praestare possimus, quibusdam notis seu signis seu characteribus uti opus est: quae notae verae Ecclesiae ita verae Ecclesiae conveniant, ut nullo prorsus modo, saltem si simul accipiantur, haereticorum, schismaticorum, infideliumque societatibus queant aptari. Qua de re notae Ecclesiae optime definiuntur: *Signa quaedam, seu characteres, quibus societas illa quae vera Ecclesia est, ab aliis hominum societatibus, quae cum illa quamdam habent similitudinem, clare distinguitur.* Ut autem ejusmodi signa verae sint notae, exigunt 1. Ut ita propriae sint Ecclesiae, ut aliis non sint communes societatibus. 2. Ut clarius pateant Ecclesia ipsa quam exprimunt seu significant. 3. Ut ab omnibus etiam extraneis quam facillime dignosci queant. Si habeant Ecclesiae notae has conditiones, Ecclesiae ipsi evidentiam proculdubio tribuent. Non quidem evidentiam veritatis quae vel in se vel in suis principiis videtur, sed evidentiam credibilitatis quae certissimis gravissimisque nititur testimoniis. Haec quoad essentiam notarum Ecclesiae.

Quoad illarum vero attinet numerum, non una est ecclesiasticorum

Scriptorum sive veterum sive recentiorum sententia. Symbolum Apostolorum duas tantum Ecclesiae notas recenset, quod nimirum sit *sancta* atque *catholica*. Symbolum vero C-P. enumerat quatuor, hoc est, *unitatem*, *sanctitatem*, *catholicitatem*, *et apostolicitatem*; sic enim canit: *Et in unam, sanctam, catholicam, et apostolicam Ecclesiam*. S. Hieronymus Dial. adv. Lucif. recenset duas, scilicet, *continuam ab Apostolis ad, nos usque durationem, et ipsam christiani nominis appellationem*. S. P. Augustinus assignat sex: *Consensionem* videlicet *populorum et gentium*, *auctoritatem miraculis inchoatam*, *sanctitatem morum*, *vetustatem originis*, *successionem sacerdotum ab ipsa Petri sede ad praesentem episcopatum*, *ipsum catholicae Ecclesiae nomen*: sic enim ipse scribit in lib. cont. Ep. Fund. cap. 4. *Tenet consensus populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri apostoli ... usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholicae nomen, quod non sine caussa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere*. Vincentius Lerinensis in Common. cap. 3. tres Ecclesiae notas admittit: *universalitatem*, *antiquitatem*, *consensionem*. Ita Veteres. Recentiores autem Theologi notis a Patribus recensitis plures alias addiderunt; et apud Bellarminum excreverunt usque ad numerum 15. Verum quum quindecim illae a Bellarmino assignatae ad illas quatuor statutas a symbolo C-P. reduci facile possint, ut ipsemet Bellarminus fatetur, nos ceteris omissis de illis quatuor dumtaxat agere constituimus; nempe *de unitate*, *sanctitate*, *catholicitate*, *et apostolicitate*: ita ut societas illa Christianorum in qua mox enumeratae quatuor notae reperiuntur, vera sit Christi Ecclesia.

Ac primo de *unitate* quam verae Christi Ecclesiae competere etiam haeretici ultro concedunt. Sed nonnulli unam illam Ecclesiam quae vera est, putant propriam eorum esse societatem; alii autem omnium tum haereticorum tum schismaticorum sectarum, dummodo fundamentales Fidei articulos non destruant, aggregationem; ut de membris Ecclesiae agentes observavimus. Rem totam breviter hic explicemus oportet. Unde

CONCLUSIO I.

Vera Christi Ecclesia una dumtaxat esse debet.

Prob. 1. Vera Christi Ecclesia in sacris literis appellatur *corpus*, *fundamentum*, *sponsa*, *ovile*, *columba*, *dilecta*. Quae nomina esse Ecclesiae concedunt etiam recentiores haeretici; ipseque Jurius lib. de Vero Syst. Eccl. contendit significare ea nomina Ecclesiam visibilem. Ast unum est corpus, unum fundamentum, unum ovile, una columba, una sponsa, una dilecta. Unum *corpus*. Nam in 1. ad Cor. cap. 12. inquit Apostolus: *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia*

autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive judaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi. Et paullo infra: *Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro.* Fundamentum pariter unum esse testatur idem Apostolus ad Ephes. cap. 2. dicens: *Superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu: in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* En unicum fundamentum super quod aedificata est Ecclesia. Quod sit Christi sponsa declarat Apostolus in Ep. ad Ephes. cap. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* Et quidem unica, quum ad Cor. 2. cap. 11. subjungat: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Sed etiam unum ovile appellatur a Christo, Johan. cap. 10. dicente: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Idem demum intellige de nominibus columbae et dilectae; in Canticis quippe legitur: *Una est columba mea, una dilecta mea, perfecta mea, unica matri suae.* Itaque cum nomina quibus Ecclesia ipsis fatentius haereticis in sacris literis designatur unitatem significent, sequitur manifeste Ecclesiam unicam esse debere.

Prob. 2. Traditione. Cyprianus in lib. de Unit. Eccl. *Episcopatus*, inquit, *unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur etc.* Optatus milevitanus lib. 1. *Christus*, inquit, *sponsus est unius Ecclesiae, sicut in Canticis Canticorum ipse testatur: qui cum unam laudat, ceteras damnat.* Epiphanius Haer. 15. docet, quod *juxta Scripturas Salomon octingentas habebat concubinas, innumerasque alias mulieres, unica tamen erat columba ejus, perfecta ejus, quae est S. catholica Ecclesia.* Superfluum est Augustini recitare sententias, quum noverint omnes adversus Donatistas ex professo et invicte demonstrasse Ecclesiam esse unam; unde librum inscripsit de unitate Ecclesiae praeter multa quae habet in libris de Baptismo. Leo M. Serm. 7. scribit: *Extra Ecclesiam nihil est integrum, nihil castum, cum divisis ab unitate corporis Christi nulla similitudine comparamur.* Fulgentius lib. 2. cap. 21. *Extra hanc Ecclesiam nec christianum nomen aliquem juvat, nec Baptismus salvat, nec mundum Deo sacrificium offertur, nec peccatorum remissio accipitur, nec aeternae vitae felicitas invenitur. Una est enim Christi Ecclesia, una columba, una dilecta, una sponsa.* Demum sancti Patres, et Cyrillus praesertim alexandr. Hieronymus et Gregorius M. Ecclesiam comparant cum arca Noë, cum domo in qua comedebatur juxta legem agnus paschalis, cnm Christi veste quae inconsutilis erat. Ast una erat arca, una domus, una vestis: adeoque una Ecclesia.

CONCLUSIO II.

Vera Christi Ecclesia ita una est, ut excludat quaslibet haereticorum schismaticorumque sectas, sive errent sive non in articulis Fidei, ut inquiunt, fundamentalibus.

Patet haec propositio ex iis quae capite hujus lib. 4. concl. 1. 2. et 3. disputavimus. Si namque manifesti schismatici publicique haeretici, ii etiam qui in articulis fundamentalibus non errant, non sunt Ecclesiae Christi membra, ut memorato loco probavimus, consequitur illorum societates non esse veram Christi Ecclesiam. Cujus rei manifesta ratio est; quoniam ii Fidei articuli sunt ab omnibus recipiendi quos recipit et approbat Ecclesia, ii autem damnandi qnos Ecclesia rejicit atque damnat. Sed de his capite mox laudato.

Prob. itaque propositio rursus hoc modo. Vera Christi Ecclesia damnavit semper et a sinu suo rejecit quaslibet haereticorum schismaticorumque societates, sive admitterent sive negarent fundamentales Fidei articulos. Nam Nicaenum 1. Concilium formam recipiendi in Ecclesiam Novatianos praescribit qui certe Fidei articulos fundamentales non respuebant. Concilium item I. C-P. can. 7. statuit ne Sabbatiani, Novatiani, Quartodecimani, quorum errores circa veritates fundamentales non erant, aliique haeretici in Ecclesiae communionem admitterentur, nisi antea se omnem anathematizare haeresim profiterentur qnae non sentit ut sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia sentit. Africana ecclesia in libello quem Leporio exhibuit exigebat, ut qui in Ecclesiae recipi vellet communionem, omnia indiscriminatim falsa dogmata ab Ecclesia proscripta respueret, atque omnia indiscriminatim dogmata ab Ecclesia definita reciperet et approbaret. Demum nonne Donatistae ab initio saltem schismatis puri putique quum essent schismatici, in nullo Fidei dogmate errabant? Et nihilominus a vera Christi Ecclesia illorum praecisa est societas. Unde vera Christi Ecclesia ita una est ut quascumque a sinu suo excludat haereticorum schismaticorumque societates.

Prob. postremo. Si Ecclesia esset una in sensu exposito Jurii, omnes et singuli cum orientis tum occidentis antiqui Episcopi maximae injustitiae insignisque rei essent usurpationis; sibi enim et quidem solis attribuissent quod ad societates etiam haereticorum et schismaticorum jure spectabat. Neque enim in dubium verti potest omnes sive orientales sive occidentales Episcopos credidisse ita Ecclesiam esse unam ut quaslibet excludat societates; unde insignis rei fuissent usurpationis jus aliis societatibus ad caelestem negando haereditatem. Quis autem id asserere audebit nisi unus Jurius?

CONCLUSIO III.

Unitas quae nota est Ecclesiae in eo praecipue consistit, ut tamquam unum corpus subsit uni capiti visibili Romano Pontifici.

Quum unitas nota sit per quam vera a falsa Ecclesia discernitur, nemo plane ad unam Ecclesiam spectabit nisi subsit uni invisibili capiti Christo: cui nemo proculdubio subditur nisi subjiciatur uni visibili capiti Romano Pontifici. Nam Christus Dominus ascensurus in caelum ita Ecclesiam suam instituit, ut ei tamquam visibile Ecclesiae caput succederet Petrus, Petro alius, et huic alius usque ad saeculi consummationem. Sed audiamus de hoc argumento veteres Patres. Irenaeus lib. 3. adv. Haer. cap. 3. inquit: *Ad hanc Ecclesiam* (Romanam) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique Fideles: in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quae ab Apostolis est traditio*. Origenes hom. 5. in Exod. cap. 14. verba illa exponens, *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, Vide*, inquit, *magno illi Ecclesiae fundamento et petrae solidissimae super quam Christus fundavit Ecclesiam etc.* Cyprianus in lib. de Unit. Eccl. haec habet: *Super illum unum* (Petrum) *aedificat Ecclesiam suam ... Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat, Sicut misit me Pater ... tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri Apostoli quod fuit Petrus ... Sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur*. Et paullo infra: *Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se Fidem credit? Qui Ecclesiae renititur et resistit, qui cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit*? Optatus milevitanus lib. 2. cont. Parm. sic ait: *Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est: in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut jam schismaticus et peccator esset qui contra singularem cathedram alteram collocaret*. Hieronymus lib. 1. adv. Jovin. *Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio*. Et Ep. 57. ad Dam. *Cathedrae*, inquit, *Petri communione consocior; super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio*. Traditio itaque docet Christum vices suas Petro ejusque in cathedra Romana successoribus commisisse: ac proinde qui Petrum Petrique successorem tamquam visibile caput renuit agnoscere, nec subest invisibili capiti Christo.

SCHOLION.

Dixi hactenus unitatem quae Ecclesiae nota est, in eo praesertim consistere quod tamquam unum corpus uni visibili capiti Romano Pontifici subsit: propterea quod multiplici sensu Ecclesia una dici potest. Dici videlicet potest *una* unitate *corporis*, quatenus omnes Fideles veluti multa membra unum corpus constituunt. Una unitate *spiritus*, quod omnes Fideles ab uno eodemque animentur spiritu. Unitate *spei*, hoc est vitae aeternae ad quam omnes ex aequo vocantur. Unitate *Domini*, quum uni eidemque servire debeant Domino. Unitate *Fidei* seu *doctrinae*, quia una eademque Fides et doctrina in singulis esse debet. Unitate *Baptismi* aliorumque Sacramentorum, quoniam per eumdem Baptismum renascimur, perque eadem nutrimur Sacramenta. Unitate *Dei*, qui solus ab omnibus colitur. Unitate denique *Patris*, quod unus sit cunctorum Fidelium Pater qui in caelis est. Has unitatis Ecclesiae species enumerat Apostolus ad Ephes. cap. 4. dicens: *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Unus Deus, et Pater omnium*. Quae quidem unitates quamvis verae dumtaxat Christi Ecclesiae, non falsis haereticorum societatibus competant, non sunt tamen totidem Ecclesiae notae, sed merae dotes aut proprietates quae veram exornant Ecclesiam. Munus enim notae Ecclesiae est, ut vera a non vera Ecclesia secernatur, et rursus ut facile omnibus pateat. Porro laudatae ab Apostolo, etsi non alteri quam verae conveniant Ecclesiae, non omnibus tamen illico innotescunt et manifestantur; quum etiam haeretici ac schismatici jactitent illorum societates esse unum corpus, unum spiritum, unam habere spem ac fidem etc. Atque idcirco in ea unitate verae Ecclesiae nota reponenda est, per quam omnia ac singula Ecclesiae membra uni visibili capiti Romano Pontifici subsunt: quam solam unitatem nequeunt haeretici atque schismatici sibi tribuere, qui gloriantur utique se uni subesse invisibili capiti Christo, sed gloriantur etiam in Romanum Pontificem se rebellasse, nosque ignominiae caussa modo *pontificios*, modo *romanenses* appellant.

Ad contraria argumenta responsio.

Obj. 1. cont. 2. thesim. Synagoga quae typus erat Ecclesiae, non ita una erat ut quaslibet alias hominum excluderet societates. Nam multi extra synagogam aeternam consequuti sunt salutem, ut Job, Melchisedech, Ninivitae. Unde nec Ecclesia a synagoga praefigurata ita una est etc. 2. Doctrina docens Ecclesiam ita esse unam ut quamlibet aliam sectam excludat, Ecclesiam ipsam inhumanam facere videtur. Salutem siquidem denegat ei qui vel in minimo Fidei articulo errat.

Resp. ad 1. Synagoga typus fuit Ecclesiae et quidem in multis, non autem in omnibus omnino. Nam ut plura discriminis capita omittam, sy-

nagoga non fuit Ecclesiae typus quantum ad extensionem; quum illa intra Judaeae fines concluderetur, haec diffusa sit per universum orbem: neque Ecclesiae nostrae typus fuit quantum ad perpetuitatem; quoniam illa ad Christum usque perseveratura erat, haec autem usque ad saeculi consummationem: nec quoad cultus perfectionem; synagoga quippe hircorum vitulorumque sanguine, Ecclesia vero in spiritu et veritate Deum adorat. Nil mirum ergo si extra synagogam salus haberi poterat, quae haberi nequit extra Ecclesiam Christi. Deinde extra synagogam quidem, sed non extra Ecclesiam salvabantur quicumque salvabantur. Non enim salus haberi poterat nisi per Christum. Unde S. P. Augustinus Ep. 190. *Profecto*, inquit, *quod scriptum est, Non esse aliud nomen sub caelo, in quo oporteat nos salvos fieri, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est genus humanum*. Quicumque autem in Christum credebant, ad universalem spectabant Ecclesiam, juxta illud M. Gregorii Hom. 19. in Evang. *Quis patrisfamilias similitudinem rectius tenet quam Conditor noster qui habet vineam, universalem scilicet Ecclesiam, quae ab Abel justo usque ad ultimum electum ... quasi tot palmites emisit*. Quo sensu synagoga pars erat Ecclesiae universalis comparate ad mundum universum: erat autem Ecclesia una et universalis respectu Judaeorum quorum nemo extra illam salvari poterat.

Ad 2. Non levis momenti crimen est vel minimum Fidei denegare articulum. Qui namque in minimo Fidei articulo errat, 1. Fidem quae juxta Apostolum una esse debet, proprio arbitratu dispescit. 2. In Ecclesiam quam veluti matrem venerari ac colere debet, insolenter insurgit atque rebellat. 3. Matri suae, hoc est Ecclesiae, praecipuam eripit dotem, nempe infallibilitatem quam Christus velut dilectae sponsae suae semel ei donavit. Non ergo inhumane, sed juste se gerit Ecclesia talem e sinu suo projiciens hominem.

CAPUT VIII.

De sanctitate Ecclesiae.

Altera nota qua vera a falsa secernitur Ecclesia est, juxta symbolum C-P. ipsius Ecclesiae *sanctitas*. Ast quum multiplici sensu Ecclesia sancta dici possit, inquirendum modo est in quo sanctitas illa quae notam verae Ecclesiae constituit sit reponenda. Multiplici quidem sensu, ut mox ajebam, Ecclesia sancta dici potest. Primo sancta dicitur quia Deo consecrata est et dedicata. Si enim in V. Testamento sancti appellabantur primogeniti quod Deo offerrentur, quanto magis sancta dicenda erit Ecclesia, quum illam Christus Deo Patri obtulerit, juxta illud Apostoli ad Ephes. cap. 5. *Mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam ... sed ut sit sancta, et immaculata*? Secundo sancta quoque dici debet Ecclesia, quod

sit veluti corpus sub unico capite sancto quod est Christus Dominus sanctus sanctorum; unde ait idem Apostolus ibid. cap. 4. *Ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate*. Tertio sancta est quia Spiritus sanctus continuo illam sanctificare pergit per charitatem suam quae diffunditur in cordibus nostris. Hinc Ecclesiae membra Spiritus sancti templum appellat Apostolus in 1. ad Cor. cap. 3. *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* Quarto sancta quoque denominatur a legitimo usu Sacramentorum per quae Ecclesia membra sua sanctificat. Etsi enim etiam haeretici valide conferant Baptismum, qui tamen illum recipiunt, non ab haereticis sed ab Ecclesia quae haereticorum utitur ministerio, ut ex Augustino supra diximus, sanctificantur. Quinto sancta nuncupatur Ecclesia quod plura illius membra sancta revera sint, et interna actu polleant charitate. Nam licet in Ecclesia multi sint impii, nihilominus quia *melior est unus timens Deum, quam mille filii impii*, ut Auctor Eccli. cap. 16. inquit, propter timentes Deum merito Ecclesia dicitur sancta. Sexto sanctae denominationem ex sanctitate doctrinae seu professionis desumit. Quid namque docet, quid credit Ecclesia quod sanctum non sit, impollutum, immaculatum? Optime S. P. Augustinus lib. 2. de Civ. Dei cap. 28. inter cetera quae in laudem ecclesiarum Christianorum congerit, haec quoque profert: *Nihil in eis turpe ac flagitiosum spectandum, imitandumque proponitur, ubi veri Dei aut praecepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur*. Postremo sancta denominatur Ecclesia quoniam qui in eam ingrediuntur ad sanctitatem vocantur, ut inquit Apostolus ad Ephes. cap. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus*. Et ad Rom. cap. item 1. *Vocatis sanctis*. Et Petrus Ep. 1. cap. 2. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*. Hae igitur sunt sanctitatis species quae verae tantum Ecclesiae, et non haereticorum schismaticorumque conveniunt societatibus.

Attamen quum de notae seu characteris essentia sit ut omnibus etiam pusillis ac rudibus primo intuitu innotescat, ut capite superiori monuimus, non omnes enumeratae sanctitatis species verae Ecclesiae notam constituunt. Et sane, quis haereticorum vel schismaticorum est qui propriam illorum societatem Deo esse dicatam, pro capite agnoscere Christum, penes se legitimum esse usum Sacramentorum, et sic de aliis non jactet? Dicendum itaque erit sanctitatem quae recensitis hactenus modis de Ecclesia enuntiatur, nonnisi verae Christi Ecclesiae reapse competere, sed competere tamquam illius proprietatem et dotem, ut superiore capite diximus de unitate, non veluti illius proprie dictam notam per quam ab haereticorum schismaticorumque coetibus primo intuitu secernatur. In quo autem sanctitas illa quae verae Ecclesiae nota est consistat, mox aperiemus. Sed interim ad retundendam recentiorum calumniam Calvinistarum qui non voce modo, sed etiam scripto affirmare per summum nefas audent Theologos catholicos nullam in Ecclesia admittere internam charitatem, sit

CONCLUSIO I.

Sanctitas quae in interna Spiritus sancti charitate consistit, verae Christi Ecclesiae necessaria est.

Prob. 1. Finis propter quem Christus Ecclesiam instituit, est nostra interna sanctificatio; inquit enim apud Johan. cap. 17. *Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate*. Et Paulus ad Ephes. cap. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti etc.* Et ad Hebr. cap. 13. *Jesus*, inquit, *ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*. Quare verae Christi Ecclesiae sanctitas quae in interna charitate consistit, necessaria est. Hinc S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 9. ad 3. *Fides*, ait, *Ecclesiae est fides formata*, non sejuncta videlicet ab interna charitate, sed quae per dilectionem operatur, ut inquit Apostolus. 2. Ecclesia quum sit Christi sponsa, ab ipso impense diligitur. Ast si non esset in Ecclesia interior Spiritus sancti charitas, posset ne a Christo sponso suo diligi? 3. Demum Ecclesia est Christi corpus, ut docet Apostolus. Si autem careret Ecclesia interna charitate, membra illius essent proculdubio mortua; atque adeo Christi corpus non esset.

CONCLUSIO II.

Sanctitas quae est verae Ecclesiae nota consistit in sanctitate Institutorum, in sanctitate doctrinae et professionis, in sanctitate miraculorum gloria confirmata.

Prob. prior thesis pars. Nota verae Ecclesiae est signum manifestissimum quo vera Ecclesia a falsa secernitur. Id autem habetur per sanctitatem Institutorum; quoties enim constet eos qui Ecclesiam instituerunt revera fuisse sanctos, quis ambigere poterit Ecclesiam ab iis institutam non esse veram Ecclesiam? Qui namque veram habent sanctitatem, Spiritum sanctum habent inhabitantem. Qui Spiritum sanctum habent inhabitantem nequeunt societatem instituere hominum qui aut falso cultu Deum adorent, vel morum turpitudine propriam commaculent vitam. Atque adeo ubi sanctitas est Institutorum, ibi est vera Ecclesia.

Prob. altera pars. Vera Christi Ecclesia eo fine instituta est ut homines Deo serviant, illumque in spiritu et veritate colant. Verum societas quae doctrinae ac professionis retinet sanctitatem, nonne Deo servit, illumque in spiritu et veritate colit? Sanctitas quippe doctrinae ac professionis homines a mundi retrahit illecebris, errantes ad Deum convertit ac dirigit, castitatem morum et sapientiam inspirat hominibus. Atque ita ubi sanctitas doctrinae et professionis invenitur, ibi est vera Christi Ecclesia; proindeque sanctitas et doctrinae et professionis est verae Ecclesiae nota.

Prob. tertia pars. Societas illa nequit esse falsa Ecclesia, cujus sanctitas a Deo miraculorum gloria confirmatur. Deus siquidem cum sit ipsa

veritas, nequit in patrocinium mendacii patrare miracula. Illa ergo societas in cujus sinu Deus miracula operatur, vera est Christi Ecclesia: atque idcirco sanctitas miraculorum gloria confirmata, est nota verae Ecclesiae.

CONCLUSIO III.

Societas Catholicorum habet sanctitatem quae est verae Ecclesiae nota.

Prob. Sanctitas quae est verae Ecclesiae nota, consistit in sanctitate Institutorum, in sanctitate doctrinae et professionis, in sanctitate miraculorum gloria confirmata, ut paullo ante probavimus. Hae autem tres sanctitatis species inveniuntur in societate Catholicorum. Et I. habet haec societas sanctitatem Institutorum. Etenim a quonam primitus Catholicorum societas est instituta, nisi a Christo Domino qui sanctitas est sanctitatum, ut a Daniele appellatur? Unde inquit Apostolus ad Hebr. cap. 12. *Aspicientes in auctorem Fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Post Christi ascensum in caelum Ecclesiam ab eo institutam Apostoli in variis orbis regionibus fundare ac aedificare perrexerunt; unde Ecclesiae fundamenta a Davide Ps. 86. praedicuntur: *Fundamenta ejus in montibus sanctis*; et fundamenta vocantur ab Apostolo ad Ephes. cap. 2. *Superaedificati super fundamentum Apostolorum etc.* Petro in dignitate successit Rom. Pontifex, ut suo loco ostendemus; reliquis Apostolis Episcopi per orbem dispersi, quos sanctitate emicuisse testatur Augustinus lib. 1. de Morib. Ecclesiae cathol. Praeterea, nonne Catholicorum Ecclesiam innumeri martyres compluresque Patres instituerunt? Sanctitatem illorum comprobat mira in tormentis constantia, horum autem indefessus in profligandis erroribus labor. Quare Catholicorum societas habet utique sanctitatem Institutorum.

II. Sed habet etiam sanctitatem doctrinae et professionis. Quid namque Catholicorum societas tradit quod purum non sit, immaculatum, sanctissimum? Fidei dogmata quae in hac societate admittuntur, vel in sacra Scriptura continentur, vel in Traditione. Regulae quibus Catholici propriam componunt vitam, traditae sunt vel ab ipso Christo in Evangeliis, vel in eorum scriptis ab Apostolis, vel in ecclesiasticis Conciliis a sanctis Patribus. Hinc innumeri in hac societate cujusvis status ac conditionis visi sunt homines qui eximia semper excelluere sanctitate. Audiantur ea quae vel de Catholicis temporis sui scribit S. P. Augustinus lib. 1. de Morib. Ecclesiae cathol. cap. 32. *Quam multos Episcopos optimos viros sanctissimosque cognovi, quam multos presbyteros, quam multos diaconos, et hujusmodi ministros divinorum Sacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior et majore praedicatione dignior videtur, quo difficilius est eam in multiplici hominum genere, et in ista vita turbulentiore servare.* De Anachoretis ibid. cap. 31. *Quis enim nescit summae continentiae hominum christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi, et in Oriente maxime atque Ægypto... qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo...*

et aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhaeserunt, et ejus pulcritudinis contemplatione beatissimi, quae nisi sanctorum intellectu percipi non potest. Deinde de Coenobitis: *Quis non illos miretur et praedicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul aetatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus ... modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, a quo ista posse meruerunt*. De Sanctimonialibus: *Haec est etiam vita foeminarum Deo solicite casteque servientium, quae habitaculis segregatae ac remotae a viris quam longissime deoet, pia tantum illis charitate junguntur et imitatione virtutis: ad quas juvenum nullus accessus est, neque ipsorum quamvis gravissimorum et probatissimorum senum, nisi* etc. De Laicis denique addit cap. 33. *Vidi ego diversorium sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus unus Presbyter praeerat vir optimus et doctissimus. Romae etiam plura cognovi, in quibus singuli gravitate atque prudentia, et divina scientia praepollentes, ceteris secum habitantibus praesunt, christiana charitate, sanctitate et libertate viventibus ... Neque hoc in viris tantum, sed etiam in foeminis*. Possent fortassis tot exerceri Deo gratissimae virtutes in societate quae sanctitatem neque doctrinae neque professionis retineret? Si ergo exercentur illae in societate Catholicorum, in ea est utique sanctitas doctrinae et professionis.

III. Viget demum et virtus miraculorum. Enumerat enim societas haec primo saeculo miracula Christi et Apostolorum, quorum narratio prostat in Evangeliis et Actibus. Secundo saeculo miracula christianorum militum in Marci Antonini exercitu, de quibus Tertullianus et Eusebius caesariensis. Evenerunt tertio saeculo miracula Gregorii thaumaturgi, de quibus quum a viris omni exceptione majoribus referantur, nefas est dubitare. Saeculo quarto stupenda edidere miracula Antonius abbas, Hilarion, Martinus, aliique, ut fidem faciunt Athanasius, Hieronymus, Severus Sulpitius. Quintum ac sextum saeculum miracula exhibent quae ab Augustino in libris de Civ. Dei, et a M. Gregorio in Dial. describuntur. Nec ulla fuit aetas quae ad nostra haec usque tempora, miracula non suppeditaverit patrata ab iis qui in societate sunt Catholicorum, ut legere est in Annalibus ecclesiasticis. Sanctitas igitur miraculorum gloria confirmata, in societate hac invenitur; atque adeo etc.

CONCLUSIO IV.

Societas Protestantium non habet sanctitatem quae est verae Ecclesiae nota.

Solam Protestantium societatem in exemplum assumimus, quoniam haec est haereticorum societas quae nostris hisce temporibus prae ceteris per orbem grassatur. Ceterum quidquid de Protestantibus dicimus, de quavis

haereticorum secta asserere intelligimus. Prob. itaque propositio. Societati Protestantium omnis penitus deest sanctitas; Institutorum videlicet, doctrinae ac professionis, et sanctitas miraculorum gloria confirmata. I. Caret sanctitate Institutorum. Nam Lutherum, Zuinglium, Calvinum, aliosque hujus furfuris homines qui *reformatae*, ut ipsi inquiunt, religionis jecere fundamenta, fuisse sanctitate vitae exornatos, nec ipsi Protestantes illorum discipuli asserere audent.

II. Neque illa societas sanctitatem habet doctrinae et professionis. Nullus enim est fere veterum haereticorum error quem Protestantes non renovaverint: idque nonnullorum enumeratione demonstratur. Narrat Ignatius martyr haereticos sua aetate fuisse, qui ab Eucharistia et oratione abstinebant quod Eucharistiam carnem Salvatoris D. N. J. C. esse non confiterentur. Ita in Ep. ad Smyrn. num. 7. Ast hoc idem nunc Zuingliani et Calvinistae tenent. Manichaei teste Augustino Haer. 46. credebant aquae Baptismi vim non esse mundandi peccata. Nonne hoc idem tradit Calvinus? Novatiani, referentibus Socrate, Theodoreto, aliisque, adimebant ab Ecclesia potestatem remittendi peccata. Eumdem autem errorem damnat modo Ecclesia etiam in Calvinistis. Scimus a Hieronymo et Augustino Jovinianum sacras ad conjugium compulisse virgines, unde damnatus fuit ab Ecclesia. Porro in idem nunc incidunt facinus Lutherani et Calvinistae. Eusthatius et Aërius, ut Epiphanius et Augustinus narrant, ejecti ab Ecclesia fuerunt quod jejunia et orationes pro martyribus improbarent. Et Protestantes eamdem tuentur doctrinam. Anathemate perqussi sunt ab Ecclesia Vigilantius, Pelagius, et Iconoclastae; primus quod invocationem reprobaret Sanctorum, ac exhibitum Reliquiis cultum; alter quod infantes Fidelium sine Baptismo decedentes possent salvari; postremi quoniam Imagines tamquam numinum simulacra frangerent pedibusque protererent. Haec eadem modo sunt dogmata Protestantium. Multa alia brevitati consulens praetereo. Eorum ergo doctrina sancta non est.

III. Quoad miracula spectat, nec ipsi Protestantes affirmare audent in eorum societatibus miraculorum gloriam splendescere. Nonnulli ad summum miraculo tribuunt quod eorum religio tam cito fuerit longe lateque diffusa. Verum in primis falsum omnino est quod tam fidenter affirmant, quum noverint omnes quot tumultus, quot strages in Anglia, Gallia, atque Germania praetensa Novatorum reformatio excitaverit atque confecerit. Deinde quid facilius quam religionem jejunia proscribentem, auricularem confessionem damnantem, reliqua improbantem ardua et onerosa propagare? Alioquin mahumetanae quoque sectae diffusionem miraculo adscribamus oportet. Desunt itaque Protestantium societati characteres illi qui veram constituant sanctitatem: proindeque Catholicorum dumtaxat, non Protestantium societas vera Ecclesia est. Quod de Protestantibus probavimus, intellige de quovis coetu haereticorum atque schismaticorum.

Satisfit argumentis in contrarium.

Obj. I. cont. 1. thesim. Morum corruptela falsae Ecclesiae nota seu signum non est; alioquin peccatores et impii ad Ecclesiam non pertinerent. Quare neque morum sanctitas Ecclesiae verae nota dici potest. II. Propter aliquorum dumtaxat sanctitatem non debet Ecclesia sancta denominari; quoniam e contra quamvis in Ecclesia sint impii, ipsa tamen impia non denominatur. III. Similiter ex quo in Ecclesia sint praedestinati ac reprobi, Ecclesia nec praedestinata nec reproba dicitur: unde ex quo sint in Ecclesia aliqui Sancti peccatoribus admixti, non est sancta denominanda.

Resp. ad 1. Multorum impietas viventium in ea societate ubi plures sunt sancti, non est argumentum credendi societatem illam esse falsam Ecclesiam. Nam si in ea societate ubi nonnulli sunt impii, plures inveniuntur sancti, sequitur in ea fulgere sanctitatem Institutorum, doctrinae et professionis, qui characteres nonnisi verae Ecclesiae conveniunt. Ast vero si in aliqua societate nemo internam habeat sanctitatem, quodnam quaeso signum id est, nisi in ea sanctitatem non vigere neque Institutorum, neque doctrinae neque professionis?

Ad 2. Vel ipsi Logici norunt denominationem sumi ex nobiliori parte. Cumque nobilior Ecclesiae pars sit illa Sanctorum, quamvis impii quoque in ea inveniantur, Ecclesia tamen sancta et non impia dicenda est.

Ad 3. Primo falsum est Ecclesiam praedestinatam non appellari; Apostolus siquidem ad Ephes. cap. 1. *Elegit nos*, inquit, *in ipso ante mundi constitutionem*. Deinde non dicitur Ecclesia reproba, etiamsi multa ejus membra reproba sint, quoniam denominatio a nobiliori sumi solet parte.

Obj. II. adv. 3. prop. Societas Catholicorum non habet doctrinam et professionem sanctam. Nam ab Apostolorum temporibus ad hanc usque aetatem innumeri pro illius reformatione editi sunt canones, et adhuc reformatione indiget, ut omnes fatentur, in membris et in capite. 2. Sed neque habet sanctitatem Institutorum, quoniam licet ab initio a Christo et Apostolis fuerit instituta, progressu nihilominus temporis tot tantosque admisit errores superstitionesque, ut a primaeva sua pulcritudine omnino defecerit, et alios videatur habere Institutores. Neque demum miracula sunt in societate Catholicorum. Fuere quidem Christi et Apostolorum aetate. At postquam suam amisit puritatem, desiere prorsus miracula: et illa quae in historiis leguntur, merae fabulae sunt hominumque figmenta.

Resp. ad 1. Pro Ecclesiae reformatione editi utique sunt innumeri canones: sed ad corrigendos nonnullos depravatos mores vel ad disciplinam stabiliendam, non ad restituendas collapsas regulas morum, aut depravata Fidei dogmata. Haec enim et regulae morum semper immutabilia in Catholicorum perstiterunt societate, nec umquam contrarium demonstrare poterunt adversarii. Sed quoad mores multi depravati homines adeo corruptam aliquando duxerunt vitam, ut timens Ecclesia ne quod facto eveniebat transiret in regulam, tamquam provida mater canones edidit ut in filiorum revocaret memoriam regulas a Christo, ab Apostolis, a Patribus ad componen-

dam vitam initio traditas et usque ad mundi finem servandas. Praeterea editi sunt canones ad reformanda etiam illa quae pertinent ad disciplinam: quae quum a locorum, personarum, temporumque pendeat circumstantiis quae variabiles sunt, et ipsa variabilis est, et ne in deterius abeat, ab Ecclesia per canones reformatur.

Ad 2. Societas Catholicorum a primaeva sui pulcritudine nunquam descivit; quum nunquam errores aut superstitiones admiserit, ut Protestantes calumniantur. Quinam demum sunt errores, quaenam superstitiones quae procedente tempore in Catholicorum irrepsere societatem? Si Protestantes audias, sunt, ut ex multis pauca afferamus in exemplum, invocatio Sanctorum, realis in Eucharistia Christi praesentia, cultus Imaginum ac Reliquiarum, quadragesimale jejunium, aliaque hujusmodi. Ast haec et similia nedum modo servantur, sed perpetuo a primis Ecclesiae saeculis in Catholicorum servata sunt societate. Constat id veterum opera Patrum evolventibus: unde nec errores sunt neque superstitiones, sed totidem Fidei dogmata morumque praecepta a Christo et ab Apostolis instituta, et ad nos usque per Traditionem derivata. An ne dicendum est Ecclesiam haec et alia sibi finxisse? Affirmant id quidem Protestantes, sed non demonstrant. Imo in eo asserendo se veterum haereticorum imitari morem non verentur. Nam etiam Manichaei puta, teste Augustino lib. 1. de Morib. Ecclesiae cathol. Catholicis novorum dogmatum professionem objiciebant. Etiam Luciferiani, Pelagiani, Donatistae, ut Hieronymus et Augustinus narrant, affirmabant Catholicorum Ecclesiam adeo a sua recessisse institutione, ut societas hypocritarum, luxuriae sedes, lupanar, diaboli laqueum etc. posset appellari. Si idipsum nunc faciunt Protestantes, se cum Pelagianis, Donatistis, Luciferianis, Manichaeis, aliisque hujus generis pestibus facere noverint, quamvis illorum societatem et ipsi refugiant atque execrentur.

Ad 3. Pro lubitu suo Protestantes affirmant in Catholicorum societate desiisse miracula. Major quippe fides Cypriano, Athanasio, Hieronymo, Augustino, Bernardo, aliisque etiam recentioribus Catholicorum miracula referentibus debetur, quam Magdeburgensibus, Jurio, aliisque Lutheranis, et Calvinistis negantibus.

CAPUT IX.

De catholicitate Ecclesiae.

Ecclesiam Christi vel ab antiquis temporibus vocatam fuisse catholicam, in dubium verti nequit. Innumera quippe priscorum Patrum et Conciliorum loca sunt, in quibus Ecclesia *Catholica* nominatur; et ut mittam Smyrnensem ecclesiam quae Polycarpum *Episcopum appellat Ecclesiae catholicae in Smyrnis*, totiusque orbis Fideles ad quos epistolam dirigit, *Populos sanctae Ecclesiae catholicae per universam terram diffusae*, silentio praeteream; symbolum certe quod apostolicum dicitur, illudque aliud C.P. utrumque catholicae nomen Ecclesiae tribuit. Primum nempe

sic habet: *Credo ... sanctam Ecclesiam catholicam;* alterum vero: *Credo ... et unam, sanctam, catholicam, et apostolicam Ecclesiam*. Dubium oriri potest dumtaxat circa tempus quo primitus hoc praecise nomine sit Ecclesia insignita: quod diversimode juxta diversam Scriptorum sententiam de symboli apostolici auctoribus definitur. Scilicet qui symbolum quod apostolicum dicitur, ab Apostolis ipsis proprio exaratum fuisse digito putant, tenent proinde Ecclesiam nuncupatam fuisse catholicam ab ipsis Apostolis, non quidem relate ad aetatem Apostolorum, quum Ecclesia tunc catholica reapse appellari non posset, sed habita futurorum temporum ratione in quibus Ecclesiam futuram catholicam jam Apostoli Spiritu sancto revelante sciebant. Qui vero arbitrantur symbolum apostolicum eo ordine quo nunc habetur fuisse post apostolica tempora digestum, cujus tamen sententiae assertores inter Catholicos rari sunt, consequenter affirmant Ecclesiam vocatam fuisse catholicam post aevum Apostolorum, quoniam quum haereses Ecclesiam dilacerare inciperent, necesse fuit signum et characterem quo ab haereticorum conventiculis secerneretur, verae Ecclesiae tribuere. Hinc Pacianus Ep. 1. ad Sempron. *Cum post Apostolos*, inquit, *haereses extitissent, diversisque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare et per partes scindere niterentur, cognomen suum plebs apostolica postulabat quo incorrupti populi distingueret charitatem*.

Nunc quid vox haec, *catholica*, significet, paucis inquirendum est. Juxta nominis etymologiam catholicitas et universalitas idem omnino sunt. Quod enim graece catholicum, id latine universale dicitur. Triplicem autem includit universalitatem. Hoc est, ut aliqua hominum societas vere et proprie catholica dici possit, necesse est 1. Ut sit universalis quoad doctrinam. 2. Ut sit universalis quoad tempus. 3. Ut sit universalis quoad locum. Rem totam dilucide explicat Vincentius Lerinensis Comm. cap. 3. his verbis: *In ipsa catholica Ecclesia magnopere curandum est ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est enim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat ... Sed hoc ita demum fiet si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem*. Ut itaque societas aliqua Christianorum jure dicatur catholica, debet esse universalis quoad doctrinam; videlicet errores omnes etiam non fundamentales, ut haeretici loquuntur, ab Ecclesia aliquando damnatos rejicere ac improbare debet, ac veritates singulas ab Ecclesia definitas sequi et amplexari. Quod Vincentius Lerinensis loco mox laudato sic exponit: Consensionem quoque sequemur hoc modo: *Si in ipsa vetustate omnium vel certe pene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur*. Et Pamphilus martyr in Apol. pro Origene: *Illam solam recipiendam et credendam esse veritatem, quae in nullo apostolicis dogmatibus adversatur; illud autem teneri debere quod apostolicus et ecclesiasticus lector probaverit*. Et clarius Hieronymus lib. 3. adv. Ruf. *Propter unum verbum aut duo quae contraria Fidei sunt, multae haereses abjectae sunt ab Ecclesia*. Quibus adstipulatur Augustinus in lib. de Haer. scribens: *Possunt enim et haereses aliae*,

quae in hoc Opere nostro commemoratae non sunt, *vel esse vel fieri*, *quarum aliquam quisquis tenuerit*, *Christianus catholicus non erit*. Vide librum prope finem.

Secundo, ut societas catholica dici possit, requiritur ut diximus universalitas temporis: debet nimirum ad omne tempus extendi, ita ut inceoperit in Jerusalem per Apostolos, ab Apostolis ab Jerusalem usque ad nos derivaverit, et a nobis transeat ad posteros usque ad futuras aetates saeculique consummationem; unde Vincentius Lerinensis lib. supra memorato inquit: *Antiquitatem vero sequemur ita*, *si ab iis sensibus nullatenus recedamus quos sanctos majores et patres nostros celebrasse manifestum est*. Et Hieronymus Dial. adv. Lucif. *In illa Ecclesia permanendum est*, *quae ab Apostolis fundata usque ad hunc diem durat*. *Sic ubi audieris eos qui dicuntur Christi*, *non a D. N. J. C. sed a quoquam alio nuncupari*, *utpote Marcionitas*, *Valentinianos*, *Montenses seu Campitas*, *scito non esse Ecclesiam Christi*, *sed Antichristi esse synagogam*. *Ex hoc enim ipso quod postea instituti sunt*, *eos se esse indicant quos futuros Apostolus praenunciavit*. Clemens demum alex. lib. 7. Strom. paucis nostram confirmat sententiam: *Catholica vero Ecclesia semper fuit*.

Ulterius necessaria est universalitas loci; videlicet per totum orbem ita debet diffundi, ut omnia illius societatis membra eamdem inter se retineant communionem, in Fide, in Sacramentis, in legitimis Pastoribus subjectione. Quo sensu inquit Lerinensis loco saepe citato: *Sequemur autem universalitatem hoc modo*, *si hanc unam Fidem veram esse fateamur*, *quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia*. Porro haec universitas praenuntiata est de Ecclesia sua a Domino Deo Gen. cap. 22. et 26. sed clarius cap. 28. ubi benedicens Abraham ac semini ejus, *quod*, ait Apostolus, *est Christus*, inquit: *Erit semen tuum sicut arena*, vel ut aliis placet, *quasi pulvis terrae*: *dilataberis ad Occidentem*, *et Orientem*, *et Septentrionem*, *et Meridiem*: *et benedicentur in te*, *et in semine tuo cunctae tribus terrae*. In quae verba sic magnus Protoparens Augustinus: *Date mihi hanc Ecclesiam*, *si apud vos est*: *ostendite vos communicare omnibus gentibus*, *quas jam videmus in hoc semine benedici*. *Date hanc*, *aut furore deposito accipite*, *non a me*, *sed ab illo ipso in quo benedicantur omnes gentes*. Ita S. Parens lib. de Unit. Eccl. cap. 6. alloquitur Donatistas. Et cap. 10. *Numquid*, inquit, *et hoc obscure dictum*, *aut aenigmatis velamento inumbratum est*, *quod ipse Christus dixit*, *Quia sic scriptum est*, *et sic oportebat Christum pati*, *et resurgere tertia die*, *et praedicare in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes*, *incipientibus ab Jerusalem*?... *Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam*, *unde coeptura*, *et quousque perventura esset*; *coeptura scilicet ab Jerusalem*, *et perventura in omnes gentes*. Legite librum de Unit. Eccl. ubi multa affert S. Doctor Scripturae loca huc pertinentia. His ita animadversis tria modo demonstranda sunt. 1. Catholicitatem esse verae Ecclesiae notam. 2. Ecclesiam Romanam esse vere catholicam. 3. Ecclesiam Protestantium ac proinde omnium haereticorum non esse catholicam.

CONCLUSIO I.

Catholicitas est verae Ecclesiae nota .

Prob. I. Vera Ecclesia a falsa per *catholicitatem* primo intuitu a quovis homine secernitur. Nam S. Hieronymus in Dial. adv. Lucif. *In illa Ecclesia*, inquit, *permanendum est, quae ab Apostolis fundata usque ad hunc diem durat. Sic ubi audieris eos qui dicuntur Christi, non a D. J. C. sed a quoquam alio nuncupari ... scito non esse Ecclesiam Christi, sed Antichristi synagogam*. Cyrillus hierosol. Catech. 18. scribit: *Quod si forte veneris in civitates, non simpliciter interroga ubi sit dominium seu domus Domini; nam etiam haeretici suas speluncas domum Domini nominare volunt: nec petas ubi sit Ecclesia Dei, sed ubi catholica Ecclesia; hoc enim nomen proprium est hujus sanctae Ecclesiae matris omnium nostrum*. S. P. Augustinus cont. Ep. Fund. cap. 4. ait: *Sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere*. Et lib. de vera Relig. cap. 7. *Tenenda est nobis Christiana religio, et ejus Ecclesiae communicatio quae Catholica est, et Catholica nominatur*. S. Pacianus in Ep. ad Sempron. *Ab haeretico nomine noster populus hac appellatione dividitur cum catholicus nuncupatur*. S. Leander Hom. in Laud. Eccl. ait: *Haereses spinae sunt, eo quod foris a Dei paradiso, hoc est extra Ecclesiam catholicam nutriantur*. Per catholicitatem itaque vera a falsa Ecclesia ab omnibus facillime secernitur: proindeque catholicitas est verae Ecclesiae nota. II. In eo verae Ecclesiae nota reponenda est in quo illam antiqui Patres contra haereticos disputantes reposuerunt. Reposuerunt autem illam in catholicitate. Enim vero praeter ea quae jam allata sunt, Optatus milevitanus lib. 2. cont. Parmen. inquit: *Si apud vos tantum modo Ecclesiam esse vultis, apud nos non erit, nec in Hispania, in Italia, in Gallia, in Graecia, nec per tot innumerabiles insulas, et ceteras provincias ubi vos non estis. Ubi ergo proprietas catholici nominis? Cum inde Ecclesia dicta sit catholica, quod sit ubique diffusa*. S. P. Augustinus Tract. 3. in Ep. Johan. demonstrat haereticos ad Ecclesiam non pertinere, quoniam non habent eorum sectae catholicitatem: *Tenemus*, inquit, *haereditatem Christi: illi eam non tenent; non communicant orbi terrarum, non communicant universitati redemptae sanguine Domini*. S. Pacianus in saepe memorata Ep. ad Sempron. ita scribit: *Ego forte ingressus populosam urbem, hodie quam Marcionitas, quam Apelletianos, Cataphrygas, Novatianos, et ceteros hujusmodi compererissem qui se christianos vocarent, quo cognomine congregationem meae plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur?*

CONCLUSIO II.

Catholicitas quae est verae Ecclesiae nota, convenit ecclesiae Romanae.

Prob. 1. *Catholicitas* quae est verae Ecclesiae nota triplicem importat, ut diximus, universalitatem, doctrinae nimirum, temporis, et loci. Porro triplex isthaec universalitas ecclesiae Romanae apprime convenit. Et I. universalitas doctrinae, quae in eo consistit ut Christianorum societas omnes penitus errores, sive fundamentales sive non fundamentales, ab Ecclesia reprobatos damnet atque rejiciat, et e contra veritates singulas ab Ecclesia receptas ac definitas constantissime retineat et amplectetur. Societas autem quae ecclesia Romana dicitur, omnes damnat ac reprobat errores a vera Ecclesia damnatos, veritatesque singulas ab Ecclesia statutas ac definitas amplectitur constanterque retinet. Et sane, ecclesia Romana abominata semper est et adhuc horrori habet, errores in Marcionitis, Valentinianis, Manichaeis, Novatianis, Eunomianis, Arianis, Nestorianis, Eutychianis etc. damnatos atque rejectos, et nunc adhuc execratur eosdem eisdemque geminos errores, in Socinianis, Lutheranis, Calvinistis, Arminianis etc. E contra vero retinuit semper et adhuc constanter retinet veritates singulas a Christo et ab Apostolis traditas, atque ab Ecclesia sive in Conciliis adunata sive extra Concilia, successu temporis explicatas statutas ac definitas, ut vel ipsi adversarii concedunt. Quare ecclesiae Romanae universalitas competit doctrinae.

II. Eodem modo de universalitate temporis discurrendum est: quae in eo consistit, ut animadvertimus, quod coeperit ab Apostolis in Jerusalem, et ad nos usque sine ulla prorsus immutatione vel circa fidem vel circa regulas morum pervenerit. Et haec universalitas convenit utique ecclesiae Romanae; nullum quippe tempus assignari potest ab adversariis quo Romana ecclesia coeperit; nullaque objici ei potest doctrinae vel circa fidem vel circa mores novitas quam post Apostolorum aetatem introduxerit, aut de qua fuerit rationabiliter accusata. Unde etiam catholicitas hoc modo considerata propria est ecclesiae Romanae.

III. Convenit denique illi catholicitas seu universalitas loci, illa videlicet quae per universum orbem debet esse diffusa. Etenim eminet ecclesia Romana in Asia, in Africa, in America, in Europa: atque adeo catholicitas quoque loci servatur in ecclesia Romana.

Prob. 2. ex SS. PP. qui Ecclesiae catholicae nomine illam semper intellexerunt societatem, quae ecclesia appellatur Romana, quaeque communicat cum Romano Pontifice. Nam Tertullianus lib. de Praescr. cap. 36. *Si Italiae*, inquit, *adjaces, habes Romam unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix ecclesia! Cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni dominicae adaequatur*. Irenaeus lib. 3. adv. Haer. cap. 3. *Ad hanc ecclesiam* (Romanam) *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam*,

hoc est eos qui sunt undique Fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio. Cyprianus Ep. 52. ad Anton. *Scripsisti etiam ut exemplum earumdem literarum ad Cornelium trasmitterem, ut sciret te secum, hoc est, cum catholica Ecclesia communicare.* Ambrosius lib. 3. de Sacram. cap. 1. ait: *Petrus apostolus qui sacerdos fuit ecclesiae Romanae.* Et Orat. de Excessu Fratris num. 47. *Percontatusque ex eo est utrum cum Episcopis, hoc est, cum ecclesia Romana conveniret.* Hieronymus Ep. 14. ad Damas. Rom. Pont. *Ego Beatitudini tuae, idest cathedrae Petri, communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est.* S. P. Augustinus lib. 2. cont. Petil. cap. 51. *Cathedra tibi quid fecit ecclesiae Romanae, in qua Petrus sedit?* Et Ep. 43. subdit: *Romanae ecclesiae, in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus.* Fulgentius lib. de Incarn. et Grat. cap. 11. *Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet Paulique verbis, tamquam splendentibus radiis illustrata, eorumque decorata corporibus Romana, quae mundi cacumen est, tenet et docet ecclesia.* Petrus Chrysologus Ep. ad Eutych. *Hortamur te, frater honorabilis, ut iis quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas.* Reliquos praetereo.

CONCLUSIO III.

Catholicitas quae nota est verae Ecclesiae, non competit societatibus haereticorum.

Propositio haec ex superiori patet conclusione. Vera enim Ecclesia catholica una esse debet, ut praecedenti cap. 7. demonstravimus. Unde haereticorum societates catholicae nequeunt appellari. Nihilominus ostenditur seorsim. Universalitas doctrinae, temporis, et loci, nullo modo societatibus haereticorum aptari potest. 1. Non universalitas doctrinae. Nam nulla haereticorum societas omnes damnat errores quos rejicit ac damnat Ecclesia, aut veritates omnes amplectitur ab Ecclesia probatas ac definitas: quinimmo errores omnes sequi ac renovare gloriatur quos jam olim in aliis haereticis condemnavit vetus Ecclesia, et hodie in ipsis condemnat ecclesia Romana. Errorum exempla nonnulla adduximus in superioribus. Deinde nulla haereticorum societas universalitatem habet temporis, *Quum ante Valentinum*, ut inquit Irenaeus lib. 3. de Haer. cap. 4. *non fuerint qui sunt a Valentino; neque ante Marcionem essent qui sunt a Marcione.* Et Clemens alex. lib. 7. Strom. idipsum tradit his verbis: *Quod in Ecclesia catholica posteriora fuerint sua conciliabula, non est opus multis probare: catholica vero Ecclesia semper fuit.* In nulla demum haereticorum secta loci reperitur universalitas. Si qua enim haereticorum secta est quae ceteris sit diffusior, illa profecto est quae dicitur Protestantium. Quae nihilominus extra nonnullas occidentales plagas ubinam invenitur?

Paucissimi quidem reperiuntur in Oriente, sed vel ad mercaturam exercendam vel tamquam haeretici occidentales existimantur. Quare nulla haereticorum secta catholicitatem habet quae est verae Ecclesiae nota.

Diluuntur adversantium objectamenta.

Obj. 1. adv. 1. thesim. Aut nunquam vera extitit Ecclesia Christi, aut catholicitas non est verae Ecclesiae nota. Olim enim fuit Ecclesia, et tamen non fuit catholica, hoc est ubique diffusa: quod suadetur 1. testimonio Hieronymi qui adversus Luciferianos fidem facit Arianorum tempore totum ingemuisse mundum et se esse arianum agnovisse. Et in Ep. 38. scribit totum orbem orientalem arianum fuisse vel eunomianum, duobus exceptis, Athanasio nempe ac Paulino. 2. Ex S. Hilario qui in lib. de Synodis adv. Arianos affirmat intra decem Asiae provincias neminem Deum agnovisse praeter Eleusium, paucosque cum eo.

Resp. ad 1. Hieronymus cum dixit, *totus orbis ingemuit, et se arianum esse miratus est*, loquebatur hyperbolice et per emphasim quamdam. Patres enim Ariminensis Concilii quorum caussa haec ille protulit verba, nonnisi materialiter et necessitate compulsi Nicaeno contradixere Concilio in fidei formula, *substantiae* praetermittendo vocabulum: unde haeretici quodammodo fuerunt dumtaxat ut inquiunt materialiter, ab artibus decepti Arianorum. Hinc statim ac illorum fraudes agnoverunt, novam illam fidei quam approbaverant expositionem condemnarunt, et poenitentiae lacrymis innocens scelus, ut ita dicam, expiarunt. *Putavimus, ajebant, sensum congruere verbis, nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio ... Multaque alia quae brevitatis studio praetereo flentes asserebant, parati et subscriptionem pristinam, et omnes Arianorum blasphemias condemnare*. Ita Hieronymus loco ab adversariis allato. Alter ejusdem S. Doctoris locus ita intelligendus est, ut indicare voluerit ab Oriente primitus pestilentissimas haereses arianam et eunomianam duxisse exordium, ibique tunc temporis fuisse praecipue grassatas opera multorum Episcoporum impiorumque principum Constantii, Costantis, et Valentis: non quod duo tantum remanserint catholicae Fidei assertores, Athanasius videlicet ac Paulinus. Nam catholica Fides in Nicaeno I. Concilio jam definita, ac subinde ab omnibus propugnata, nedum a Paulino tunc et Athanasio, sed a Basilio, Gregorio nazianzeno, Gregorio nysseno, Cyrillo hierosolymitano, Eustachio antiocheno, aliisque bene multis defendebatur. Commemorat nihilominus S. Doctor Athanasium et Paulinum, quoniam hi primi patriarchalium sedium erant antistites.

Ad 2. respondet S. P. Augustinus Ep. 93. esse quidem tempora quando Ecclesia ab scandalorum multitudine obscuratur, et quasi obnubilatur, verum nunquam extingui aut obliterari penitus. Quinimmo in paucis eminet firmius, et clarius splendescere cernitur. *Erat tempus de quo scripsit Hilarius, unde putasti insidiandum contra testimonia tot*

divina, tamquam perierit Ecclesia de orbe terrarum ... Quis enim nescit illo tempore obscuris verbis multos parvi sensus fuisse delusos, ut putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant : alios autem timore cessisse et simulate consensisse, non recte ingredientes ad veritatem Evangelii ? Et infra: *Quamquam et illi, qui tunc firmissimi fuerunt, et verba haereticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione ceterorum, sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant. Ac sic Ecclesia, quae per omnes gentes crescit, in frumentis dominicis conservata est.* Ita S. Pater loco commemorato.

Obj. 2. adv. 2. prop. Ecclesiae Romanae non convenit catholicitas. Quia si paucas excipias regiones, ceteris mundi partibus Principes dominantur infideles haeretici aut schismatici, non romani catholici. II. quia nullibi legitur promissam ecclesiae Romanae fuisse catholicitatem. III. quoniam nullibi extat in sacris Scripturis vel Christi vel Apostolorum praeceptum quo explicita vel implicita jubeatur cum Rom. Pontifice communicatio.

Resp. ad 1. Vide quae diximus capite hujus libri 5. in resp. ad primum, ne eadem bis repetamus.

Ad 2. Ei Ecclesiae promissa est a Spiritu sancto catholicitas, in cujus cathedra sedit Petrus Christi Domini in terris vicarius, quaeque prioribus quinque saeculis cum Summo Pontifice Petri successore communicabat. Haec autem est ecclesia Romana. Deinde ostendant haeretici cuinam alteri ecclesiae promissa catholicitas fuerit.

Ad 3. Certum est praecepisse Christum Fidelibus suis explicitam implicitamque ad se invicem, et cum Ecclesiae Pastoribus communionem. Cumque inter Ecclesiae Pastores Petri successor, hoc est Romanus Pontifex, tamquam totius Ecclesiae centrum et caput emineat, consequitur ex Christi praecepto debere cum Romano Pontifice communicare.

Obj. postremo cont. 3. thes. Donatistae etiam et alii haeretici dicti sunt catholici.

Resp. Donatistas aliosque haereticos vocatos nonnumquam fuisse catholicos a seipsis, non autem ab aliis. Nunquam Ariani v. g. catholicos dixere Nestorianos, neque Nestoriani Eutychianos, et ita de ceteris. Ast vero omnes omnino haeretici eos qui Rom. Pontifici communicabant, semper appellaverunt catholicos; unde optime inquit S. P. Augustinus contra epistolam Manichaei, quam vocant Fundamenti, cap. 4. *Tenet me ipsum Catholicae nomen, quod non sine caussa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere.* Et revera triplex universalitas quam significat catholicitas, nulli haereticorum convenit societati.

CAPUT X.

De apostolicitate Ecclesiae.

Ecclesia illa *apostolica* est quae ab Apostolis ducit originem, ut ex ipso nomine patet. Verum quum haeretici saepe jactent illorum quoque societates fuisse ab Apostolis institutas, ac propterea Novatores nonnulli se apostolicos vulgo nominant et haberi volunt, disquirendum nunc serio est quo sensu vera Christi Ecclesia dici debeat apostolica. Profecto si Christianorum societas sit apostolica, veram Christi Ecclesiam esse necesse est; quum in Apostolis primitus, et per Apostolos a Christo Domino fuerit Ecclesia fundata et instituta. Ast vero ut Christianorum societas apostolica vere dici possit, tria praecipue requiruntur. 1. Ut constet a Christo fuisse per Apostolos fundatam atque propagatam. A Christo quidem, quoniam in Scriptura saepe dicitur Christum acquisivisse sibi Ecclesiam sanguine suo, sponsam suam esse, ovile etc. Per Apostolos, quoniam illis dixit Christus: *Euntes docete omnes gentes*; et alibi: *Praedicate Evangelium omni creaturae*; Petro autem: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*; ac de singulis inquit Paulus ad Ephes. cap. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos ... ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi*. Quid autem sit corpus Christi explicat ad Colos. cap. 1. inquiens, *Quod est Ecclesia*. 2. Requiritur ut eamdem numero doctrinam tum quoad fidei dogmata, tum quoad regulas morum retineat et profiteatur, quam olim Apostoli a Christo acceperunt, ipsi professi sunt et posteris tradiderunt. Quaenam vero Apostolorum fuerit doctrina, non ex Scriptura dumtaxat, ut haeretici volunt, sed etiam ex Traditione cognosci debet, ut suis locis agentes de sacra Scriptura demonstravimus. 3. Necesse est ut apostolicam habeat auctoritatem, hoc est, ut Christianorum societas a legitimis regatur Apostolorum successoribus. Quum enim nemo in Ecclesia sibi ministerium assumere possit nisi ille *qui vocatur a Deo, tamquam Aaron*, ut inquit Apostolus ad Hebr. cap. 5. et ad Rom. cap. 10. *Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* qui sibi ministerium assumit, vel extraordinariam et immediatam a Deo habere debet missionem, vel ministerium ab iis qui illud per legitimam successionem ab Apostolis habuerunt, accepisse opus est. Cumque extraordinaria ac immediata a Deo missio locum in nova lege non habeat, propterea quod Ecclesiae sponsae suae Christus perpetuam sui spoponderit praesentiam, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*; societas illa proprie apostolicam habet auctoritatem, quae a legitimis successoribus regitur Apostolorum. His ita explicatis sit

CONCLUSIO I.

Apostolicitas est verae Ecclesiae nota.

Prob. *Apostolicitas* signum illud est et character quo a falsa Ecclesia

vera secernitur. Nam apostolicitas ita verae convenit Ecclesiae, ut falsis haereticornm schismaticorumque conventiculis competere nequeat. Enim vero tria importat, ut animadvertimus, apostolicitas; ut societas nimirum Christianorum instituta sit et propagata a Christo per Apostolos: ut eamdem doctrinam quam Apostoli professi sunt et praedicarunt, constanter retineat: et ut per legitimam Apostolorum successionem apostolicam habeat auctoritatem. Porro tria haec ita verae competunt Ecclesiae, ut haereticorum schismaticorumque societatibus haud conveniant.

Et I. vera Christi Ecclesia ab ipso Christo Domino fuit per Apostolos fundata et propagata. Nam Christus in Ep. ad Eph. cap. 5. caput visibile dicitur Ecclesiae suae: *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae*. Rursus dicitur Ecclesia corpus Christi ad Colos. cap. 1. *Pro corpore ejus, quod est Ecclesia*. Fideles unum dicuntur cum Christo ad Gal. cap. 3. *Omnes vos unum estis in Christo Jesu*. De Apostolis vero Ecclesiae fundatoribus propagatoribusque illud retulisse sufficiat quod idem Apostolus scribit ad Eph. cap. 2. *Superaedificati super fundamentum Apostolorum*. Quare apposite Tertullianus de Praescr. cap. 20. inquit: *Apostoli ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur ut ecclesiae fiant; ac per hoc et ipsae apostolicae deputantur, ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantae ecclesiae una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes*. Vera itaque Ecclesia a Christo fundata est per Apostolos et propagata. Et quidem sola; unaquaeque enim haereticorum secta suum habet alium a Christo et ab Apostolis institutorem ac propagatorem: unde idem Tertullianus ibid. cap. 37. sic haereticos alloquitur: *Qui estis vos, quando, et unde venistis?*

II. vera Christi Ecclesia dumtaxat apostolica est ratione doctrinae, ut probe ait Tertullianus libro proxime memorato cap. 21. dicens: *Constat proinde omnem doctrinam quae cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus Fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. Omnem vero doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei*. Et Irenaeus lib. 3. cap. 3. *Habemus enumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos: qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt quale ab illis deliratur*. Ex quibus ad oculum constat solam Christi Ecclesiam apostolicam retinere doctrinam sive scriptis sive oretenus traditam. Haeretici quippe vel nova Apostolis penitus inaudita invenere dogmata, vel apostolica dogmata perfricta fronte negarunt et rejecerunt. Audias Hieronymum in Ep. ad Pammach. et Ocean. *Quisquis assertor es novorum dogmatum, quaeso te, ut parcas romanis auribus, parcas Fidei quae apostolica voce laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris quod ante nescivi-*

mus? Cur profers in medium quod Petrus et Paulus edere noluerunt? Usque in hanc diem sine ista doctrina mundus christianus fuit.

III. demum sola Christi Ecclesia per legitimam successionem auctoritatem habet Apostolorum. Hanc siquidem de vera Ecclesia ideam veteres habuere Patres; unde Cyprianus Ep. 69. inquit: *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes Ecclesiam esse in Episcopo, et Episcopum in Ecclesia.* Et Irenaeus lib. 4. de Haer. cap. 26. *Eis qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus: qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt; reliquos vero qui obsistunt a principali successione, et quocumque loco colligunt suspectos, habere vel quasi haereticos et malae sententiae.* Habes in allata sententia penes solam Ecclesiam, non vero penes haereticos auctoritatem vigere per legitimam successionem Apostolorum. Quare Tertullianus in saepe laudato libro Praescr. cap. 37. eleganter inquit: *Quid in meo agitis non mei? Quo denique, Marcion, jure silvam meam caedis? Qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? Qua potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus quorum fuit res.* Quum igitur sola Christi Ecclesia characteres habeat ad veram requisitos apostolicitatem, sequitur ei soli competere apostolicitatem; ac proinde apostolicitatem verae esse Ecclesiae notam: quod erat hac propositione demonstrandum.

CONCLUSIO II.

Apostolicitas verae Ecclesiae nota convenit ecclesiae Romanae.

Prob. Apostolicitas quae est verae Ecclesiae nota, tria praecipue significat; apostolicam videlicet originem, apostolicam doctrinam, apostolicam auctoritatem. Triplex autem haec apostolicitas convenit proculdubio ecclesiae Romanae. Quod iisdem patet momentis quibus praecedenti propositione probavimus apostolicitatem esse verae Ecclesiae notam. Quae enim ad id suadendum veteres protulere Patres, de ecclesia intelligi debent Romana, quum de illa loqui intelligerent adversus eorum temporum heterodoxos. Nihilominus ostenditur thesis seorsim qnoad singulas partes.

I. Ecclesia Romana est apostolica, quoniam ab ipsis Apostolis fundata est. Tertullianus enim adv. Marc. lib. 4. cap. 5. *Videamus*, inquit, *quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium et Petrus et Paulus sanguine proprio suo signatum reliquerunt.* Irenaeus lib. 3. adv. Haer. cap. 3. scribit: *Maxima et antiquissima et omnibus cognita a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundata et constituta Ecclesia.* Cyprianus Ep. 52. ad Antonian. ait: *Factus est Cornelius Episcopus cum Fabiani locus, idest, cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret.* Hieronymus de Viris illustr. *Petrus secundò Clau-*

dii anno Romam pergit, ibique 25. annis cathedram sacerdotalem tenuit. Ambrosius lib. 3. de Sacram. cap. 1. *Petrus apostolus qui sacerdos fuit ecclesiae Romanae*. S. P. Augustinus lib. 2. cont. Petil. cap. 51. *Cathedra tibi quid fecit ecclesiae Romanae, in qua Petrus sedit?* Gemina his habent Scriptores omnes ecclesiastici usque ad nostra tempora. Ecclesia ergo Romana apostolica est secundum originem, quia ab ipsis Apostolis fundata.

II. sed apostolica quoque est ratione doctrinae. Petrus namque qui, ut mox demonstratum est, Romanam fundavit ecclesiam, non aliam quam doctrinam suam a Christo acceptam ecclesiae illi tradidit. Hinc Tertullianus lib. de Praescr. cap. 36. ait: *Ista Romana quam felix ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt!* Et Irenaeus lib. 3. adv. Haer. cap. 3. *In qua* (ecclesia Romana) *conservata est ea quae ab Apostolis est traditio*. Et Fulgentius lib. de Incarn. et Grat. cap. 11. *Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet Paulique verbis ... Romana, quae mundi cacumen est, tenet et docet ecclesia* etc.

III. gaudet denique Romana ecclesia apostolica auctoritate, legitima nempe Episcoporum ab Apostolis successione. Augustinus enim cont. Ep. Fundam. cap. 4. *Tenet*, inquit, *ab ipsa sede Petri Apostoli ... usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum*. Et Irenaeus loco nuper laudato: *Quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae q gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo fundatae et constitutae ecclesiae, eam* etc. Sed ne multarum Patrum oneremus paginas sententiarum, audiamus iterum Tertullianum in libro et capite paullo supra commemoratis clarius ceteris loquentem: *Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae: percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident ... Proxima est tibi Achaja, habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est*.

Verum quum adversarii non diffiteantur Ecclesiam quinque priorum saeculorum fuisse vere apostolicam, post illam autem aetatem a suo descivisse candore: breviter nunc demonstrandum est ecclesiam nostram Romanam quae hisce viget temporibus, eamdem esse cum Ecclesia quinque priorum saeculorum. Nam praesens ecclesia Romana eumdem habet auctorem, eamdem doctrinam, auctoritatem eamdem cum quinque priorum saeculorum Ecclesia. Et 1. eumdem habet auctorem; si enim alium a Christo et ab Apostolis haberet, ab adversariis assignaretur quis fuerit, quando fuerit, et ubi fuerit. Assignari autem non potest quis fuerit, quoniam nomine illius nos profecto appellarent; quomodo Ariani ab Ario, Macedoniani a Macedonio etc. Lutherani a Luthero, Calvinistae a Calvino nuncupantur: quod ipsi tamen nunquam fecerunt. Quoad tempus, affirmant quidem ecclesiam nostram in sectam coalescere coepisse post quintum sae-

culum : sed neque id probant, neque absolute affirmare audent, neque ad invicem conveniunt. Locum vero ubi ecclesia nostra incoeperit, nunquam ausi sunt indicare. Ecclesiae igitur nostrae auctor ac propagator idem est ac auctor et propagator Ecclesiae quinque priorum saeculorum.

II. sed eadem etiam est nostrae ecclesiae doctrina, ut ex utriusque comparatione deprehendi facile potest. Deinde adversarii ipsi veritate cogente fatentur dogmata ecclesiae nostrae tradita quondam fuisse a Justino, Irenaeo, Cypriano etc. unde Calvinus Inst. lib. 3. cap. 5. scriptum reliquit: *Ante mille et trecentos annos usu receptum fuisse, ut precationes fierent pro defunctis; sed in errorem lapsos esse Veteres*. Eadem utitur phrasi ubi de caelibatu sacerdotum, de satisfactione, de publica poenitentia, de jejunio quadragesimali, aliisque similibus verba facit.

III. fruitur tandem ecclesia nostra eadem quam quinque priorum saeculorum Ecclesia habebat auctoritate. Nam 1. demonstrare nequeunt adversarii nostram ecclesiam ab aliqua majori societate Christianorum se aliquando separasse; imo certo certius scimus universum christianum orbem post quintum saeculum cum Romano Pontifice communicasse, ut ex generalium celebratione Conciliorum ad quae tum Orientis tum Occidentis convenere Catholici, luculentissime patet. 2. Demonstrari e contra facillime potest Episcopos qui ecclesiam nostram moderantur, incipiendo ab eorum capite Romano Antistite, omnes non interrupta serie legitime succedere Apostolis. Quare ecclesia nostra eadem prorsus est ac Ecclesia quinque priorum saeculorum ratione tum originis tum doctrinae tum auctoritatis: atque adeo vere apostolica est.

CONCLUSIO III.

Societas Protestantium nullo modo apostolica dici potest.

Prob. Societas Protestantium auctorem non habet Christum, nec Apostolos. Nam Lutherani instituti sunt a Luthero, Calvinistae a Calvino, Zuingliani a Zuinglio. Societas Protestantium doctrinam non profitetur Apostolorum: tum quia complures errores a priorum saeculorum Ecclesia, in Simonianis, Novatianis, Arianis, Pelagianis, aliisque damnatos pugnaciter defendunt; tum etiam quia ipsimet fatentur se a primitivae Ecclesiae Fide in pluribus recedere. Non habet denique illa societas auctoritatem apostolicam, quum eorum pastores non succedant Apostolis; neque enim aliquos laudare possunt episcopos qui eos praecesserint usque ad Apostolos retrogradiendo. Quare provocare illos licet Tertulliani verbis quae in lib. de Praescr. cap. 32. habet: *Edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctoritatem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae apostolicae census suos deferunt, sicut Smyrnaeorum ecclesia habens Polycarpum ab Jo-*

hanne collocatum refert; sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum edit; proinde utique et ceterae exhibent, quos ab Apostolis in episcopatu constitutos, apostolici seminis traduces habent.

CAPUT XI.

Contraria argumenta expediuntur.

Obj. 1. cont. 2. prop. Ecclesia Romana non habet legitimam ab Apostolis successionem. I. quoniam complures Romani Pontifices in Petri cathedram vel simoniace vel ab Imperatoribus intrusi fuerunt. Tunc ergo legitima ab Apostolis successio cessavit. Qui enim ab his ordinati fuerunt Pontificibus, Apostolis certe non successerunt. II. jamdiu Romani Pontifices eligi a Cardinalibus consueverunt: qui de institutione divina quum non sint, nequeunt Romanae ecclesiae Antistiti successionem a Petro tribuere. III. plerique Episcopi non modo a Regibus eliguntur, sed multi episcopales cathedras occupant per simoniam.

Resp. ad 1. Aliud est electio, et aliud ordinatio. Haec, non illa divinam dat missionem atque legitimam successionem ab Apostolis. Etsi ergo Romani Episcopi vel a populo vel ab Imperatoribus etiam per vim et contra fas fuerint quandoque electi et in Petri cathedram intrusi, non a populo tamen vel ab Imperatoribus, sed ab Episcopis ordinationem acceperunt: atque adeo valida illorum ordinatio fuit, proindeque legitima ab Apostolis successio nunquam fuit interrupta. Idem dicendum ad 2. et 3. Cardinales Romanum Pontificem, Reges Episcopos eligunt dumtaxat, non eis ordinationem conferunt. Neque Cardinales aut principes eligendi jus sibi usurparunt: sed ab Ecclesia sponte ipsis justis de caussis concessum fuit. Quod si Episcopi per simoniam intrusi, rite sint ordinati et ab Ecclesia tolerentur, jam veri Episcopi sunt quamdiu ab Ecclesia tolerantur; poenae siquidem omnes contra Episcopos intrusos et simoniacos statutae quum sint in Conciliis, leges sunt positivae: a quibus Ecclesia dispensare intelligitur, quoties illos acceptat, et tamquam veros Episcopos aut Pontifices habet. Neque repugnat dicere divinitus mitti Episcopos illos qui vel per avaritiam vel per ambitionem episcopales sedes invadunt. Nam duplicis generis est divina missio; interior una quam gratia sanctificans comitatur, alia vero exterior quae habetur per ordinationem. Episcopis qui vel per avaritiam vel per ambitionem episcopales sedes invadunt quamvis desit prioris generis missio, non deest tamen exterior quae, ut Episcopi divinitus missi dicantur, sufficit. Hinc de hujusmodi Pastoribus Christus inquit: *Quaecumque dixerint vobis, servate et facite: secundum opera vero eorum nolite facere.*

Obj. 2. cont. 3. prop. Tota ratio cur Protestantium societas dici nequit apostolica, est quoniam illorum pastores legitimam non habent ab Apostolis missionem. Id autem falsum est: quoniam quamvis Protestantium pastores non succedant Apostolis directe, ab illis tamen indirecte de-

scendunt; praedicant enim Evangelium quod a Christo et Apostolis traditum ab initio fuit. II. primi societatis Protestantium auctores ordinati jam fuerant in ecclesia Romana. III. in communione saltem anglicana legitima viget ab Apostolis successio. Hujus quippe communionis auctores episcopi erant in ecclesia Romana ordinati. IV. neque dici potest anglicanos episcopos anathemate a Romana ecclesia percussos, a potestate descivisse ordinandi. Nam ecclesia potius Romana eam potestatem amisit, quum reformatores a sua communione amovendo, injuste crudeliterque se gesserit.

Resp. ad 1. Commentitia penitus est illa indirecta missio quam a Deo se habuisse jactant heterodoxi. Missio quippe alia ordinaria est, alia extraordinaria. Porro Lutherani, Zuingliani, Calvinistae, aliique Novatores, nec ordinariam nec extraordinariam a Deo habuerunt missionem. Primo non ordinariam qua ministerium ab iis qui Apostolis successerunt accipitur. Etenim hoc ministerium accepissent vel ab ecclesia Romana vel ab aliqua alia ecclesia. Hoc secundum dici nequit: tum quia certo scimus Lutherum, Zuinglium, Calvinum, aliosque reformatores, baptizatos enutritosque fuisse in ecclesia Romana; tum etiam quia nullam proferre possunt ecclesiam cui post defectionem ab ecclesia Romana sese adjunxerint. Fateri ergo coguntur se requisitum accepisse ministerium ab ecclesia Romana in qua sola tunc erat, et etiam nunc legitima Episcoporum ab Apostolis successio viget. Ast vero qua fronte id affirmare auserint reformatores? Enim vero tempore quo Lutherus, Zuinglius, Calvinus a Romana ecclesia defecerunt, vel vera erat Ecclesia vel jam fuerat a Deo repudiata. Si hoc dixerint, invalida ergo ac illegitima illorum fuisset missio, utpote ab ecclesia procedens, quae quum vera non esset Ecclesia, potestatem non habebat jurisdictionis. Quod si societatem Romanam veram tunc fuisse fateantur Ecclesiam, potestatemque habuisse jurisdictionis, illorum caussa jam finita est. Ecclesia enim Romana quae, ut supponitur, potestate gaudebat jurisdictionis, in Lutherum hujusque furfuris alios anathema pluries intorsit: ac proinde ministerium omne ac pastoratus officium, si unquam illis dedisset, eo anathemate ab illis amovit. Sicque illorum societates dici apostolicae nequeunt ratione missionis ordinariae. Secundo, illos autem haud accepisse a Deo missionem extraordinariam probatione non indiget. Hanc siquidem comitari debent ac comprobare mirabilia signa, divinaque miracula; ut in missione Moysis, Aaron, Prophetarum, Christi, et Apostolorum factum est: unde de seipso Christus Dominus inquit Johan. cap. 10. *Opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me*; et iterum: *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: et si mihi non vultis credere, operibus credite.* En Christus ad suam missionem comprobandam provocans inimicos suos, ad miracula provocat. Ast afferant Novatores si valent, mirabilia signa et miracula ad suorum confirmandam institutorum missionem a Deo patrata.

Probent se novos Apostolos esse ... Volo igitur et virtutes eorum proferre, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum qua Apostolos in perversum aemulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt, scribit Tertullianus lib. de Praescr. cap. 30. Et Pacianus Ep. 3. ad Sempron. inquit: *Linguis* (Novatianus) *locutus est? prophetavit? suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquod habere debuerat, ut Evangelium novi juris induceret*. Nullam igitur Protestantium societatis auctores a Deo habuere missionem: atque adeo apostolica dici non potest. Nec refert quod Christi Evangelium se praedicare glorientur. Nam gloriationem hanc communem habent cum omnibus antiquis haereticis: qui quam infeliciter verbo Dei abuterentur, ex Protestantibus ipsis discere possumus.

Ad 2. dico 1. Ecclesia Romana vel tunc erat vera Ecclesia, vel non erat. Si primum, Protestantium institutores illam deserentes, et altare contra altare erigentes, fuerunt schismatici; adeoque jure suo exciderunt. Semel enim admisso ecclesiam Romanam fuisse tunc veram Christi Ecclesiam, jus habuisse intelligitur auferendi ab iis qui in eam rebellarunt ministerium; ut factum est olim cum Macedonio, Nestorio, Dioscoro, aliisque Veteribus. Si vero dicant societatem Romanam veram tunc non fuisse Ecclesiam, cur jactant ministerium ab haereticis, apostatis, et idololatris acceptum? 2. Ordo quem Lutherus, Zuinglius, nonnullique alii Protestantium fundatores ab ecclesia Romana acceperunt, nil aliud valuit illis conferre quam potestatem conficiendi Christi corpus, ac remittendi peccata; neque enim ipsi erant episcopi. Quo itaque jure omnia exercuerunt pastoratus officia? *Qua auctoritate, nemine episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt?* ajebat Cyprianus in lib. de Unit. Eccl. Quo titulo demum alios consecrarunt pastores qui Christianorum praeessent societati? *Unde igitur presbyter Ischyras? Quo ordinante? Num Colluthо? Id enim solum restat. Atqui Colluthum presbyterum obiisse, ambasque ejus manus sine auctoritate fuisse, ac omnes qui ab eo schismatis tempore ordinati sunt ad laicorum statum redactos, ita convenientibus interesse, omnibus notum ac nulli dubium est*, ut in Ep. Synodi alex. apud Athan. legitur. 3. Allatum argumentum nullo modo favet Calvino ejusque sectatoribus: qui nec ab ecclesia Romana nec ab Episcopis, sed a viris laicis fuere ordinati, quibus nullum jus est aut ordinem aut pastoratus officium conferendi, juxta illud Epiphanii lib. de Haer. in haer. Arii: *Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat?*

Ad 3. Legitima Episcoporum ab Apostolis successio in Anglia perseveravit usque ad Henrici VIII. obitum; quoniam qui usque ad tempus illud ordinati fuerant Episcopi, quamvis schismati Novatorumque erroribus adhaerentes, Henricum ipsum in Romani Pontificis locum pro Ecclesiae capite recognoverint; nihilominus et ante et post funestum illud schisma, materia et forma quae in vera Christi Ecclesia fuerant usurpata adhibitis, episcopalem ordinem receperant. Ast post Henrici mortem in

ejus locum Eduardo VI. suffecto, ecclesiastica omnia in deterius mutata fuerunt, illaque praecipue quae ad Episcoporum pertinent ordinationem. Nam anno 1547 rejecta in londinensibus comitiis veteri in Episcopi consecratione adhiberi solita forma, novam erroribus plenam adsciverunt, quae in Eduardi VI. ritnali approbato rursus an. 1562. in londinensi pseudosynodo ita habet: *Deus omnipotens Pater noster caelestis, qui hanc tibi voluntatem* (rejiciendi nempe apostolicas traditiones et Romanae ecclesiae doctrinam, ut in Fidei professione quae consecrationi praemittitur protestatur Electus) *concessit, concedat insuper vires, ac facultatem ad haec efficaciter praestanda; ut opus istud suum, quod coepit in te, absolvat, teque integrum et inculpabilem inveniat in illo supremo die, per J. C. D. N. Amen*. Quod si vana est et irrita consecratio, vana quoque erit Angliae episcoporum ab Apostolis successio.

Ad 4. Ecclesia Romana quod praetensae reformationis auctores a sua communione separaverit, nec ordinandi amisit potestatem, nec vera Ecclesia esse desiit; quoniam excommunicationis in eos lata sententia justissima fuit. Qua enim de caussa anathema in illos intorsit? Quoniam errores in Henricianis, Waldensibus, Albigensibus, Wiclefitis, Hussitis, aliisque jamdiu damnatos amplectebantur, pertinaciterque propugnabant. Ast excommunicationis sententia in memoratos haereticos lata, nonne justissima fuit? Nec proinde ecclesia Romana vera esse desiit Ecclesia: unde nec iniqua fuit anathematis sententia lata in reformationis auctores, nec ea de caussa esse desiit vera Ecclesia. Jam late patet Protestantium subterfugium. Ad salvandam scilicet in eorum societate legitimam ab Apostolis successionem, ecclesiam Romanam veram concedunt esse Ecclesiam. Et ne aperti schismatis redarguantur, non verentur sibi contradicere, atque Romanam ecclesiam quod illos a sua communione semoverit, veram esse negant Ecclesiam. Miseri qui ita in caput suum mentiuntur! Sed demus (quod tamen falsissimum est,) anathematis fulmen in Novatores fulguritum injustum fuisse. An ne propterea jus erat illis altare contra altare, ecclesiam contra ecclesiam aedificare, aliamque constituere Christianorum societatem ab ecclesia Romana independentem? An ne duae dari possunt verae Christi Ecclesiae? Ipsorum ergo erat eo in casu non schisma facere et in eorum matrem Ecclesiam rebellare, sed regulam a S. Augustino traditam sequi: qui in lib. de vera Relig. cap. 6. *Saepe*, inquit, *etiam sinit divina providentia, per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione Christiana, etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam suam cum patientissime pro Ecclesiae pace tulerint, neque ullas novitates vel schismatis vel haeresis moliti fuerint, docebunt homines, quam vero affectu, et quanta sinceritate charitatis Deo serviendum sit ... sine ulla conventiculorum segregatione usque ad mortem defendentes, et testimonio juvantes eam fidem, quam in Ecclesia catholica praedicari sciunt*.

Obj. 3. cont. eamd. prop. Novatores ut reformarent Ecclesiam, nec ordinaria nec extraordinaria indigebant missione. Nam Ecclesiae status un-

dique corruptus erat ac depravatus. Charitatis autem ordo postulat ut unusquisque praesenti malo pro viribus occurrat non expectata vel ordinaria vel extraordinaria missione, ut patet exemplo Regum qui depravatam synagogam antiquitus reformarunt. II. et revera plures Fideles laici, ut Athenagoras, Minutius Felix, Lactantius, Boetius, et alii, pro catholica Fide decertarunt haereticorum errores profligantes. Cur ergo non licuit Luthero, Calvino, Zuinglio, Ecclesiam reformare? III. aliqui Fideles simplices laici Evangelium annuntiarunt Judaeis atque Gentilibus, ut ex Act. Ap. cap. 8. liquet, ubi sic legitur: *Qui dispersi erant pertransibant, evangelizantes verbum Dei;* et ex Theodoreto H. E. lib. 1. cap. 23. narrante Edesium et Frumentium adolescentes Christum annuntiasse Ethiopibus.

Resp. ad 1. Primo, status Ecclesiae, Lutheri, Calvini, aliorumque reformatorum aetate corruptus utique erat in moribus multorum Fidelium qui in Ecclesia vivebant, sed minime depravatus erat in iis quae ad dogmata Fidei morumque regulas spectant; neque enim vel unicum Fidei aut morum afferre poterunt errorem quem ecclesia Romana adoptaverit: unde non opus erat ut tam insolenter in Ecclesiam eorum matrem Protestantes insurgerent. Secundo, reformatio autem in moribus qua Ecclesia illis temporibus indigebat, ut fassi sunt etiam Tridentini Concilii Patres, numquid eo modo facienda erat quo eam aggressi sunt, Lutherus, Calvinus, Zuinglius? Ad illud praestandum impendenda erant charitatis officia, non auctoritas quae in Episcopis tantum residet insolentissime usurpanda, juxta illud Apostoli ad Titum cap. 1. *Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Quare priorum reformationis auctorum pervicacia nullo modo excusari potest. Tertio, exemplum autem a piis synagogae Regibus desumptum, nostram potius confirmat quam destruat sententiam. Non enim ii ad corruptos Judaeorum reformandos mores sacerdotium usurparunt, sed curarunt dumtaxat ut sacerdotes ipsi proprio ministerio recte fungerentur; unde in lib. 2. Paral. cap. 29. de Ezechia legitur: *Dixitque sacerdotibus filiis Aaron ut offerrent super altare Domini* etc. Et e contra, Core, Dathan, et Abiron ob usurpata sacerdotii munera meritas poenas dederunt.

Ad 2. et 3. Fideles laici profligarunt errores et Evangelium annuntiarunt non actum jurisdictionis exercendo, ut praetensae reformationis capita fecerunt, sed officia charitatis impendendo. Hinc de Athenagora, Minutio Felice, aliisque, legimus quidem eruditione summa qua pollebant haereticos confutasse, nullibi autem legimus cathedram sibi erexisse, vel sacerdotii exercuisse officia. Idipsum de laicis viris in Act. Apost. commemoratis intellige, et de Frumentio: de quo ultimo idem Theodoretus narrat retulisse quod penes Ethiopes egerat ad Athanasium, a quo sacro episcopatus ordine accepto, rediit subinde ad gentes illas recens ad Fidem conversas regendas, ac pietatis doctrina excolendas. Ceterum si adversariorum valeret argumentum, sequeretur etiam mulieres pastoratus exercere posse munia, quoniam de iis quoque in Act. Ap. legitur annuntiasse aliquando infidelibus Evangelium.

Obj. 4. cum Jurio. Nulla ad constituendos in Ecclesia pastores opus est missione. Nam quaelibet societas de jure naturae habet ut ministros societatis regimini necessarios sibi eligere possit. Cumque Ecclesia et ipsa societas sit, ipsa quoque jus habet sibi eligendi ministros. II. cohaeret opinio haec cum romanorum aliquot theologorum sententia quae tenet quod si omnes Episcopi ac Presbyteri simul et semel e vivis decederent, ea in hypothesi potestas esset penes laicos novos ordinandi Episcopos atque Presbyteros. III. dici potest demum praetensae reformationis auctores missionem a Deo habuisse extraordinariam, quoniam eorum missionem Deus miraculo comprobavit; quum absque singulari divina virtute fieri non potuerit ut intra brevissimi temporis spatium tam ingens populorum multitudo Lutherum, Calvinum, aliosque sequeretur.

Resp. ad 1. Quamvis societas quaelibet de jure naturae habeat ut eos qui ad illam regendam necessarii sunt eligere sibi possit, falsum tamen est jus idem habere ubi de societate quae Ecclesiam Christianamque constituit religionem sermo fit. Ecclesia namque societas est a Deo ita instituta, ut et illius essentia et proprietates et hierarchia et quidquid ad eam conservandam ampliandamque necessarium est, non a lubitu hominum, sed a Deo ipso dependeat. Hinc Christus non a seipso nec ab hominibus, sed a Patre sacerdotium accepit, ut inquit Apostolus in Ep. ad Hebr. cap. 5. *Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret*. Et Christus idem deinde sacerdotium contulit Apostolis suis Johan. cap. 20. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*. Apostoli praeterea ordinarunt Episcopos; unde universa Traditio eos Apostolorum appellat successores. *Episcopi Apostolis ordinatione vicaria successerunt*, scribit Cyprianus Ep. 41. vel ut Concilium Aquisgranense post S. Hieronymum in Ep. ad Heliod. inquit: *Episcopi apostolico gradui succedentes*. A Deo itaque est, non ab hominibus jus eligendi ministros ad regendam Ecclesiam.

Ad 2. dico aberrasse a vero quam longissime paucos illos theologos qui viris laicis jus ordinandi etiam in allata hypothesi attribuerunt. Nihil enim horum vel in Scriptura vel in veteribus Patribus legitur. Imo ex his eruitur eam hypothesim impossibilem esse, quum divinae repugnet providentiae quae praesentiam suam usque ad saeculi consummationem spopondit Ecclesiae.

Ad 3. Si argumentum aliquid concluderet, probaret etiam Mahumetem extraordinariam accepisse a Deo missionem, quoniam magna populorum multitudo illius religionem brevissimo temporis spatio amplexata est. Proportione igitur servata, eodem modo mahumetana ac Protestantium secta propagata est. Illa scilicet Mahumetis ingenti violentia, haec principum auctoritate, caede, ferro: illa laxissimam proponendo regulam morum, haec liberiorem prae veterum Christianorum vita normam permittendo vivendi. An ne miraculo opus erat ut ejusmodi reformatio intra brevissimum tempus propagaretur? Faxit Deus O. M. ut Protestantes oculos denique aperiant ac aures praebeant veritati. De notis Ecclesiae fuse tractarunt Bellarminus, Tournely, Juvenin, Obstraet, Nicolius, aliique Veteres et Recentiores.

COROLLARIUM.

Ex hactenus disputatis de notis Ecclesiae duo tamquam inconcussa dogmata sequuntur. I. ecclesiam Romanam veram esse Christi Ecclesiam. II. neminem ad veram pertinere Ecclesiam nisi cathedrae Petri communicet. Et quoad primum. Illa vera Christi Ecclesia est cui soli quatuor competunt notae a symbolo C-P. recensitae, unitas nimirum, sanctitas, catholicitas, apostolicitas: *Credo ... Et unam, sanctam, catholicam, et apostolicam Ecclesiam*. Porro soli ecclesiae Romanae, unitas, sanctitas, catholicitas, apostolicitas competunt, ut hactenus demonstratum est. Quare sola ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia. Quoad secundum. Centrum unitatis, sanctitatis, catholicitatis, apostolicitatis Ecclesiae, sedes illa est in qua Petrus primitus, tum successores ejus sederunt. Qui autem centro unitatis, sanctitatis, catholicitatis, apostolicitatis non communicat, ad veram Ecclesiam plane non pertinet: adeoque qui sedi non communicat apostolicae de Ecclesia non est.

CAPUT XII.

De visibilitate Ecclesiae.

Hactenns de notis, nunc de proprietatibus Ecclesiae breviter est disserendum. Est autem inter notas ac proprietates Ecclesiae nonnihil discriminis: quoniam notae ita conveniunt Ecclesiae, ut qui ad eas semel adverterit, statim veram a falsa ecclesia discernat. Ast proprietates ornant quidem Ecclesiam, eique soli et non spuriis ecclesiis conveniunt: sed non ejusmodi sunt ut ab omnibus observari facile queant, et ex illa veram a spuria ecclesia discernere; difficilioris enim ratiocinationis requiritur inquisitio. Tres autem sunt praecipuae Ecclesiae proprietates, videlicet, *visibilitas*, *indefectibilitas*, *infallibilitas*. Hoc in capite agemus tantum de visibilitate, in sequentibus de aliis duabus proprietatibus acturi.

Lutherus et Calvinus quum in Romanae Ecclesiae communione nati ac enutriti fuissent, eamdem initio de Ecclesia ideam quam Catholici omnes habuerunt olim, ac etiam num retinent habebant. Cumque Catholici crediderint semper Christi veram Ecclesiam fuisse et esse Christianorum societatem oculis omnium conspicuam, etiam Lutherus et Calvinus initio Ecclesiam visibilem esse docebant. Ast vi argumentorum subinde a Catholicis pressi, coacti sunt affirmare Ecclesiam esse invisibilem. Petebant siquidem ab ipsis Catholici ubinam gentium ante Lutherum et Calvinum vera esset Ecclesia, quum eorum dogmata nemo ex Fidelibus admiserit, nullique invenirentur Pastores quibus succederent. Et tunc respondere coeperunt se in Fidei doctrina ac pastoratus officio, piis quibusdam successisse hominibus in medio ecclesiae Romanae antehac delitescentibus. Eaque de caussa docuerunt veram Christi Ecclesiam proprie non constare nisi ex hominibus quos solus Deus cui nihil occultum, noverit esse Eccle-

siae membra, nempe ex justis atque praedestinatis. Unde Lutherus in lib. de abroganda Missa par. 1. *Quis*, inquit, *Ecclesiam nobis monstrabit, cum sit occulta in spiritu, et solum credatur?* Et Calvinus praef. Inst. ait: *Quin potius promittamus Deo, ut quando ipse solus novit qui sui sunt, interdum etiam Ecclesiae suae exteriorem notitiam ab hominum aspectu auferat.*

Sed neque in ea sententia perstitere constantes. Nam aliquando conati sunt demonstrare illorum ecclesiam fuisse visibilem sub Petrobruissianorum, Henricianorum, Albigensium, Wiclefitarum, et Hussitarum nomine. Et Jurius praesertim qui ecclesiam pro omnium haereticorum schismaticorumque in Fidei fundamentalibus articulis non errantium accipit aggregatione, Ecclesiam nunquam latuisse contra nonnullos sectae suae professores ex professo demonstrat. Verum haec est mendacii indoles, ut pro circumstantiarum varietate nunc affirmet nunc neget id de quo pertractatur, juxta illud Prov. cap. 14. *Profert mendacia versipellis.* Catholici enim a quorum parte stat veritas, semper pro certo asseruerunt Ecclesiam Christi debere esse visibilem. Quorum partes nos ut decet tuentes, totidem propositionibus ostendemus. 1. veram Christi Ecclesiam debere esse visibilem. 2. ecclesiam Romanam semper fuisse visibilem. 3. non item ecclesiam Protestantium.

Verum antequam in arenam descendamus, in memoriam revocandum est, quod agentes de membris Ecclesiae jam animadvertimus, pertractare videlicet nos de Ecclesia prout anima et corpore constat, seu de Ecclesia quatenus societas est in qua boni et mali eamdem profitentur exterius Fidei doctrinam, iisdem fruuntur Sacramentis, iisdemque legitimis Pastoribus subjiciuntur. Nam veram Christi Ecclesiam quoad animam dumtaxat acceptam invisibilem esse nec nos diffitemur. Quis enim scire aut conspicere potest quinam revera Deo grati sint et accepti?

CONCLUSIO I.

Vera Christi Ecclesia debet esse visibilis.

Prob. 1. ex V. Testamento. Isaiae cap. 2. *Et erit*, inquit, *in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Et cap. 60. *Surge, illuminare Jerusalem: quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebrae operient terram ... Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.* Laudata verba praenuntiare futuram Christi Ecclesiam, et patet legenti, et affirmat Hieronymus. Laudata autem verba significant apertissime Ec-

clesiam visibilem. Quod liquet iterum ex lib. Numer. cap. 20. ubi visibilis omnibusque conspicua describitur synagoga quae Ecclesiae christianae typus fuit. Ita autem ibi legitur: *Cur eduxisti ecclesiam Domini in solitudinem?* Et in lib. 3. Reg. cap. 8. *Convertit rex faciem suam, et benedixit omni ecclesiae Israel: omnis enim ecclesia Israel stabat* etc.

Prob. 2. ex N. Testamento. Matth. cap. 18. Christus inquit: *Dic Ecclesiae, si autem Ecclesiam non audierit* etc. Act. Ap. cap. 20. *Attendite vobis, et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*. Ibid. cap. 15. *Illi ergo deducti ab Ecclesia pertransibant* etc. Et cap. 18. *Ascendit* (Paulus,) *et salutavit Ecclesiam*. Numquid omnes hi characteres de Ecclesia enunciari possunt quae invisibilis sit? Ecclesia denique in Evangeliis aliisque Apostolorum scriptis appellatur *ager*, *area*, *sagena*, *ovile*, *domus*, *civitas*, *regnum*, *corpus*, *sponsa*: quae omnia visibilia sunt.

Prob. 3. auctoritate PP. Cyprianus Ecclesiam comparat arcae Noë; Hieronymus, Pacianus, et Gregorius M. domui in qua agnus comedebatur paschalis; S. P. Augustinus civitati supra montem positae: quae sane invisibilia non erant. Origenes Hom. 30. in Matth. *Ecclesia*, inquit, *plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem*. Idem Cyprianus lib. de Unit. Eccl. scribit: *Ecclesia Romana luce perfusa est, per orbem totum radios suos porrigit*. S. P. Augustinus Tract. 1. in Johan. Ep. haec habet: *Nonne ille lapis crevit, et factus est mons magnus, et implevit universum orbem terrarum? Numquid digito ostendimus istum montem, quomodo ostenditur hominibus tertia luna?... Numquid sic ostendimus Ecclesiam, Fratres mei? Nonne aperta est? nonne manifesta? nonne tenuit omnes gentes?*

Prob. demum ratione. Ecclesia est societas Fidelium in una manentium communione per eamdem Fidei doctrinam, Sacramentorum susceptionem, subjectionemque legitimis Pastoribus. Requirunt autem haec societatem visibilem, ut per se patet. II. quilibet homo ut salutem consequatur aeternam, in Ecclesiam intrare tenetur. Si ab ea discessit, iterum ad illam venire, eamque audire uti magistram veritatis. Quod si Ecclesia invisibilis sit, quomodo poterunt haec et similia praestari?

CONCLUSIO II.

Ecclesia Romana semper visibilis fuit.

Prob. Ecclesia Romana est apostolica, catholica, una, ut ex demonstratis apparet. Quare fuit semper visibilis. Et 1. ex quo sit apostolica, a Christo fuit per Apostolos aedificata atque propagata, et per legitimam Episcoporum successionem ad nos usque pervenit. Ast aedificatio et diffusio Ecclesiae nonne facta fuit visibili ac sensibili modo? Fundata siquidem ac propagata fuit per verbi divini praedicationem, per baptismi aliorumque administrationem Sacramentorum: quae omnia extrinseca sunt

ac visibilia. Visibilis quoque fuit et est legitima Episcoporum successio, quoniam qui ab Apostolis fuere ordinati iisque successerunt, aliis annuntiarunt Dei verbum, alios in propriam receperunt communionem, aliosque Episcopos ordinarunt; adeo ut idem sit ecclesia Romana est apostolica ac semper fuit visibilis. II. idipsum sequitur ex catholicitate quae, ut suo loco monuimus, universalitatem significat doctrinae, temporis, ac loci. Visibilis nempe fuit et adhuc est societas illa quae errores omnes damnavit et etiam nunc damnat contra Fidem et mores; visibilis scilicet in Conciliis tum generalibus tum particularibus, visibilis in cujusque fidelis professione Fidei. Visibilis omni tempore societas illa fuit quae Christi et Apostolorum tempore coepit et ad nos usque pervenit. Visibilis demum est illa societas quae licet per universum orbem dispersa, arctam nihilominus cum centro unitatis, cum capite Ecclesiae, cum Romano Pontifice retinet communionem. Haec est ecclesia Romana. III. denique quum semper in orbe terrarum visa Christianorum societas fuerit quae, in eadem Fidei professione, Sacramentorum participatione, et subjectione legitimis Pastoribus cum centro unitatis Romano Pontifice conjuncta fuit, etiam unitas ecclesiae Romanae arguit visibilitatem.

CONCLUSIO III.

Ecclesia Protestantium non semper fuit visibilis.

Prob. Ante Lutherum ubi erant Lutherani? Ante Calvinum ubi erant Calviniani? Unde de Protestantibus dici potest quod olim de Novatiano ajebat Cyprianus Ep. 76. ad Magnum: *Novatianus nemini succedens, et a seipso incipiens, alienus fit et prophanus*. Vel quod de Valentinianis et Marcionitis scribebat Irenaeus lib. 3. de Haer. cap. 4. *Ante Valentinum non fuerunt qui sunt a Valentino; neque ante Marcionem erant qui sunt a Marcione*. Vel demum quod de omnibus indiscriminatim haereticis dicebat Clemens alex. lib. 7. Strom. *Quod in Ecclesia catholica fuerint sua conciliabula, non est opus multis probare*.

Ad argumenta adversariorum responsio.

Obj. 1. cont. 1. prop. Scripturae tam V. quam N. Testamenti innuere videntur Christi Ecclesiam debere esse invisibilem. Et I. Jeremias discrimen afferens synagogam inter et Ecclesiam, reponit illud in eo quod synagoga visibilis fuerit, Ecclesia vero futura esset invisibilis: *Dabo*, inquit cap. 10. *legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam: et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum*. II. Lucae cap. 17. Ecclesia dicitur esse in hominibus interius; Christus namque interrogatus a Pharisaeis quando veniret regnum Dei? respondit: *Non venit regnum Dei cum observatione: neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est*. III. Ecclesiae Christi cultores

Johan. cap. 4. adorare dicuntur Deum in abscondito, et in spiritu et veritate: *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate*. IV. in Ep. ad Hebr. cap. 12. Ecclesia sub montis nomine designata appellatur non accessibilis neque tractabilis: *Non enim accessistis ad tractabilem montem, et accensibilem ignem ... sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis*.

Resp. ad 1. Discrimen a Propheta inter synagogam et Ecclesiam statutum in hoc consistit, quod synagoga legem terroris extrinsecus sonantem et in tabulis lapideis scriptam haberet, Ecclesia autem legem charitatis operantem intrinsecus per gratiam et in tabulis cordis inscriptam juxta illud Pauli ad Cor. 2. cap. 3. *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*. Quod in idem recidit ac si Propheta dixerit synagogam habuisse per se legem tantum, Ecclesiam vero praeter legem habere internam Spiritus sancti gratiam, quae verbis in argumento laudatis describitur.

Ad 2. In Lucae sententia nomine regni non Ecclesia, sed prior Christi adventus intelligitur a secundo adventu longe diversus. Interrogabant enim Pharisaei quando venturus esset Messias jamdiu ab ipsis praestolatus? Cumque Judaei Messiam cum extrinseca mundanaque gloria venturum per errorem expectarent, bene respondit Christus venturum Messiam cum gloria et apparatu in die judicii, propter quod ait, *Et dicent vobis: Ecce hic, et ecce illic. Nolite ire, neque sectemini:* sed in priori adventu appariturum absque pompa, nullisque praemissis externae gloriae signis. *Non venit regnum Dei cum observatione*. Et cum addit, *Ecce regnum Dei intra vos est*, significare vult Messiam jam advenisse atque fuisse in medio eorum.

Ad 3. Si allata Christi apud Johan. verba essent in adversariorum sententia intelligenda, ab Ecclesia Dei omnis foret exterior cultus eliminandus. Christi itaque verba accipienda sunt apposite ad Samaritanae mulieris interrogationem quae ab eo sciscitabatur an in monte Garizim potius quam Hierosolymis adorandus esset Deus. Christus autem respondit advenisse jam tempus *quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate*; hoc est, non in hoc vel illo loco, non vitulorum vel hircorum sanguine, sed ubique et absque veteris legis ritibus et sacrificiis.

Ad 4. Loquitur Apostolus de Ecclesia triumphante: unde e vestigio subdit, *Jerusalem caelestem, et multorum millium Angelorum frequentiam ... et spiritus justorum et perfectorum*; atque adeo sententiae in argumento allatae sensus est novae legis cultores accessisse spe ad intuitivam Dei visionem, quum veteris legis professores nonnisi corporalia bona sperarent.

Obj. 2. cont. eamd. thesim. Quod est objectum Fidei non est visibile. Ecclesia autem est objectum Fidei, quia in symbolo legitur, *Credo sanctam Ecclesiam*. II. forma Ecclesiae sunt, fides, spes, et charitas: quae invisibiles virtutes sunt.

Resp. ad 1. Quod est objectum Fidei, visibile sane non est sub ea ratione qua objectum Fidei est, sed utique visibile esse potest sub alia ra-

tione. Rem explico exemplo. Baptismus est objectum Fidei; unde in symbolo dicimus, *Confiteor unum baptisma*. An ne propterea baptismum extrinsecus non videmus? Quod baptismus Sacramentum sit credimus. Quod sit exterior ablutio videmus. Simili modo loquendum est de Ecclesia. Quod talis hominum coetus sit vera Christi Ecclesia credimus. Ast quod coetus quidam hominum eamdem profiteatur extrinsecus Fidem, iisdem Sacramentis utatur, eisdemque subjciatur legitimis Pastoribus, hoc porro oculis cernimus et quasi manibus contrectamus.

Ad 2. Ecclesiam secundum formam suam consideratam nos quoque invisibilem esse fatemur. Quis enim videre potest in hoc potius quam in illo veram inveniri fidem, spem, et charitatem? Non tamen ex eo consequitur Ecclesiam esse invisibilem. Nam propriis oculis cernimus societatem aliquam certas habere notas ex quibus in ea societate tantum et non in aliis veram arguimus inveniri fidem, spem, et charitatem. Etiam forma hominis est invisibilis, nec proinde homo invisibilis est; quoniam extrinsecis quibusdam signis dignoscimus hoc potius quam illud animal esse hominem.

Obj. 3. cont. 2. prop. S. P. Augustinus Ep. 93. cap. 9. ad Vincentium Rogatistam affirmat ecclesiam Romanam tempore Arianorum obnubilatam fuisse et obscuratam. Tunc ergo erat invisibilis.

Resp. S. Doctor affirmat ecclesiam Romanam Arianorum tempore obnubilatam quidem obscuratamque fuisse, sed non ait ita extinctam ut videri nullo modo posset; unde ait ibid. *Quamquam et illi, qui tunc firmissimi fuerunt, et verba haereticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione ceterorum, sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exsulabant, quidam toto orbe latitabant. Ac sic Ecclesia quae per omnes gentes crescit, in frumentis dominicis conservata est.*

Obj. postremo adv. 3. thesim. Ecclesia Protestantium visibilis fuit sub nomine Petrobruissianorum, Henricianorum, Albigensium etc. unde immerito dicitur invisibilis.

Resp. 1. Quamvis daretur (quod tamen falsissimum est,) Protestantes commemoratis succedere haereticis, numquid proinde sequeretur eorum societatem semper visibilem fuisse? Minime. Nam ante saeculum XI. XII. XIII. etc. ubi erant illarum sectarum vestigia et auctores? 2. Falsum omnino est succedere Protestantes mox recensitis haereticis: plura quippe ipsi docuerunt quae a Protestantibus rejiciuntur execrationique habentur. Sic v. g. Petrobruissiani, teste Petro cluniacensi, tradebant inutilem esse collatum parvulis ante usum rationis baptisma, non esse aedificanda templa, Cruces esse frangendas, hujusque similaginis alia quae a Calvinistis absque ulla haesitatione improbantur. Negant pariter Protestantes quod Albigenses pertinaciter defendebant, Christum videlicet non esse natum de virgine, vetus novumque Testamentum esse rejiciendum etc. Idem intellige de aliis Fidei dogmatibus ab Henricianis, Wiclefitis, et Hussitis pessime deformatis. Ostendant denique Protestantes se a sectis illis missionem habuisse. 3. Miror quomodo non pudeat Protestantes asserere societatem il-

lorum visibilem in commemoratis haereticis fuisse, quum optime noverint fuisse illos tamquam impiissimos haereticos ab Ecclesia proscriptos.

CAPUT XIII.

De indefectibilitate Ecclesiae.

Recentiores haeretici sacrae Scripturae testimoniorum victi perspicuitate, nusquam ausi sunt affirmare veram Christi Ecclesiam posse deficere. Ast quo argumentorum vim eludant, ad Ecclesiae partem visibilem et invisibilem confugientes, affirmant sacrarum testimonia literarum indefectibilitatem Ecclesiae commonstrantia, non de ejusdem Ecclesiae parte quae extrinseca est et visibilis, sed de illius interiori invisibilique parte esse intelligenda: ita ut justi et electi in quibus Ecclesia viget, nunquam deficere in mundo possint; quamvis possit accidere ut nulla penitus inveniatur in mundo societas quae veram Fidem veraque Sacramenta retineat. Atque ita reapse accidisse contendunt tempore quo Lutherus atque Calvinus manus reformationi, ut ipsi loquuntur, dederunt. Quare Calvinus in Ep. ad Philippum Melanctonem inquit: *Discessionem a toto mundo facere coacti sumus*. Ratio autem cur hoc Protestantes excogitavere commentum manifestissima est, ut se nimirum a Catholicorum expedirent argumento petito ex defectu successionis. Quid circa Ecclesiae indefectibilitatem Catholici doceant, sequenti propositione aperiemus.

CONCLUSIO.

Vera Christi Ecclesia visibilis nunquam defecit nec deficere potest.

Prob. 1. Prophetarum oraculis. Prophetae N. Testamenti praenuntiantes Ecclesiam, praedixerant futuram illam quoad externam et visibilem partem perpetuo indefectibilem. Nam Isaias cap. 61. sic inquit: *Foedus perpetuum feriam eis. Et scient in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum. Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus*. Haec prolata esse de populo christiano, praeterquamquod verba sunt se ipsa clarissima, testatur ipsemet Christus cap. 4. Lucae ubi de seipso interpretatur ea quae caput exordiuntur. Hanc vero Ecclesiam quam praenuntiat Propheta, esse visibilem patet ex illis verbis, *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos*. Quomodo enim videri et cognosci potest quod est invisibile? Ast inquit Propheta futurum foedus perpetuum: atque adeo nunquam defecit aut deficiet Ecclesia. Michaeas cap. 4. inquit: *In novissimo dierum erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium, et sublimis super colles: et fluent ad eum populi ... Nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in aeternum*. Mons praeparatus in vertice montium ad quem populi confluent est Ecclesia, et profecto visibilis. Cum autem populi illi

confluentes invocaturi sint nomen Domini in aeternum, fit consequens Ecclesiam visibilem esse prorsus indefectibilem. Danielis cap. 2. haec leguntur: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus caeli regnum quod in aeternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur*. Regnum a Daniele praedictum esse Christi Ecclesiam nonnisi Judaeus inficiabitur. Regnum hoc successisse dicitur aliis regnis visibilibus. Hoc regnum praenuntiatur perseveraturum usque in aeternum. In mente itaque Prophetae Ecclesia Christi futura erat visibiliter indefectibilis.

Prob. 2. ex N. Testamento quod undique clamat Ecclesiam quoad exteriorem visibilemque partem esse indefectibilem. Nam Matth. cap. 28. Christus inquit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi*. Ibid. cap. 16. *Super hanc petram*, ait, *aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Quomodo potest Christus cum Apostolis permanere usque ad mundi finem? Nempe permanebit cum Pastoribus Apostolorum successoribus: atque idcirco Ecclesia visibilis per successionem ab Apostolis usque ad finem mundi non deficiet. Idem significant posteriora verba. Sacramenta a Christo instituta sunt ut perdurent usque ad mundi finem. *Quotiescumque*, inquit Apostolus in 1. ad Cor. cap. 11. de Eucharistia, *manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Et de Baptismo legitur Matth. cap. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos ... et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*. Jam vero si visibilis Ecclesia deficere posset, perpetua non fuisset Sacramentorum institutio. Postremo Paulus in Ep. ad Eph. cap. 4. *Et ipse dedit*, inquit, *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei*. Hisce verbis statuit Apostolus in Ecclesia ministerium Pastorum, docetque ejusmodi ministerium usque ad mundi finem duraturum. Cumque non detur ministerium nisi visibili gregi, jam visibilis iste grex perseverabit in perpetuum.

Prob. 3. ex PP. Chrysostomus Hom. 4. de verbis Isaiae: *Oppugnati sunt*, inquit, *undecim Discipuli, totus orbis oppugnabat; verum qui oppugnabantur vicerunt, qui oppugnabant sublati sunt. Oves devicere lupos ... Nam Ecclesia firmioribus quam caelum ipsum radicibus defixa haeret*. Ambrosius in Hexam. lib. 4. cap. 2. scribit: *Videtur Ecclesia sicut luna deficere, sed non deficit*. Augustinus non modo testatur Ecclesiam visibilem indefectibilem esse, sed id praeterea ex professo demonstrat variis Scripturae locis. In Ps. 103. Serm. 2. ad illa verba, *Fundavit terram super firmitatem ejus: non inclinabitur in saeculum seeculi*, ait: *Firmavit Ecclesiam super fundamentum Christum. Nutabit Ecclesia, si nutaverit fundamentum: sed unde nutabit Christus, qui ante quam veniret ad nos, et carnem susciperet, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil; qui omnia continet majestate, et nos bonitate? ... Ubi sunt qui dicunt perisse de mundo Ecclesiam, quando nec in-*

clinari potest? Contra Faust. lib. 13. cap. 13. proferens quaedam ex Jeremia, ait, *Et tamquam ille quem catechizamus, quaereret et diceret, Quo ergo signo manifesto adhuc parvulus, et nondum valens liquidam discernere a tot erroribus veritatem, quo manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi, in quem jam credere tanta rerum antea praedictarum manifestatione compellor; sequitur idem Propheta, et tamquam motus animi ejus ordinatissime excipiens, docet eum Ecclesiam Christi ipsam esse praedictam, quae omnibus eminet et apparet. Ipsa enim est sedes gloriae, de qua dicit Apostolus, Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Unde iste dicit, Sedes autem gloriae exaltata est, sanctificatio nostra. Propter hos enim motus parvulorum, qui possunt seduci ab hominibus, manifestationem claritatis Ecclesiae Dominus quoque praevidens, ait, Non potest civitas abscondi supra montem constituta: quia utique sedes gloriae exaltata est sanctificatio nostra, ut non audiantur illi qui ad religionum scissuras traducunt, dicentes, Ecce hic est Christus, ecce illic. Partes enim ostendunt, dicentes, Ecce hic, ecce illic. Cum illa civitas super montem sit: quem montem, nisi eum qui secundum prophetiam Danielis ex parvo lapide crevit, et factus est mons magnus, ita ut impleret universam terram?* etc.

Prob. ultimo ratione. Si Ecclesia visibilis defecisset aliquando aut deficere posset, impossibilis aliquando esset hominibus aeterna salus; extra Ecclesiam siquidem salutem neminem consequi posse in superioribus jam demonstratum est. Quomodo autem infidelis in Ecclesiam ingredietur si illa visibiliter defecit aut deficiet? Praeterea, si Ecclesia visibilis deficere potest, deficere poterit etiam Ecclesia invisibilis: ibi namque nullo modo nec visibiliter nec invisibiliter Ecclesia invenitur, ubi legitimi non sunt Pastores, ubi non est Fidei professio, ubi non sunt Sacramenta; haec enim essentiam Ecclesiae constituunt. Porro si deficit Ecclesia visibilis, deficiant necesse est Pastores, Fidei professio, ac Sacramenta; adeoque ipsius quoque Ecclesiae essentia.

Solvuntur objectiones.

Obj. I. Momenta quibus propositio innititur, nullius ponderis sunt. Nam allata testimonia Prophetarumque vaticinia impleta fuerunt primis Ecclesiae saeculis. At progressu temporis tot scelesti insurrexerunt homines tantaque scandala invaluerunt, ut Ecclesia visibilis obruta ab illorum multitudine fuerit. II. Quod iidem Prophetae futurum jam praedixerant. In lib. enim 2. Paral. cap. 15. Azarias inquit: *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, et absque Sacerdote, Doctore, et absque lege.* Et Christus ipse apud Lucam cap. 18. ait: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Paulus autem defecturam saltem Ecclesiam tempore Antichristi praedicit in Ep. 2. ad Thessal. cap. 2. his verbis: *Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat* etc.

Resp. Allata Scripturae Patrumque testimonia indefectibilem declarant

Ecclesiam non ad determinatum aliquod tempus, sed usque ad mundi finem, ut ex illorum constat lectione. Neque scandalorum multitudo eo umquam pervenit aut pervenire poterit deinceps, ut visibili Ecclesiae valeant indefectibilitatem auferre. Quod si laudata testimonia de primis dumtaxat Ecclesiae saeculis forent intelligenda, si peccatorum scandalorumque multitudo ita posset Ecclesiam obruere ut reformatione indigeat, nonne Prophetae a Deo afflati id praenuntiassent? Nonne Christus de re tam singulari testimonio suo nos monuisset? Ita contra Donatistas de Unit. Eccl. argumentatur S. P. Augustinus. Denique etiamsi Ecclesia reformatione indiguisset, numquid a Luthero et Calvino fieri, et quidem eo modo quo ab ipsis facta est, debebat?

Ad 2. Azarias praedixit defecturam Ecclesiam penes populum Israel in Samaria, quemadmodum revera accidit; non in populo Juda in quo vera viguit Ecclesia usque ad Christi adventum; multoque minus defecturam Ecclesiam in N. Testamento usque ad mundi finem. Verba Christi apud Lucam exponit Theophylactus de Fidei raritate, non de totali interitu. Hoc est, loquitur Christus de raritate Fidei cujusdam eximiae, quae montes transferre valeat, vel perfectae et per charitatem formatae, ut explicant Hieronymus adv. Lucif. et Augustinus in lib. de Unit. Ecclesiae. Apostolus demum ad Thessalonicenses scribens praedicit magnam quidem, sed non integram a vera Fide discessionem: tum quia discessio illa erit ramorum avulsio a trunco, in quo proinde vera remanebit Ecclesia; tum etiam quoniam Christus ipse testatur dies illos esse breviandos propter electos. Deinde argumentum illud ex aequo pugnat cum adversariis. Si namque integra fidelis populi fieri debet discessio, quum illa consistat in eo quod omnes sectaturi sunt antichristum, qui extolletur *supra omne quod dicitur Deus*, nemo amplius Deum agnoscet; proindeque non visibilis modo, sed invisibilis quoque Ecclesia peribit, quod ab adversariis non admittitur.

Obj. 2. Ecclesia revera aliquando periit tum in V. tum in N. Testamento. Defecit in V. Testamento. 1. In primorum lapsu parentum. 2. Tempore Noë. 3. Sub Moyse quando populus vitulum aureum erexit. 4. In babylonica captivitate ubi omnis abjectus est Dei cultus. 5. Vivente Elia qui lib. 3. Reg. cap. 19. ajebat: *Derelictus sum ego solus, et quaerunt animam meam*. 6. Tempore Jeremiae per quem dixit Deus cap. 2. *Omnes dereliquistis me*. Defecit etiam in N. Testamento tempore in primis quo Christus nascebatur, in quo Maria et Joseph, Simeon et Anna, et Pastores qui ad praesepe Domini fuerunt, paucique alii dumtaxat erant veri Fideles. Deinde defecit quando Christus moriebatur, quoniam omnes illius *discipuli relicto eo fugerunt*. Ac defecit tandem grassante haeresi Arianorum, ut Hilarius et Hieronymus testantur.

Resp. 1. Quamvis daremus Ecclesiam visibilem V. Testamenti aliquando periisse, non sequeretur proinde etiam Ecclesiam N. Testamenti aut defecisse aliquando aut deficere posse. Quae enim N. Testamenti Ecclesiae spopondit, pollicitus certe non est ecclesiae V. Testamenti. Sed dicamus aliquid ad singula. Non defecit Ecclesia Dei in lapsu primi Parentis, sive

quia tunc adhuc Ecclesia formata non erat, sive quia peccatum illud non fuit infidelitatis. Neque tempore Noë, etsi enim perpauci tum essent Fideles, ii pauci tamen constituebant Ecclesiam quae initia sua habuit et incrementa. Sed neque intercidit aetate Moysis, quum vituli adorationi plures quidem, sed non omnes consenserint: quod vel ex eo constat quod integra tribus Levi juncta est Moysi ut facinus ulciscerentur. Vigente autem babylonica captivitate judaica gens suis utebatur legibus et caeremoniis quibus a reliquo populo secernebatur. Quare inquit Aman ad Assuerum, ut legitur in lib. Esther cap. 3. *Est populus per omnes provincias regni tui dispersus, et a se mutuo separatus, novis utens legibus et caeremoniis*. Nec periit tempore Eliae, quoniam licet imminuta esset Ecclesia in Samaria ubi Elias morabatur, remanserat tamen in Jerusalem et Judaea penes reliquum populum. Deinde Eliae dicenti remansisse se solum in populo Israel, respondit Dominus reliquisse sibi in Samaria septem millia virorum qui genua non curvaverant coram Baal. Non evanuit tandem Ecclesia tempore Jeremiae cujus aetate innumerabiles erant veri Dei cultores. Quare cum inquit, *Omnes dereliquistis me*, vox, *omnes*, significat multos, juxta phrasim Scripturae. Multo minus defecit Ecclesia in N. Testamento. Non in Christi nativitate, quamvis pauci essent veri Fideles: quoniam tunc Christi Ecclesia incipiebat, nec desierat adhuc synagoga. Nec defecit mortis Christi tempore, quoniam peccatum Apostolorum defectus fuit non Fidei, sed constantiae et fortitudinis: adeoque derelinquentes Christum non dereliquerunt Ecclesiam. Quod allatum est ex Hilario et Hieronymo haeresi grassante ariana, solutum vide cap. hujus lib. 9. in resp. ad 1.

CAPUT XIV.

De infallibilitate Ecclesiae.

Ecclesia non esset indefectibilis si in rebus Fidei et morum falli et fallere posset. Quum enim vera *Ecclesia Dei vivi* sit *columna et firmamentum veritatis*, ut Apostolus in 1. ad Tim. cap. 3. inquit, societas illa quae errorem vel haeresim docet et profitetur, desinit esse vera Ecclesia. Quare ex Ecclesiae indefectibilitate capite superiori a nobis demonstrata, sua veluti sponte haec alia sequitur proprietas, quod Ecclesia sit infallibilis. Nihilo tamen secius quoniam quae magni momenti sunt peculiarem a nobis operam exposcunt, de ea seorsim ut alii quoque facere consueverunt theologi pertractabimus, illamque ab perversa haereticorum sententia vindicare totis viribus curabimus. Recentiores enim haeretici quamvis hanc propositionem, *Ecclesia errare non potest*, admittant; tot nihilominus tantisque in ea confitenda utuntur exceptionibus atque cavillis, ut ipsorum opinio in illud denique recidat, quod Ecclesia non sit infallibilis. Contra impiam hanc opinationem insurgunt omnes Catholici, quorum partes nos Deo per gratiam suam adjuvante tueri conabimur.

Sed antequam rem aggrediamur, reminiscamur oportet eorum quae libro 4. diximus, Ecclesiam nimirum considerari posse vel prout per Episco-

pos in Concilio generali congregatos repraesentatur, vel prout dispersa est per omnes orbis regiones. Ecclesiam in oecumenicis Conciliis collectam in Fide ac moribus errare non posse jam in opusculo praecedenti de Conciliis fuse probavimus. Quare de infallibilitate Ecclesiae per universum orbem dispersae nunc est pertractandum; videlicet demonstrabimus unanimem Ecclesiae consensum per orbem diffusae in iis quae ad fidem et mores pertinent, infallibilis esse auctoritatis. Sed ne in re tanti momenti decipiamur, rursus animadverto ad unanimem efficiendum Ecclesiae consensum satis non esse quod doctrina aliqua vel praxis in Ecclesia vulgaris sit, et a compluribus privatis theologis etiam publice doceatur; nisi Ecclesia ipsa definiat id quod vulgo per aliquod tempus docetur et in morum praxi exerceatur, ad fidem et mores pertinere. His praenotatis sit

CONCLUSIO I.

Ecclesiae omnes per universum orbem dispersae simul consentientes in iis quae ad fidem et mores pertinent, errare non possunt.

Prob. 1. Ecclesiae particulares per universum orbem dispersae nil aliud sunt quam Ecclesia universalis, ut per se patet. Ecclesia autem universalis in iis quae ad fidem ac mores spectant, errare non potest. Quod ostenditur I. ex V. Testamento. Nam Isaiae cap. 59. legitur: *Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo, et usque in sempiternum*. Ps. 131. *Elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi. Haec requies mea in saeculum saeculi*. Item Ps. 47. jam dixerat: *Circumdate Sion, et complectimini eam: narrate in turribus ejus ... Quoniam hic est Deus, Deus noster in aeternum, et in saeculum saeculi: ipse reget nos in saecula*. Hujus generis bene multa brevitati consulens omitto, quae de Ecclesia esse accipienda nec ipsi adversarii diffitentur. Allata autem testimonia aperte testantur Ecclesiam esse infallibilem. Nam si Ecclesia falli aut fallere posset, quomodo Spiritus Dei verba sua posuisset in ore ejus? Quomodo de ore Ecclesiae verba Dei non recederent usque in sempiternum? Rursus, quo pacto verificaretur Spiritum Domini requiescere in Ecclesia, ipsamque in saeculum saeculi regere? II. ex N. Testamento. Matth. cap. 16. Christus inquit: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Ibid. cap. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi*. Apostolus in 1. ad Tim. cap. 3. *Ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis*. Idem ad Eph. cap. 1. *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius*. In 2. autem ad Cor. cap. 11. *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Quod si Ecclesia infallibilis non esset, portae inferi praevalerent utique adversus eam, nec esset columna et firmamentum veritatis, nec Christi corpus ejusque sponsa. III. theologica ratione. Ecclesia est

judex omnium controversiarum Fidei et morum; neque enim esse potest sola Scriptura, ut Lutherani contendunt, neque sola ratio, ut volunt Sociniani; quemadmodum partim demonstratum est libro 2. partim suis locis probabitur. Ast judex Fidei et morum nonne inerrantiae gaudere debet privilegio? Alioquin Fides nostra fluctuabitur, incerta erit regula morum.

Prob. 2. ex SS. PP. qui cum haereticis disputantes ad universalis Ecclesiae consensum, tamquam ad judicem falli nescium, recursum habere semper consueverunt. S. Irenaeus lib. 3. adv. Haer. cap. 2. affirmat haereticos refutari, *vel Scripturis, vel cum ad eam iterum Traditionem, quae est ab Apostolis ... quae in Ecclesiis custoditur, provocamus eos*. Et cap. 4. *Quid enim? Et si de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oportet ad antiquissimas recurrere ecclesias?* Et adv. Florinum, *Haec dogmata*, ait, *dissentiunt ab Ecclesia*. Tertullianus lib. de Praescr. cap. 21. *Omnem*, inquit, *doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapit contra veritatem ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei*. Et cap. 28. *Age nunc, omnes ecclesiae convenerint, nullam respexerit Spiritus sanctus*. Cyrillus alex. in Ep. ad Nestor. *Haec est catholicae et apostolicae Ecclesiae fides, in qua universi occidentis, et orientis orthodoxi Episcopi consentiunt*. Hieronymus cont. Vigilantium: *Male facit ergo Episcopus Romanus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria? Et non solum unius urbis, sed totius orbis errant Episcopi: qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas mortuorum?* Et Dial. adv. Lucif. *Poteram omnes propositionum rivulos uno Ecclesiae sole siccare*. Ante Hieronymum scripserat jam Cyprianus lib. de Unit. Eccl. cap. 13. *Quam vanum est ut Novatiano nuper retuso et refutato, et per totum orbem a sacerdotibus Dei abstento, nunc adulatores adhuc vobis patiamur illudere, et de majestate ac dignitate Ecclesiae judicare*. S. P. Augustinus lib. de Utilit. credendi cap. 17. *Cui* (Ecclesiae,) ait, *nolle primas dare, vel summae profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae*. Et lib. 4. ad Bonif. cap. ult. *Aut vero congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies* (Pelagianorum) *damnaretur: quasi nulla haeresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit: cum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit; multoque sint atque incomparabiliter plures, quae ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandas innotescere potuerunt*. Vincentius demum Lerinensis Comm. 1. cap. 3. *In ipsa catholica Ecclesia magnopere curandum est ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*.

Prob. 3. Ex perpetua Christianorum praxi Ecclesia hujus temporis una eademque est cum Ecclesia trium priorum saeculorum. Ast particulares ecclesiae per orbem diffusae tribus prioribus saeculis errare non poterant; alioquin nec Saturninus, nec Basilides, nec Valentinus, nec Cerdo, nec Marcion, nec Manes, nec Montanistae, nec Novatiani essent haeretici. Hi enim

omnes a particularibus ecclesiis per orbem dispersis, vel a particularibus Conciliis, ab universali tamen Ecclesia receptis et approbatis, velut haeretici fuere damnati. Hinc Eusebius H. E. lib. 4. cap. 7. *Ecclesiae per universum orbem instar clarissimorum siderum fulgent ... et plures ecclesiastici viri patrocinium veritatis suscipiunt, et pro ecclesiastica et apostolica doctrina dissertissime decertant ... et adversariorum quidem inventa a semetipsis confutata, extincta sunt*.

Et ne adversarii reponant infallibilitatem esse in Ecclesia dumtaxat passive, quatenus scilicet tota Fidelium societas errorem admittere nequit, paucis nunc ostendemus vigere in Ecclesia infallibilitatem etiam activam, hoc est particularium omnium ecclesiarum Pastores collective acceptos, non in concilio tamen congregatos, absque ulla erroris formidine posse de Fidei ac morum caussis judicium proferre. Et 1. particulares ecclesias in Fidei et morum materia errare non posse passive, adversarii concedunt; unde fateri conantur nec errare posse active. Nam quae est omnium ecclesiarum fides nisi fides Pastorum? Illos namque audire illosque sectari tenetur quilibet Fidelis; unde optime Cyprianus in Ep. ad Pupian. inquit: *Ecclesiam non esse multitudinem contumacium, sed plebem sacerdoti adunatam, et gregem suo Pastori adhaerentem; unde qui cum Episcopis non sunt, eos in Ecclesia non esse*. 2. Debent Episcopi commissum sibi regere gregem, idque Spiritus sancti loco, qui eos episcopos constituit. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*. Ast si a Fide deficere possent Episcopi collective sumpti, quomodo Dei Ecclesiam regerent? 3. Episcopi dati sunt a Deo *ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi ... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum* etc. ait Apostolus ad Ephes. cap. 4. Concludi itaque tuto potest Episcopos omnes per universum orbem dispersos, simulque extra generale Concilium consideratos, non posse in errorem contra dogmata Fidei morumque regulas conspirare.

CONCLUSIO II.

Ex quo aliqua doctrina vel morum praxis publice a compluribus per Ecclesiam tradatur, nequit inferri Ecclesiam ipsam in illam doctrinam vel morum praxim unanimiter consentire.

Prob. prior thesis pars circa doctrinam. 1. Falsis perversisque Fidei doctrinis nequit universa Ecclesia simul consentire, ut ex praecedenti patet propositione. Nam si id evenire posset, jam universalis Ecclesia nec active nec passive infallibilis esset. Ast e contra falsae Fidei doctrinae vulgares aliquando sunt, et a compluribus traduntur in Ecclesia. Nec mirum, quum Christus ipse et Apostoli praenuntiaverint futurum aliquando ut perversae doctrinae spargerentur. Sic Matth. cap. 24. ait Dominus: *Videte, ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego*

sum Christus, *et multos seducent*. Johannes in Ep. 1. cap. 2. *Filioli*, *novissima hora est: et sicut audistis quia antichristus venit: et nunc antichristi multi facti sunt*. Et cap. 4. *Multi pseudoprophetae exierunt in mundum*. Et Petrus in Ep. 2. cap. 3. idem praenunciat: *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores*, *juxta proprias concupiscentias ambulantes*. Judas denique: *Vos autem charissimi*, inquit, *memores estote verborum*, *quae praedicta sunt ab Apostolis D. N. J. C. qui dicebant vobis*, *quoniam in novissimo tempore venient illusores*, *secundum desideria sua ambulantes in impietatibus*. Mirari ergo non subit si falsae doctrinae a multis per Ecclesiam spargantur; nec proinde inferre licet doctrinas illas ab universali Ecclesia admitti vel approbari. II. circa finem XVI. saeculi ac per plures deinceps annos, a multis tradebatur doctrina probabilistarum affirmantium *practice certum esse quod est speculative probabile: vel prudenter agere eum qui agit secundum opinionem probabilem*; doctrina, inquam, isthaec adeo praevaluerat, ut nulla fere assignari posset academia in quam non irrepserat: et qui falsae huic doctrinae sese opponebant, licet in se numero multi, pauci tamen erant in probabilistarum comparatione. Verum non esset impium dicere universalem Ecclesiam in falsam illam doctrinam unanimiter conspirasse?

Prob. altera pars. Communem esse in Ecclesia penes plurimos male vivendi praxim demonstratione non indiget, quoniam propriis id conspicimus oculis. Nemo autem somniaverit affirmare in eam pravam vivendi praxim Ecclesiam assentiri: proinde ex quo aliqua praxis communis sit per Ecclesiam, Ecclesiae ipsius dignitati ac sanctitati non derogatur. Et jam hoc praedixerat Christus Matth. cap. 7. *Lata porta*, *et spatiosa via est*, *quae ducit ad perditionem*, *et multi sunt qui intrant per eam*. *Quam angusta porta*, *et arcta via est*, *quae ducit ad vitam: et pauci sunt qui inveniunt eam*? Hinc S. P. Augustinus in Ps. 93. *Persuadent multi multa mala*, *susurrare serpens non desinit*, *ut facias iniquitatem*: *quacumque te converteris*, *forte si profecisti*, *quaeris cum aliquo bene vivere*, *et vix invenis*: *multi mali te circumdant; quia pauca grana*, *multa palea*. Propter hoc omnia oecumenica et particularia Concilia in id praecipue incubuerunt semper, ut collabentem instaurarent disciplinam moresque corrigerent. Quod praestitere pariter Romani Pontifices, et praesertim Adrianus VI. ut ex ejus Ep. ad Franciscum Cheregatum patet; et Paulus III. qui novem selegit Praelatos ut communes in Ecclesia abusus colligerent quos ipse postea reformaret. Ex quibus colligitur damnare semper Ecclesiam malam praxim vivendi.

Quae cum ita sint, non est cur Protestantes ut proprii schismatis defectionisque ab Ecclesia caussam praetexant, falsas nonnullas doctrinas multorumque pravos mores in Ecclesia Romana in medium afferant et exaggerent. Nam falsas nonnullas doctrinas pravosque mores in Ecclesiam irrepere fatemur, illis autem Ecclesiam assentiri negamus: unde gravissima S. P. Augustini adversus Manichaeos similia objectantes prolata sententia, Protestantes alloqui liceat. *Nolite mihi colligere professores no-*

minis christiani, nec professionis suae vim aut scientes aut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint quid promiserint Deo. Novi multos esse sepulchrorum et picturarum adoratores: novi multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant, et epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, et voracitates ebrietatesque suas deputent religioni ec. Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiae catholicae maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos et ipsa condemnat, et quos quotidie tamquam malos filios corrigere studet. Ita Doctorum aquila de Moribus Ecclesiae catholicae lib. I. cap. 34.

Unum nunc illudque levissimum adversus priorem thesim objicere possunt heterodoxi; nempe, si unanimis Ecclesiae consensus infallibilis esset auctoritatis, nullum inter generale Concilium ac Ecclesiae consensum erit discrimen; proindeque superflua erunt Concilia oecumenica.

Resp. re quidem vera nullum inter Concilium oecumenicum et unanimem Ecclesiae consensum esse discrimen. Quid est enim generale Concilium nisi unanimis universalis Ecclesiae consensus? Neque propterea superflua sunt generalia Concilia. Nam haec non solum universam repraesentant Ecclesiam, sed praeterea per multos totius orbis Episcopos universalis sensus Ecclesiae praesens exhibetur, examinatur, aperitur, conspicitur. Ideo namque eocumenica convocantur Comitia, ut quilibet Episcopus ecclesiae suae particularis circa Fidei articulum vel regulam morum de quibus ortum est dubium, sententiam illuc afferat, simulque testetur doctrinam illam ab antecessoribus suis per Traditionem accepisse. Quod non exiguum bonum est pro Ecclesiae dignitate et incolumitate. Quae Protestantes contra auctoritatem afferunt Conciliorum, intorquere solent etiam adversus auctoritatem Ecclesiae. Lectorem ergo ad ea solvenda remittimus ad praecedens opusculum de Conciliis.

COROLLARIUM

Ex postremis hisce tribus capitibus sequitur solam ecclesiam catholicam Romanam veram esse Christi Ecclesiam. Nam huic soli praecipuae verae Christi Ecclesiae competunt proprietates; visibilitas scilicet, indefectibilitas, infallibilitas, ut hactenus demonstravimus.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VI.

IN QUO DISSERITUR DE ROMANO PONTIFICE.

In nullum forte umquam catholicae Fidei articulum tam insolenter veteres recentioresque heterodoxi insurrexerunt, quam in primatum Romani Pontificis. Neque mirum. Cathedra enim Petri in qua Romani Antistites ut illius successores sederunt et adhuc sedent, lapis ille angularis est super quem Christus Ecclesiam suam erexit, in quem monstra omnia haereseon impingentia, collisa sunt et cornua fregerunt. Et quamvis odium in Romanam Sedem antiquissimum sit, primi nihilominus qui omni verecundiae abjecto fraeno magis insolenter rebellaverint, fuere Graeci qui sub Photio pseudo patriarcha C-P. schisma fecerunt. Horum perniciosissimum errorem secuti postea sunt Wiclefus et Hus, affirmantes stare utique posse Christi Ecclesiam absque visibili capite. Eamdem blasphemiam libenter amplexi sunt Lutherus, Calvinus, horumque sectatores, qui de nomine Protestantium gloriantur; idque ut in Romanam Sedem a qua fuerant initio damnati, irreconciliabile manifestarent odium. Atque ne aliorum sententiis nil addidisse viderentur, eo devenerunt stultitiae ut affirmarent Romanum Episcopum esse Antichristum in N. Testamento praenuntiatum. Stultam hanc haereticorum doctrinam nos cum Catholicis refutare nunc aggredimur: et ut completam pro instituti nostri ratione de Romano Pontifice tractationem tradamus, agemus hoc in libro primitus de Romani Pontificis primatu, tum de itinere S. Petri Romam, postremo de ejusdem Pontificis Romani inerrantia seu infallibilitate.

CAPUT I.

An et quo jure Romano Pontifici primatus competat in Ecclesiam, nedum honoris et dignitatis, sed potestatis etiam ac jurisdictionis.

Ne recentiores quidam haeretici fucum nobis faciant similitudine verborum, eorumdem haereticorum Catholicorumque sententiam accurate exponamus oportet. Nonnulli ergo recentiores inter Lutheranos et Calvinistas argumentorum quae a Catholicis afferri solent vi superati, non diffitentur Romanum Pontificem primatu gaudere in Ecclesiam, sed primatum intelligunt honoris ac dignitatis et de jure quidem humano, non primatum potestatis ac jurisdictionis, multoque minus a Deo illi concessum. Hoc est, Romanus Episcopus, inquiunt, primus est inter aequales; quoniam succedente tempore per jus quoddam humanum et ecclesiasticum ac per Conciliorum decreta supra alios paullatim locum obtinuit, et primus inter Episcopos sedet, primusque sententiam dicit: atque ita de jure dumtaxat humano primatum obtinet in Ecclesiam. Ceterum, addunt, nihil solus quod ad Fidem ac mores spectet definire potest; nequit aliis

Episcopis imperare, multoque minus comminari aut executioni mandare canonicas poenas si in officio delinquant: atque ita de ceteris loquendo privilegiis. Addunt postremo purum putumque somnium esse Catholicorum affirmare Romanum Pontificem primatum accepisse a Christo Domino per Petrum Apostolorum principem; quum neque Petrus, ajunt, a Christo acceperit primatum auctoritatis et jurisdictionis, sed tantum honoris ac dignitatis. Haec heterodoxi. Catholici e contra credunt et docent B. Petrum a Christo accepisse primatum, non honoris modo et dignitatis, sed etiam auctoritatis ac jurisdictionis; Romanum Pontificem legitimum esse Petri successorem; atque adeo habere de jure divino eumdem cum Petro primatum in universalem Ecclesiam. Sit ergo

CONCLUSIO I.

B. Petrus jure divino primatum habuit auctoritatis ac jurisdictionis in ceteros Apostolos.

Prob. 1. Ille jure divino primatum habuit jurisdictionis ac potestatis in ceteros Apostolos, qui a Christo fundamentum constitutus fuit Ecclesiae. Nam esse fundamentum Ecclesiae et primatum jurisdictionis in Ecclesiam habere, unum idemque sunt: quoniam sicut in materiali aedificio fundamentum principem occupat locum quia aedificium ipsum sustentat ac regit, ita in aedificio hoc spirituali quod est Ecclesia, rem se habere dicendum est. Eodem modo de clavium loquendum est traditione. Quid aliud est enim claves tradere regni caelorum, quam summam tradere in universalem Ecclesiam potestatem? Per illa sane Isaiae verba quae cap. 22. leguntur, *Et dabo clavem domus David super humerum ejus: et aperiet, et non erit qui claudat: et claudet, et non erit qui aperiat;* et per illa alia quae Apoc. cap. 3. occurunt, *Haec dicit sanctus, et verus, qui habet clavem David: qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit;* per haec, inquam, nonnisi summam potestatem designari nemo unus revocat in dubium. Quare esse fundamentum Ecclesiae et claves habere regni caelorum, characteres sunt supremam denotantes auctoritatem. Ast B. Petrus a Christo Domino fundamentum constitutus fuit Ecclesiae, ab eodemque claves accepit regni caelorum: quod ex sola evangelica liquet lectione. Matthaei siquidem cap. 16. ita Christus Petrum alloquitur: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam ... Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* Atque idcirco collatus fuit Petro a Christo Domino primatus jurisdictionis in ceteros Apostolos. Hinc Ambrosius mox allata verba exponens Serm. 47. inquit: *Petra dicitur Petrus eo quod, tamquam saxum immobile, totius operis christiani compagem molemque contineat.* Et Gregorius M. lib. 4. Ep. 32. *Cunctis*, inquit, *Evangelium scientibus liquet quod voce dominica sancto et omnium Apo-*

stolorum principi Petro totius Ecclesiae cura commissa est. Ipsi quoque dicitur, Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Ipsi quoque dicitur, Tibi dabo claves regni caelorum etc.

Prob. 2. Johan. cap. 21. hoc modo Christus Petrnm rursus alloquitur: *Pasce agnos meos ... pasce oves meas*. Allata Christi verba demonstrant demandatam a Christo fuisse Petro curam pascendi oves et agnos, adeoque accepisse a Christo primatnm in ceteros Apostolos jurisdictionis et auctoritatis. *Nam* 1. *pascere* jnxta sacrae Scripturae phrasim idem est ac *regere*, *gubernare*, *pastorem esse*. Ita Ps. 2. ubi latine legitur, *reges eos in virga ferrea*, in hebraico textu pro, *reges eos*, habetur תרעם, *terohem*, a themate רעה, *rahah*, quod ex aequo significat *regere* ac *pascere*. Imo in laudata Johannis sententia ubi latine legitur, *pasce oves meas*, legitur graece Ποίμαινε τὰ προβατά μου, hoc est, *rege*, *curam age*, *duc oves meas*; est enim a ποιμὴν, quod ex aequo significat, *pastorem*, *rectorem*, *ductorem*, *ac regem*. Hinc Chrysostomus lib. 2. de Sacerd. Petrum appellat rectorem et praefectum Ecclesiae, quoniam ei dictum fuit, *pasce oves meas*, *pasce agnos meos*. 2. Pascere nedum agnos, sed etiam oves, idem penitus est non modo super Fideles qui agnorum nomine exprimuntur, verum etiam super alios sibi inferiores pastores qui significantur nomine ovium, auctoritatem ac potestatem habere. Quare Chrysostomus loco proxime laudato explicans Johannis verba inquit: *Aliis omissis Petrum dumtaxat affatur, fratrum ei curam committit*.

Prob. 3. ex variis Petri praerogativis quae si non seorsim, simul tamen acceptae, non obscure insinuant Petro primatum competere jurisdictionis super alios Apostolos. Prima ergo Petri praerogativa est quod illi soli, non aliis Apostolis Christus nomen mutaverit Johan. cap. 1. Altera est quod ubi Evangelistae plures commemorant simul Apostolos, priori loco fere semper Petrus recensetur, ut Matth. cap. 10. Marci 3. Lucae 6. Actor. 1. Tertia quod primum convocaverit Ecclesiae concilium, primusque in eo fuerit loquutus, primus suffragium tulerit, ejusque sententiam ceteri sequuti sint, Actor. cap. 15. Quarta quod ipse electionem alterius apostoli in locum Judae proditoris reliquis proposuerit, Actor. cap. 1. Quinta quod ipse solns etsi comitem haberet Johannem, orationem habuerit ad populum, Actor. cap. 3. Sexta quod ipse solus et pro se et pro Johanne in Judaeorum concilio respondeat, Actor. cap. 4. Septima quod ipsi prima facta sit a Christo divinitatis suae revelatio, Matth. cap. 16. Octava demum, ne singulas enumerem, quod omnium primus Christum annuntiaverit, Actor. cap. 2. Hae inquam praerogativae collective consideratae non leve suppeditant argumentum dignitatis auctoritatisque Petri super ceteros Apostolos.

Prob. 4. ex PP. qui duo a nobis allata de Petri primatu testimonia sensu a nobis explicato interpretantur. Origenes in cap. 6. Ep. ad Rom. *Petro*, inquit, *cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super ipsum velut petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis* etc. Basilius Proem. de Jud. Dei: *Beatus*, ait, *ille Petrus omnibus discipulis praelatus, cui soli majora data quam aliis sunt testimonia, qui*

praedictus est beatus, cui claves regni caelorum concreditae sunt. Gregorius nazianzenus Orat. 26. *Vides quemadmodum ex Christi discipulis ... hic petra vocetur, atque Ecclesiae fundamentum in fidem suam accipiat ... ac reliqui discipuli eum sibi praeferri aequo animo ferant*. Mitto brevitatis caussa reliquos graecos Patres. Nonnullos seligam ex Latinis. Tertullianus de Praescr. cap. 22. *Latuit ergo aliquid Petrum aedificandae Ecclesiae petram dictam claves regni caelorum consecutum?* Cyprianus Ep. 71. ad Quintum: *Nam nec Petrus quem primum Dominus elegit et super quem aedificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere; nec despexit Paulum quod Ecclesiae prius persecutor fuisset*: *sed* etc. Hieronymus lib. 1. adv. Jovin. cap. 14. *At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves regni caelorum accipiant, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio*. S. P. Augustinus lib. 2. de Bapt. cont. Donat. cap. 1. recitatis S. Cypriani verbis paullo supra relatis: *Ecce*, subdit, *ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, apostolum Petrum in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia praeeminet, aliter quam veritas postulabat de circumcisione agere solitum, a posteriore apostolo Paulo esse correctum*. Leo M. Serm. 3. in die Assumpt. suae: *De toto mundo unus eligitur qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur: ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus*. Reliquorum Patrum missas facio sententias, et animadverto pleraque haec testimonia explicari profecto non posse de primatu honoris et dignitatis: unde consequitur obtinuisse Petrum a Christo primatum super ceteros Apostolos, adeoque in universam Ecclesiam, jurisdictionis et potestatis.

CONCLUSIO II.

Romanus Pontifex primatum habet potestatis ac jurisdictionis in omnes orbis Ecclesias, et in Episcopos particulares.

Prob. 1. Romanus Pontifex a Christo Domino primatum accepit mediante Petro auctoritatis et jurisdictionis in omnes orbis Ecclesias, et in Episcopos particulares. Nam constitutus fuit a Christo legitimus Petri successor non solum in Episcopatu Romano, sed etiam in praefectura totius Ecclesiae. Et I. Rom. Pontifex est Petri successor in Episcopatu Romano: quod ex constanti Ecclesiae traditione constat. Tertullianus enim lib. de Praescr. cap. 36. *Romanorum*, inquit, *Ecclesia Clementem a Petro ordinatum profert*. Cyprianus in Ep. ad Anton. *Factus est autem Cornelius Episcopus ... cum Fabiani locus, idest, cum locus Petri et gradus*

cathedrae sacerdotalis vacaret. Eusebius lib. 3. H. E. cap. 4. scribit: *Linus primus post Petrum Ecclesiae Romanae Episcopatum adeptus est*. Optatus milevitanus lib. 2. cont. Parmen. *Cathedra*, inquit, *unica est*, *quae est prima de dotibus ... Sedit prior Petrus cui successit Linus*, *Lino successit Clemens*, *Clementi Anacletus*, et sic deinceps usque ad Siricium. Athanasius in Ep. ad Solit. *Primum quidem ne Liberio Romano Episcopo pepercerunt*, *nulla reverentia moti quod Sedes illa apostolica esset*. Hieronymus Ep. 57. de Damaso ita loquitur: *Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor*. *Ego nullum primum nisi Christum sequens*, *Beatitudini tuae*, *idest cathedrae Petri communione consocior*. S. P. Augustinus Ep. 53. alias 165. ad Generosum omnes Romanos Episcopos agnoscit Petri successores, singulos enumerans usque ad Anastasium: *Petro*, inquit, *successit Linus*; *Lino*, *Clemens*; *Clementi*, *Anacletus* etc. *Damaso*, *Siricius*; *Siricio*, *Anastasius*. Superfluum est in re tam clara reliquorum PP. recitare sententias: et quae allata sunt satis abunde demonstrant universam Ecclesiam agnovisse semper Romanum Pontificem successorem Petri in Episcopatu Romano. II. Rom. Pontifex est Petri successor in praefectura quoque universalis Ecclesiae: quod patet 1. ex eo quod Petro succedat in Episcopatu Romano. Forma enim regiminis Ecclesiae necessario exigit ut aliquis non modo in Episcopatu, sed etiam in praefectura universalis Ecclesiae Petro succedat, quum Ecclesia sit *una*, *corpus*, *ovile*, *sponsa* etc. quae etiam num supremum aliquem exigunt rectorem; quomodo supremus rector necessarius fuit tempore Apostolorum. Cumque Rom. Pontifex Petro succedat in Episcopatu Romano, ut nuper probavimus, nec alius qui se successorem Petri faciat in praefectura universalis Ecclesiae invenitur, sua sponte sequitur Romanum Pontificem nedum in Episcopatu, sed et in summa Ecclesiae praefectura succedere Petro. Idipsum patet 2. ex SS. PP. qui Romanam Sedem cathedram Petri appellarunt, ut Cyprianus, Optatus, Hieronymus, aliique supra commemorati: quorum aliqui et aliquando Sedi Romanae Petrum adhuc praesidere, in eaque vivere affirmarunt; ut Chrysologus in Ep. ad Eutychetem ubi inquit: *B. Petrus in ejus* (Romani Pontificis) *sede et vivit*, *et praesidet*, *et praestat quaerentibus Fidei veritatem*; et Philippus Apostolicae Sedis in concilio Ephesino Legatus Act. 3. *Nulli dubium est quod S. Petrus a Domino claves regni acceperit ... qui ad hoc usque tempus*, *et semper in suis successoribus vivit*, *et judicium exercet*. *Hujus itaque secundum ordinem successor et locum tenens Beatissimus Papa noster* etc. Et S. Leo Serm. 2. in die Assumpt. suae: *Perseverat Petrus et vivit in successoribus suis*. Non raro denique testantur per os Summi Pontificis loqui S. Petrum. *Petrus*, inquiunt Patres Chalcedonensis Concilii, *per Leonem loquutus est*. Luculentissima haec sunt ad demonstrandum Rom. Pontificem Petro succedere etiam in praefectura universalis Ecclesiae.

Prob. 2. ex fide omnium saeculorum. Irenaeus de Ecclesia Romana inquit: *Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam*. Saeculo III. primatus sui jura in parti-

culares Episcopos exercuit nemine contradicente S. Stephanus R. P. de quo Lerinensis Commou. 1. cap. 5. scribit. *Tunc B. memoriae Stephanus Apostolicae Sedis Pontifex cum ceteris collegis suis, sed tamen prae ceteris, restitit, dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum Fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat*. Dionysius alex. qui eodem saeculo III. floruit, haeresis accusatus apud Dionysium Pontificem Rom. non negavit subesse se Summo Pontifici: sed Fidei suae apologeticos ad illum misit libros, ut testis est Athanasius in lib. de Synod. Saeculo IV. Athanasium ipsum sede alexandrina ab Arianis pulsum, in Ecclesiae communionem recepit Julius Rom. Pontifex hanc afferens apud Athan. Apol. 2. rationem: *Nam si, ut dicitis, omnino in culpa fuerunt, oportuit secundum canonem, et non isto modo judicium ferri: oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod justum est decernetur. An ignoratis hanc consuetudinem esse ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est definiri possit? Quapropter si isthic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit*. Idem Julius teste Socrate lib. 3. Hist. cap. 2. Athanasium alex. Paulum C-P. Asclepam gazensem, et Marcellum ancyranum ab Arianis exauctoratos suis restituit sedibus. *Eodem tempore Paulus episcopus C-P. Asclepas Gazae, Marcellus Ancyrae, et Lucius adrianopolitanus, alius ob aliam causam accusati et Ecclesiis ejecti, apud Romam omnium civitatem facile principem versantes, Julium Episcopum Romanum de suo ipsorum statu certiorem faciunt. Ille vero quoniam Ecclesia Romana privilegium praeter ceteras obtinebat, literis suis ad Episcopos orientis liberius praescriptis, illorum partes tueri studet. In orientem literas mittit, quo et suus cuique locus restitueretur, et eos qui illos temere abdicaverant, graviter reprehenderet*. Eadem habet Sozomenus lib. 3. Hist. cap. 7. Saeculo quinto S. P. Augustinus nomine Concilii Milevitani ita ad Innocentium I. scribit Ep. 176. alias 92. *Arbitramur adjuvante misericordia Domini Dei nostri, qui te et regere consulentem, et orantem exaudire dignatur, auctoritati sanctitatis tuae, de sanctarum Scripturarum auctoritate depromptae, facilius eos, qui tam perversa et perniciosa sentiunt, esse cessuros*. Caelestinus qui eodem saeculo in Petri cathedra sedit, ita ad Cyrillum alex. in causa Nestorii scribit: *Nostrae Sedis auctoritate adscita, nostraque vice et loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris; nempe, ut nisi nefariam doctrinam suis conceptis verbis anathematizet ... illico Sanctitas tua illi sedi prospiciat. Is vero modis omnibus se a nostro corpore segregatum esse intelligat*. In Concilii Ephesini Act. 2. haec Philippi Apostolicae Sedis Legati verba referuntur: *Gratias agimus sanctae venerandaeque Synodo, quod literis sancti Papae nostri vobis recitatis, sanctos cantus, sanctis vocibus vestris, sancto capiti vestro, sanctis etiam acclamationibus exhibueritis*. Et infra: *Petrus Apostolorum princeps et caput, Fideique columna, et catholicae Ecclesiae fundamentum ... ad hoc usque tempus, et semper in successoribus suis vivit, et judicium exercet*.

Legati S. Leonis Rom. in Concilio Chalcedonensi quod eodem celebratum fuit saeculo, sententiam in Dioscorum dixerunt his verbis: *Sanctus ac beatissimus Papa, caput universalis Ecclesiae Leo, per nos Legatos suos sancta Synodo consentiente, Petri apostoli praeditus dignitate qui Ecclesiae fundamentum et petra Fidei et caelestis regni janitor nuncupatur, episcopali eum dignitate nudavit, et ab omni sacerdotali opere fecit extorrem*. Non dissimili ratione de Rom. Pontificis auctoritate loquuti sunt eodem saeculo Felix III. in Ep. 5. ad Monach. orient. et Gelasius Ep. 10. saeculo sexto. Fulgentius in lib. de Incarn. et Grat. ad Petrum diaconum sic de Romani Pontificis loquitur potestate: *Quod duorum magnorum luminarium Petri scilicet Paulique verbis, tamquam splendentibus radiis illustrata, eorumque decorata corporibus Romana, quae mundi cacumen est, et tenet, et docet Ecclesia*. Concilium generale V. epistolam Eutychii C-P. episcopi refert qui ad Vigilium Romanum Pontificem ita scribit: *Et ideo petimus praesidente nobis vestra Beatitudine ... communi tractatu eadem capitula in medio proponendo, quaeri et conferri, et finem quaestioni imponi*. Pelagius II. Ep. 1. ad Episcopos Orientis: *Romana Sedes*, inquit, *instituente Domino, caput est omnium ecclesiarum*. Gregorius M. qui initium vidit saeculi septimi, ita Ep. 30. scribit: *Quanto apostolica Sedes, Deo auctore, cunctis praelata constat ecclesiis* etc. Saeculo octavo oecumenicum VII. Concilium Act. 2. epistolam approbavit Adriani ad Tharasium, in qua haec occurrunt: *Cujus Sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque ecclesiarum Dei caput existit*. Saeculo nono Johannes VIII. in Concilio Romano ita loquitur: *Romana Ecclesia est magistra, mater, et caput ecclesiarum*. Saeculo undecimo S. Anselmus in lib. de Incarn. cap. 1. inquit: *Domino et Patri universae Ecclesiae in terra peregrinationis Summo Pontifici Urbano frater Anselmus ... Quoniam divina Providentia vestram elegit Sanctitatem, cui fidem et vitam christianam custodiendam et Ecclesiam suam regendam committeret* etc. Saeculo duodecimo S. Bernardus in lib. de Consid. ad Eugenium cap. 8. sic Eugenium ipsum Summum Pont. affatur: *Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, Tu haeres Apostolorum, Tu primatu Abel ... Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii caeli janitores, gregum pastores ... Habent assignatos greges singuli singulos, Tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum omnium tu unus Pastor. Unde id probem quaeris? Ex verbis Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute ac indiscrete totae commissae sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas*. Saeculo tertiodecimo Concilia Lateranense sub Innocentio III. et Lugdunense sub Gregorio X. cui non Latini modo, sed et Graeci interfuerunt, idipsum diserte testantur. Lateranense namqne cap. 5. ait: *Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Fidelium et magistra*. Lugdunense vero Summum Pontificem Vicarium appellat Christi, successorem

Petri, rectorem universalis Ecclesiae. Saeculo quintodecimo Concilia Constantiense, Basileense, Florentinum, non aliter de Romano Pontifice sentiunt, quorum primum sess. 8. hunc Wiclefi damnavit articulum, *Papa non est immediatus et proximus Vicarius Christi et Apostolorum*. Alterum vero testatur quod *Summus Pontifex sit caput et primus Ecclesiae, Vicarius Christi, et a Christo non ab hominibus vel synodis aliis praelatus, et pastor Christianorum. Quod ei datae sunt omnino claves* etc. Tertium: *Definimus*, inquit, *sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem terrae primatum tenere, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere*. Omnium itaque saeculorum fides testatum facit Rom. Pontificem primatum habere jurisdictionis in omnes orbis Ecclesias, et Episcopos particulares. Neque enim hactenus allata testimonia de primatu dumtaxat ordinis et dignitatis possunt intelligi.

SCHOLION.

Nunc praerogativae primatus Romani Pontificis breviter hic indigitandae sunt: quae ad septem reduci possunt. Prima est jus convocandi generalia Concilia. Altera, eis praesidendi. Tertia, illaque confirmandi. Quarta, jus in ipsius Ecclesiae et Conciliorum generalium legibus dispensandi. Quinta, quod ex omni orbis parte possit ad illum appellari. Sexta, infallibilitas, si definiat ex cathedra. Septima, plenitudo potestatis in Ecclesia.

Recensitas hactenus praerogativas ii etiam Theologi admittunt, qui libertatibus frui dicuntur gallicanis, quique cum illis faciunt. Ast quum ipsi Concilium esse supra Pontificem autument, diversimode a Theologis nostris praerogativas illas intelligunt. Et I. nostri Theologi ita ad Romanum Pontificem jus generalia convocandi Concilia pertinere arbitrantur, ut Concilium ab eo vel non jubente vel non consentiente collectum, legitimum haberi non debeat. Theologi vero gallicani systematis tenent aliquando Concilium, etiam Summo repugnante Pontifice, communi Ecclesiae consensu convocatum ratum habendum esse atque legitimum. II. legitimum habendum non esse volunt complures Concilium cui Rom. Pontifex vel per se ipsum vel per alium a se constitutum non praesideat. Existimant vero gallicanarum assertores libertatum posse ab ipso Concilio praesidem interdum designari. III. deficiente Rom. Pontificis confirmatione, Concilii decretis juxta nostros Theologos omne deest robur. Sed contrarium aliquibus in casibus propugnant Theologi galli. IV. jus dispensandi ita Theologi romani Summo concedunt Pontifici, ut pro suo arbitratu dispensare, imo et abrogare valeat Ecclesiae Conciliorumque generalium decreta. Systematis autem gallicani patroni dispensandi facultatem ab ipsa Ecclesia commissam esse docentes, volunt non pro lubitu, sed tunc solummodo queat dispensare quando ipsa dispensaret Ecclesia, lege interim integra remanente. V. Summus Pontifex juxta nostrates quamlibet potest appel-

lationem recipere. Sed juxta Gallos recipere non potest appellationes nisi secundum Canonum quibus subjectum esse contendunt, praescriptas sanctiones. VI. infallibilis est Pontifex Summus si definiat ex cathedra, ajunt Romani; et Cathedrae nomine congregationem Romani Cleri intelligunt. Verum Theologi galli per Cathedram consensum intelligunt universalis Ecclesiae. VII. ex quo habeat Summus Pontifex in Ecclesia plenitudinem potestatis, nostri Theologi et Canonistae deducunt non posse illam a nullis Ecclesiae legibus limitari. Libertatum gallicanarum e contra defensores tradunt usum apostolicae potestatis per canones Spiritu Dei conditos, totiusque mundi reverentia consecratos esse moderandum.

CAPUT II.

Quorumdam argumentorum refutatio.

Obj. I. cont. 1. thes. Ex verbis illis, *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, erui nullo modo potest Petri in ceteros Apostolos primatus. Neque enim verba illa ad Petri personam referuntur, sed vel ad omnes Fideles, ut illa refert Origenes Tract. 1. in Matth. vel ad Fidei confessionem, ut Hilarius lib. 6. de Trinit. Basilius adv. Eunom. Gregorius nazianzenus Orat. 26. aliique affirmant; vel ad Christum ipsum, ut docet S. P. Augustinus Tract. 124. in Johan. Serm. 295. de Natali Apostolorum Petri et Pauli, nec non alibi. II. et revera solus Christus petra est sive Ecclesiae fundamentum, dicente Apostolo in Ep. 1. ad Cor. cap. 3. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. Aut si aliud poni debet praeter Christum, hoc non solus Petrus, sed omnes simul erunt Apostoli, de quibus Paulus idem ad Eph. cap. 2. inquit: *Superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum*. III. unde Cyprianus in lib. de Unit. Eccl. scribit: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*. Quare nemo capitis nomen sibi valet arrogare.

Resp. ad 1. Verba illa, *Super hanc petram* etc. a Sanctis Patribus referuntur utique vel ad omnes Fideles, vel ad Fidei confessionem, vel ad ipsum Christum: sed non excludunt, imo supponunt Petri personam. Nam iidem Patres verba eadem intelligunt plerumque etiam de Petri persona. Relege illorum testimonia superius allata. Quid quod? Etiam M. Antonius de Dominis lib. 1. de Republ. Eccl. cap. 6. quamvis Petri primatui infensissimus, ingenue tamen fatetur laudatam in argumento sententiam de Petro esse intelligendam, hancque interpretationem esse *absolute veram*. Sed aliquid dicamus ad Patres singulos. Origenes memorato in argumento loco vel laudatum testimonium exponit pro more suo allegorice, non enim Fideles esse possunt Ecclesiae fundamentum, si sunt ejusdem Ecclesiae membra; vel potius affirmat sumendam esse evangelicam sententiam de omnibus Fidelibus quatenus a Petri persona repraesentantur. Alii Patres allata verba referunt ad Fidei confessionem tamquam ad meritoriam, non tam-

quam ad subjectivam, ut inquiunt, caussam. Asserunt videlicet Petri personam ob eximiam Fidei confessionem, *fundamentum* fieri promeruisse super quod aedificaretur Ecclesia, juxta illud Hieronymi in hunc locum, *Mercedem recepit vera confessio*. S. autem P. Augustinus ubi nomine *petrae* intelligit Christum, loquitur de Ecclesiae fundamento primario et essentiali, quod profecto nonnisi Christus esse potest juxta illud Apostoli I. ad Cor. cap. 3. praesertim cum saepe agat, ut lib. de Unitate Ecclesiae, adversus Donatistas efficaciam Sacramentorum a ministri sanctitate repetentes: quibus ut omnem aditum occludat, petrae nomine accipit Christum qui Sacramentis tribuit efficaciam. Ceterum non omni loco nomine petrae intelligit Christum. Audias eum lib. 1. Retract. cap. 21. sic scribentem: *Dixi in quodam loco*, nempe in libro contra Epistolam Donati, qui liber adhuc desideratur, *de apostolo Petro, quod in illo tamquam in petra fundata sit Ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait*, Hoc, ipsa petra Ecclesiae canente, culpam diluit. *Sed scio me postea saepissime sic exposuisse quod a Domino dictum est*, Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*: ut super hanc intelligeretur quem confessus est Petrus dicens*, Tu es Christus Filius Dei vivi: *ac sic Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiae figuraret, quae super hanc petram aedificatur, et accepit claves regni caelorum. Non enim dictum est illi, Tu es petra, sed*, Tu es Petrus. *Petra autem erat Christus, quem confessus Simon sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quae sit probabilior, eligat lector*. Hactenus Augustinus. Quaevis autem ex duabus expositionibus eligatur, perinde est, quoniam una alteram non excludit. Hic obiter animadverto parum modeste Bellarminum, Lojolitarum more, reprehendere Augustinum tamquam hebraicae linguae imperitissimum, quod scripserit, *Non enim dictum est illi: tu es petra, sed, tu es Petrus*. Primo namque falsum est ignorasse penitus Augustinum hebraicam linguam, ut Bellarminus, Clericus, Dallaeus, aliique arbitrantur. De quo argumento vide nostrum Berti in libro de Gestis Augustini. Deinde quid ad solvendum Calvini argumentum impacta Augustino hebraicae linguae ignorantia? Sive calluerit sive non hebraicam linguam, celeberrimum testimonium Augustinus interpretatur de Christo. Quumque alii Patres testimonium idem modo de Fidelibus, modo de Fidei exponant confessione, regerere posset Calvinus Ecclesiae traditionem non semper Christi sententiam accepisse de Petri persona: proindeque non ad Augustini ignorantiam, sed ad aliam confugere debebat solutionem. Praeterea, quomodo poterat S. Pater syriacum S. Matthaei consulere textum, quem vel a primis Ecclesiae temporibus intercidisse nemo unus ignorat? Consulere ergo debuit praeter latinam, graecam quoque versionem latina plane antiquiorem. Ast in graeca ut et in latina translatione legitur: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. Σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μοῦ τὴν ἐκκλησίαν. Denique S. Doctor optime noverat tam *Cepha* syriace, quam Πέτρος graece, no-

mina esse personae, ut vel ex adjunctis colligitur: atque idcirco dicere potuit, *Non enim dictum est illi: Tu es petra, sed, tu es Petrus.*

Ad 2. Et Christus et Petrus et reliqui Apostoli Ecclesiae fundamentum optime dicuntur. Sed diversimode. Christus est Ecclesiae fundamentum primarium et essentiale, ut paullo supra ajebam, quoniam ipse Ecclesiam fundavit sanguine suo: propter quod Ecclesia est illius corpus, ejus sponsa etc. Idque innuit Apostolus in allegato ex 1. ad Cor. cap. 3. textu. Petrus autem ac reliqui Apostoli Ecclesiae sunt fundamentum secundarium et ministeriale; omnes enim complures fundarunt particulares ecclesias, omnibus divina revelata fuere mysteria, singuli episcopatus ac presbyteratus functi sunt honore et potestate. Atque hoc sensu in V. ac N. Testamento omnes Apostoli Ecclesiae fundamentum dicuntur: eodemque sensu Cyprianus quoque in lib. de Unit. Eccl. scribit, *Hoc erant utique ceteri Apostoli quod fuit et Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis*: *atque eo sensu demum ait Hieronymus*: *Sed dicis, super petram fundatur Ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur*. Verum hoc est inter Petrum aliosque Apostolos discrimen, quod Petrus soli Christo, ceteri Apostoli Petro tamquam capiti et unitatis centro uniantur; soli quippe Petro, non aliis Apostolis dictum est: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. Hinc Cyprianus laudato proxime loco subdit: *Quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat, Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit*. Et Hieronymus post relata superius verba subjungit: *Tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio*. Atque in hunc sensum alii explicandi sunt Patres qui omnes Apostolos Ecclesiae appellant fundamentum.

Ad 3. Per Cyprianum episcopatus unus est quoad ea quae episcopatui sunt intrinseca, non quoad extrinseca. Nam episcopatui intrinsecus est et essentialis episcopatus ipsius ordo qui in omnibus unus idemque est. Jurisdictio autem magis minusve lata quae episcopatui extrinseca est, non est aequalis in omnibus; majori enim pollet jurisdictione Archiepiscopus vel Patriarcha quam simplex Episcopus, licet quoad ordinem episcopatus omnes sint aequales. Quare cum Cyprianus inquit, *Episcopatus unus est*, de ordine loquitur episcopatus, deque iis quae sunt episcopatui intrinseca, non de jurisdictione quam majorem prae ceteris fuisse in Petro, Cyprianus ipse fatetur ibidem dicens: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et cathedra una monstretur*. Et iterum, *Unum tamen caput est, et origo una*.

Obj. 2. cont. eamd. prop. Nec verba illa, *Tibi dabo claves regni caelorum*, probare videntur Petri primatum jurisdictionis. I. quoniam dicta sunt illi a Christo quatenus Ecclesiae gerebat figuram, non in propria ejus persona; unde S. P. Augustinus Tract. 50. in Johan. *Si in Petro*, inquit, *non esset Ecclesiae sacramentum, non ei diceret Dominus, Ti-*

bi dabo claves regni caelorum, quaecumque solveris in terra, soluta erunt et in caelo, et quaecumque ligaveris in terra, ligata erunt et in caelo. Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si autem in Ecclesia fit, ut quae in terra ligantur, in caelo ligentur etc. Si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit. II. quia allata verba non singulariter Petro, sed aliis etiam Apostolis dicta sunt, *Quaecumque ligaveritis super terram etc.* Quare Leo M. Serm. 3. de Assumpt. suae anniv. scribit: *Transivit in alios Apostolos vis potestatis istius, et ad omnes Ecclesiae principes decreti hujus constitutio commeavit*. III. idem dicendum de alia Christi sententia, *Pasce oves meas*. Potestas namque per haec verba significata collata est etiam aliis Apostolis dum illis ait Christus: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: Euntes docete etc.* unde Augustinus lib. de Agon. Christ. cap. 30. inquit: *Cum ei* (Petro) *dicitur, ad omnes dicitur, Amas me? Pasce oves meas*.

Resp. ad 1. verba illa, *Tibi dabo claves etc.* dicta fuisse Petro a Christo quatenus Ecclesiae gerebat figuram sub ratione capitis et rectoris. Sicut enim quilibet Episcopus suam repraesentat ecclesiam, ut Cyprianus ait, si ecclesiae cujus caput est, doctrinam fidei morum ac disciplinae retineat; ita Petrus, et in ipso illius successor Rom. Pontifex, figurata quadam generalitate universalis Ecclesiae cujus caput est et rector, personam repraesentat, si illius fidei morum ac disciplinae regulas sedulo diligenterque custodiat. Atque hoc sensu Ecclesiae figuram gessisse Petrum affirmat S. P. Augustinus laudata in argumento sententia; unde Tract. ultimo in Johan. *Cujus Ecclesiae*, inquit, *Petrus apostolus, propter apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam*. Et in Psal. 108. idem repetit. *Cujus* (Ecclesiae) *ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter primatum quem in discipulis habuit*.

Ad 2. Aliis etiam Apostolis datae sunt claves; quis hoc inficiatur? Sed salva, non exclusa S. Petri primatus praerogativa. Petro enim singulariter dicit Christus, quod ceteris non dixit Apostolis, *Et tibi dabo claves regni caelorum*. Hinc S. Leo immediate post allata in argumento verba subjungit: *Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiae rectoribus praeponitur*. Et paullo ante jam scripserat: *Magnum et mirabile, dilectissimi, huic viro* (Petro) *consortium potentiae suae tribuit divina dignatio: et si quid cum eo commune ceteris Christus voluit esse principibus, numquam, nisi per ipsum Petrum, dedit quidquid aliis non negavit*. Et rursus: *Primus est in Domini confessione, qui primus est in apostolica dignitate*.

Ad 3. Idem de verbis illis, *Pasce oves meas*, dicendum est. Dicta sunt nempe reliquis etiam Apostolis, sed salva Petri primatus praerogativa, quam salvam voluit etiam Augustinus ubi ait: *Cum ei dicitur, ad omnes dicitur ... Pasce oves meas*; nam Petrum *Apostolatus principatum* tenere docet compluribus aliis in locis, ut Serm. 76. de Scriptur. lib. 2. de Bapt. cont. Donat. cap. 1. et alibi.

Obj. 3. adv. eamd. thes. Paulum Petro aequalem fuisse et S. Scripturae et SS. PP. innuere non obscure videntur. Et I. in sacris literis passim legitur Paulum fuisse apostolum Gentium, sicut Petrus fuit Judaeorum. II. Paulum ab universalis Ecclesiae cura angi fuisse solitum, quomodo angebatur et Petrus. III. Paulum denique in faciem restitisse Petro. IV. quoad Patres, saepe ipsi testantur Ecclesiam Romanam a Petro et Paulo fuisse fundatam. V. et Romanos demum Pontifices successores esse ex aequo Petri et Pauli.

Resp. ad 1. Paulus fuit Apostolus Gentium, sicuti Petrus Judaeorum non divisione jurisdictionis, sed sortis; secus nec Petrus Gentibus nec Paulus Judaeis Evangelium annuntiare potuissent, quod est contra veritatem historiae. Cornelius enim centurio qui gente ethnicus erat, jussus est ab Angelo arcessere Petrum; et Paulus e contra frequentissime evangelizabat in synagogis Judaeorum, ut legitur in Act. Apostolorum.

Ad 2. Ecclesiarum solicitudo a qua Paulus non minus ac Petrus angebatur, demonstrat dumtaxat omnes Apostolos a Deo accepisse auctoritatem fundandi ac regendi per universum orbem ecclesias. Cum hoc tamen discrimine ut solus Petrus ceterorum caput esset et primas.

Ad 3. Respondet S. P. Augustinus Ep. 82. cap. 2. ad Hieronymum his verbis: *Ipse vero Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sancte ac benigne pietate humilitatis accepit: atque ita rarius et sanctius exemplum posteris praebuit, quo non dedignarentur, sicubi forte recti tramitem reliquissent, etiam a posterioribus corrigi*. Et infra: *Est laus itaque justae libertatis in Paulo*, *et sanctae humilitatis in Petro*.

Ad 4. Eo sensu sancti Patres ac praesertim Irenaeus lib. 3. adv. Haer. cap. 3. Epiphanius Haer. 27. Chrysostomus Hom. 32. in Ep. Pauli ad Rom. aliique Ecclesiam Romanam a Petro et Paulo fundatam fuisse affirmant, quod uterque Romae Evangelium annuntiaverit, uterque Romae sanguinem fuderit, uterque episcopatus munera Romae obierit, salvo tamen semper Petri primatu. Nam Patres. iidem in argumento relati, ac alii qui afferri possent, ubique testantur Petrum caput fuisse ac principem ceterorum Apostolorum.

Ad 5. Romani Pontifices dicuntur Petri et Pauli successores quoad realem, non quoad personalem successionem, quoniam Petro ac Paulo in juribus succedunt Apostolatus. In juribus autem personalibus, in summa nimirum potestate, non Paulo, non aliis Apostolis, sed Petro succedunt. Hinc Bernardus lib. 1. de Cons. ad Eugen. *Tu es*, inquit, *potestate Petrus*.

Obj. 4. cont. 2. prop. Ex doctrina primatus Rom. Pontificis sequitur ipsum esse Episcopum oecumenicum seu universalem: quod absolute absurdissimum est. Nam Gregorius M. in Ep. 32. ad Mauritium Imp. inquit: *Cura ei* (Petro) *totius Ecclesiae et Principatus committitur, et tamen universalis Apostolus non vocatur. Et vir sanctissimus consacerdos meus Johannes vocari universalis episcopus conatur? ... Quis*

est iste qui contra statuta evangelica, contra canonum decreta, novum sibi usurpare nomen praesumit? Haec manifesta sunt. II. neque argumentum solvunt qui dicunt eo sensu neminem inter Episcopos oecumenici nomen assumere posse, ut aliorum Episcoporum praejudicetur jurisdictioni et auctoritati. Nam inverisimile prorsus est Johannem oecumenici nomen sibi arrogasse, ut solus dici vellet Episcopus; quum certo constet vel ipsam Rom. Sedem sedi C-P. superiorem agnovisse. III. nullo itaque sensu Rom. Pontifex dici potest Episcopus universalis: alioquin Episcopus esset Episcoporum, contra expressam Cypriani sententiam dicentis in Ep. ad Quintum, *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit*. IV. et merito quidem, quoniam Episcopi ab eo dumtaxat judicari possunt a quo Episcopi sunt constituti, nempe a solo Deo. *Expectemus universi judicium Domini N. J. C. qui unus et solus habet potestatem, et praeponendi nos in Ecclesiae gubernatione, et de actu nostro judicandi*, inquit Cyprianus ibidem.

Resp. ad 1. Nunquam a Catholicis Rom. Pontifex appellatus est vel appellatur Episcopus universalis seu oecumenicus, quoniam Spiritus sanctus posuit Episcopos singulos singulas regere ecclesias. Ex nostra nihilominus de primatu doctrina consequitur utique Rom. Pontificem, sensu non pravo, Episcopum dici posse oecumenicum, salva videlicet aliorum Episcoporum auctoritate ac jurisdictione. Et revera si particularis ecclesiae Episcopus quilibet aut in fide deficiat aut muneri non satisfaciat suo, nonne ad Rom. Pontificem tamquam ad universalis Ecclesiae primatem et caput spectat admonere, objurgare, et si opus fuerit, poena etiam canonica illum mulctare? Hoc sensu Rom. Pontifex Episcopus dici potest universalis. Et quoniam Johannes IV. C-P. antistes qui reluctans ad episcopatum fuerat evectus, occupata autem C-P. sede, inusitatum Episcopi oecumenici nomen usurpans, in suspicionem venit velle se solum Episcopum esse, quasi ceteri Episcopi vicarii ejus essent ac delegati, merito a Gregorio redarguitur ea ratione quod nullus umquam, neque Rom. Pontifex, universalis Episcopus ausus sit appellari. Hinc post allata in argumento verba e vestigio subdit: *Sed absit a cordibus Christianorum nomen illud blasphemiae in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur. Certe pro B. Petri Apostolorum principis honore per venerandam Chalcedonensem Synodum Rom. Pontifici oblatum est. Sed nullus eorum umquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, nec ut consensit*. Ex quo apparet sensu non pravo dici posse utique Rom. Pontificem Episcopum universalem; alioquin Chalcedonense Concilium honorificum illum titulum ei non obtulisset. Romanus autem Pontifex appellari maluit, quemadmodum etiam adhuc appellatur, *servus servorum Dei*, et non *Episcopus universalis*, vel Episcopus Episcoporum, ad omnem removendam aequivocationem.

Ad 2. Quamvis Johannes universalis Episcopi nomen non eo sensu forte usurpaverit ut vellet alios Episcopos nullam nisi ab eo derivatam habere jurisdictionem, nihilominus quum nullo prorsus sensu Episcopus oe-

cumenicus dici posset; erat enim merus C-P. Episcopus, nec tamquam Patriarcha a Romana Sede agnitus, Gregorius ut superbiae illum redargueret bene ait ejusmodi nomen usurpatum ab eo cui nullo competere jure potest, et nunquam ab eo cui sensu aliquo potest convenire, arrogatum esse blasphemum.

Ad 3. Dum Cyprianus inquit neminem Episcopum Episcoporum posse se constituere, loquitur de Episcopis intra, non extra Africam. Tuebatur enim S. Martyr sententiam de rebaptizandis haereticis contra Ecclesiae Romanae traditionem. Cumque acriter a Stephano Rom. Pontifice reprehenderetur, Concilium in Africa convocavit singulos hortans Episcopos ut libere unusquisque sententiam suam pronunciaret omni excusso timore: quum nemo Episcopus sit in eo Concilio Episcoporum, *Superest ut de hac re singuli quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes. Neque enim quisquam Episcopum se Episcoporum constituit, ut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigat, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium*. Ceterum Rom. Pontifex servum servorum Dei, non Episcopum se nominat Episcoporum, quamvis in alios Episcopos supremam habeat potestatem.

Ad 4. Cyprianus appellat solum Deum judicem Episcoporum quoad actus interiores, non quoad actus exteriores et manifestos; alioquin nec a Conciliis possent judicari. Et apposite quidem ad scopum suum qui erat, ut in Carthaginensi Concilio in caussa Rebaptizantium convocato, unusquisque libere suffragium suum ferret, ut diximus, nec aliorum timeret Episcoporum judicium; quum ante conciliarem definitionem solus Deus judex sit intentionis Episcoporum. Ast non loquitur Cyprianus de actibus extrinsecis et manifestis de quibus judicare posse Rom. Pontificem fatetur ipse Cyprianus ad Stephanum scribens: *Dirigantur a te literae in provinciam, et ad plebem Arelate constitutam, quibus abstento Marciano* (arelatensi episcopo) *alius in locum ejus substituatur*.

Obj. 3. cont. eamd. thes. Canone 6. Concilii Nicaeni statuitur ut *antiqui mores serventur qui sunt in Ægypto, Libya, et Pentapoli, ut alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quandoquidem et Episcopo Romano parilis mos est*. Ita vertunt Dionysius et Isidorus. Rufinus autem: *Ut apud Alexandriam, et in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum ecclesiarum solicitudinem gerat*. Ex quibus apparet Nicaenum Concilium Romanum comparare Pontificem cum Patriarcha alexandrino. II. ad summum Romanus Antistes universalis Ecclesiae primatu gaudet jure non divino, sed humano ob urbis Romae imperium et nobilitatem. Nam Concilium C-P. I. can. 2. statuit, *ut C-P. Episcopus habeat priores honoris partes, seu privilegia honoris post Romanum Episcopum; eo quod sit nova Roma*. Quem Canonem Concilii Chalcedonensis Patres approbantes ita can. 28. loquuntur: *Eadem quoque et nos decernimus ac statuimus de privilegiis sanctissimae ecclesiae C-P. novae Romae. Etenim anti-*

quae Romae throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt. III. ecclesia Gallicana quae communionem cum Ecclesia Romana servat, doctrinam de Romani Pontificis primatu nullimode recipit de jure divino, sed de jure humano dumtaxat, ut M. Antonius de Dominis testis est his verbis: *Parisiensium doctrina enucleate intellecta nihil discrepat a mea ... Schola parisiensis et nostra est*.

Resp. ad 1. Nicaenum Concilium Rom. Pont. comparat cum Patriarcha alexandrino in iis quae ad jura spectant Patriarchatus, non primatus. Sub quadruplici enim respectu Rom. Antistes considerari potest; videlicet ut Episcopus urbis Romae ejusque districtus, ut Metropolita respectu romanae provinciae, ut Patriarcha respectu totius occidentis, atque ut Summus Pontifex et primatum jurisdictionis habens respectu universalis Ecclesiae. Porro Canon nicaenus de Episcopo Romano loquitur prout Patriarcha est, non quatenus est totius Ecclesiae caput. Vide quae de hoc argumento diximus lib. 4. cap. 12. ubi de Conciliis egimus.

Ad 2. Duo laudati in argumento Canones et ipsi de jure patriarchico, non de jure loquuntur primatus. Atque ut Canones distincte intelligantur, animadvertendum est quod quum Christi Ecclesia longe lateque diffundi coepit, quamdam opus fuit christianam instituere politiam, per quam videlicet singulis urbibus praeficeretur Episcopus, singulis provinciis Metropolita, pluribus simul provinciis Primas, complures Primates seu Metropolitae vel Archiepiscopi vel Exarchae (non enim ii gradus uno eodemque semper nomine appellati sunt) uni Patriarchae subjicerentur: in eaque stabilienda politia urbium majestas et amplitudo (praeterquam in ecclesia Africana) ut plurimum spectabatur. Qua de re factum est ut quoniam Summus Pontifex Romae ubi sedes vigebat imperii residebat, praeter primatum auctoritatis quo in universalem Ecclesiam de jure divino gaudebat, collatum ei quoque fuerit jus patriarchicum in universam occidentalem Ecclesiam. Quum vero Constantinus M. imperii sedem Constantinopolim subinde transtulerit, illius urbis Episcopus novum ambiens honorem in jure patriarchico Summum coepit aemulari Pontificem, edito in C-P. Concilio 1. Canone: eademque ducti ratione Patres Concilii Chalcedonensis C-P. Canonem confirmarunt, neutro tamen a Romana Sede approbato. Ex quo consequitur Episcopum C-P. privilegia honoresque patriarchatus, non primatus a duobus illis Canonibus accepisse. Ceterum vel a duobus illis Conciliis apparet Romano Pontifici esse in omnes orbis Ecclesias de jure divino primatum jurisdictionis. Nam si C-P. et Chalcedonenses Patres existimassent primatum Romani Pont. fuisse de jure humano inductum, profecto declarassent quod translata ex urbe Roma Constantinopolim Imperii sede, translatum quoque jus primatus in singulos orbis Episcopos intelligeretur; nec Patriarcham C-P. inferiorem Romano Pontifice fecissent. Alii ad argumentum respondent allatum argumentum non valere, quoniam ii duo Canones nec a Rom. Pontifice confirmati, nec ab universali fuerunt Ecclesia recepti. Quae quidem vera sunt si de priscis illis temporibus loquamur; quum Patres C-P. nec ausi fuerint Canonem suum mittere Romam,

Patres autem Chalcedonenses a Leone M. fuerint acriter redarguti. Sed Canones illi progressu temporis suscepti fuerunt et approbati in Concilio Lateranensi 4. sub Innocentio III. can. 5.

Ad postremum dico mendacem se prodere M. Antonium de Dominis dum scholam parisiensem cum sua doctrina confundit. Nam ut verbis utar Natalis Alexandri Hist. Eccl. saec. 11. et 12. diss. 8. *Et si in aliis capitibus quae, salva fide primatus jure divino Romano Pontifici convenientis, inter Catholicos, salva etiam pace fraternae charitatis, more christiano modesteque disceptantur, utrum scilicet Concilium oecumenicum sit Romano Pontifice superius, utrum Rom. Pontifex inconsulta Ecclesia et nullo ipsius accedente consensu, sit infallibilis etc. a plerisque exterarum gentium Theologis gallicani doctores dissentiant; nihil propterea de observantia erga Sedem apostolicam et S. Petri in ea successores remittere censendi sunt, aut ejusdem S. Sedis imminuere majestatem.*

CAPUT III.

De Sessione Sancti Petri Romae.

Quum heterodoxi vi argumentorum quae hactenus a nobis allata sunt ad Summi Pontificis primatum demonstrandum pressi, os penitus obstruere adigantur; ut vires iterum sumant et bellum instaurent alio sermonem vertunt, dicentes nullum ex iis quae a nobis allata sunt argumentum Rom. Pontificis primatum auctoritatis ac jurisdictionis demonstrare, siquidem verum sit primatum illum habere ex eo quod Petro in Cathedra Romana successerit. Nam nunquam Petrus, inquiunt, Romam venit, nunquam Romae Episcopus sedit, nunquam ibi martyrio coronatus est. Ita pejores sunt recentiores antiquis: quamvis enim audacissimi scelestissimique fuerint Montanus, Arius, Macedonius, Pelagius, aliique veteres; nemo tamen eo devenit impudentiae ut tam turpe ausus sit proferre mendacium. Hinc Optatus Milevitanus adversus Parmenian. lib. 2. fidenter scribebat: *Neque non potes scire in urbe Roma Petro primam cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus.* Primus ergo quod sciam qui Romanum Petro Episcopatum negaverit, fuit Marsilius patavinus initio saeculi XIV. (obiit namque an. 1328.) in libro cui titulus, *Defensor pacis*, damnatus proinde a Johanne XXII. Hunc postea ducem sequuti sunt Lutherani fere omnes et Calvinistae, inter quos audaciores habentur Functius, Baleus, Osiander, Ottius, Salmasius, Illiricus, Spanhemius, qui postremus dissertationem edidit sub hoc titulo, *De Petri credita temere in urbem Romam profectione*: et ante illum Udalricus Velenus integrum scripsit volumen in quo duodeviginti argumentis suadere conatur fabulam esse iter Petri Romam. Dixi Novatores fere omnes, quoniam qui doctiores inter ipsos habentur, opinionis illius agnoscunt atque fatentur temeritatem. Sunt autem hi Cave, Hammondus, Peartonius, Grotius, Usserius, Chamier, Blondellus, Clericus,

Scaliger, aliique plures, licet reliquis assentiantur in eo quod Petrus Romae Episcopus non fuerit. Horum ergo omnium impudentiam ac temeritatem ut comprimamus, demonstrare hoc in capite aggredimur 1. Petrum Apostolorum principem Romam venisse. 2. Ibidem sedem tenuisse episcopalem. 3. Romae, non alibi subiisse martyrium.

CONCLUSIO I.

S. Petrus Apostolorum princeps revera Romam venit.

Prob. 1. Petrus ipse in sua 1. Ep. cap. 5. ad electos advenas Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae, et Bithyniae scribens inquit: *Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone coëlecta*. Ast Babylonis nomen usurpat hic Apostolorum princeps ad significandam Romam. Quod patet I. ex veteribus omni exceptione majoribus, qui τῇ βαβυλῶνι pro Ῥώμῃ usurpatum tradiderunt. Ita Papias auditor Apostolorum apud Eusebium lib. 2. H. E. cap. 15. Et Eusebius ipse qui ibidem ait: *Constat porro Petrum Marci mentionem facere in priori Epistola, quam Romae scripsisse dicitur: quam quidem Epistolam ibi perscriptam ostendit, dum urbem illam metaphorice Babylonem appellat, hoc modo: Salutat vos Ecclesia nostrae electionis consors, quae est Babylone, et Marcus filius meus*. Et Hieronymus in Catal. Script. Eccl. in Marco: *Petrus*, inquit, *in Epistola prima sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans, Salutat, inquit, vos Ecclesia quae est in Babylone collecta*. Observavit cl. Petrus Franciscus Fogginius in eruditissimo opere, *de Romano D. Petri itinere et Episcopatu* etc. haberi Florentiae in duabus Catenis MS. bibliothecae laurentianae expositionem Epist. 1. Petri a S. Johanne Chrysostomo adornatam, ubi S. Doctor eodem prorsus modo ac Eusebius et Hieronymus positam affirmat a Petro Babylonem pro Roma figurate. Idem praeterea tradunt Beda, Oecumenius, aliique Veteres. II. etiam Johannes in Apoc. cap. 17. Romam Babylonis nomine designat dicens: *Babylon magna sedet super septem montes, et habet regnum super reges terrae*; unde Tertullianus in lib. adv. Judaeos cap. 9. inquit: *Sic et Babylon apud Johannem nostrum romanae urbis figuram portat, proinde et magnae, et regno superbae, et sanctorum debellatricis* etc. Et S. P. Augustinus lib. 18. de Civ. Dei cap. 22. ait: *Ne multis morer, condita est civitas Roma, velut altera Babylon, et velut prioris filia Babylonis, per quam Deo placuit orbem debellare terrarum* etc. Quod si Johannes Babylonis nomine Romam significavit, cur non potuit et Petrus illam nomine eodem denotare? Nempe quia contradicit praeconceptae haereticorum opinioni. III. multae afferri possunt caussae cur Petrus aliique Veteres Babylonis nomen Romae per figuram imposuerint, quas omnes fusiori calamo Orosius recenset Hist. lib. 2. cap. 2. ubi similem tribuit utrique urbi ortum, similem potentiam, similem magnitudinem, similia tempora, similia bona, similia mala. Et Hebraei quidem a pueritia propheticis figuratisque assueti phra-

sibus per Babylonem Romam intelligebant. Sicut enim Chaldaeorum metropolim infensam olim experti fuerant quod judaicum regnum everterit, ita deinceps molestam habuere Romam quae captivam fecit Judaeam. Sicut idololatriae morumque turpitudinis veluti mater et altrix extitit illa, ita haec *omnium gentium serviebat erroribus: et magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem*, ut monet Leo Serm. 1. de SS. Apost. Petro et Paulo cap. 2. His accedit quod cum Babel et Babylon juxta sacrarum literarum Expositores derivetur a בלל, *balal*, *confundere*, adeoque significet *confusionem*; nomen illud jure meritoque aptari poterat Romae ubi confusa omnia atque permixta erant, tum ob totius orbis in eam confluentiam, tum ob universarum gentium falsae religionis cultum adscitum. Quid quod peculiarem habuit Petrus caussam ut figurato aliquo uteretur nomine, ad Romam unde scribebat indigitandam? Quum enim hierosolymitanum carcerem recens evaserit, non expediebat commorationis suae locum omnibus manifestare, ne Claudius id sciens Imperator, Agrippae Judaeorum Regi cui impense studebat, illum mox trucidandum restitueret, atque ita etiam Christianorum Romae degentium res male cederent".

Respondent 1. adversarii testimonium ex Petri Epistola decerptum de Babylone Assyriorum esse intelligendum. Ita Scaliger, Salmasius, Cave, quibus ex Catholicis adstipulantur de Maria, et Dupinius.

Verum praeter illa quae allata sunt, et peculiare afferri potest argumentum quo suadeatur ibi non fieri sermonem de Chaldaeorum Babylone. Narrat enim Fl. Josephus lib. 18. Antiq. cap. 12. Cajo Augusto imperante, universam judaicam gentem Babylone commorantem partim exilio pulsam, partim internecione fuisse deletam. Non poterat ergo inde scribere Petrus ad dispersos Cappadociae, Bithyniae etc. Deinde tempore quo Petrus illam scribebat Epistolam, Babylon lapidum potius congeries erat quam civitas, ut Strabo, Diodorus siculus, et Plinius testantur. Imo Plinius observat ex vastissima florentissimaque Babylonis urbe non remansisse nisi Jovis Beli templum exhausta vicinitate Seleuciae ea de caussa a Nicanore conditae ut Babylonis nomen penitus deleretur. Sic enim habet in sua Hist. nat. lib. 6. cap. 26. *Durat adhuc ibi Jovis Beli templum ... Cetero circuitu in solitudinem rediit, exhausta vicinitate Seleuciae ob id conditae a Nicanore intra nonagesimum lapidem*. Videatur etiam Hieronymus in cap. 13. Isaiae.

Insurgit hic Basnagius dicens verisimile non esse ut nulli vel pauci, Claudii tempore, ex Judaeis extiterint Babylone; quum Augusto imperitante urbem illam multi Judaeorum incolerent; et post cladem quae accidit sub Cajo anno sexto, ob grassantem luem complures alii Judaei Babylone discedentes Seleuciam se receperint, ut narrat Josephus loco paullo supra citato. Verisimile ergo est ut lue cessante antiquam Judaei repetierint patriam; sicque potuit Petrus Babylone Assyriorum Epistolam scribere. Addit deinceps jam demonstrasse Scaligerum ex probatissimis Rabbinis perseverasse Babylone semper ad annum usque Christi 700. Æchmalotarchas masculini generis de stirpe davidica. Quis ergo crediderit non extitisse Babylone tempore Petri multos Judaeos?

Verum non prosunt Basnagio allatae observationes. Et quoad primam, non diffiteor innumeros sub Augusto extitisse Babylone Judaeos. Sed imperitante Cajo qui a Claudio exceptus est, Babylonii caeso Anilaeo adeo diram in Judaeos excitavere persecutionem, ut hi viribus impares Seleuciam coacti sint confugere. Post sex a caede Anilaei annos, regnante adhuc Cajo, quum lues Babylone grassaretur, Judaeorum reliquiae et ipsae Seleuciam contenderunt. Interim Graeci ac Syri ex tempore in Judaeos qui Seleuciae morabantur irruentes, interfecerunt ex eis supra quinquaginta millia: et pauci illi qui hostium evaserunt gladium, Ctesipontem primum, tum Neàrdam ac Nisibim petierunt, ut Josephus narrat lib. 18. Antiq. cap. 19. Non repetierunt ergo babylonios lares, ut Basnagius arbitratur. Quoad alteram animadversionem desumptam ex Scaligero, dico Rabbinos fabulas semper venditare. Etiam modo ajunt se Æchmalotarcham habere in urbe Bagdad, ut legimus apud Benjaminum Tudensem in Itin.

Respondent alii cum Pearsonio Babylonem a Petro commemoratam esse Babylonem aegyptiam non longe a magno Cairo sitam.

Minus autem ac superior haec consistere potest responsio. Nam Judaei ad quos Petrus scribebat, Babylonem aegyptiam aut vix noverant, aut plane ignorabant, quum exigua admodum civitas esset, vel potius oppidulum notum ex quo una ex romanis legionibus Ægypto tuendae mancipatis in illud se receperit, ut testis est Strabo lib. 17. Quare non in Babylone aegyptiaca esse poterat Ecclesia collecta cujus nomine salutem diceret novis Fidelibus Petrus. Quod confirmatur ex quo in nullo veterum Conciliorum occurrat in subscriptionibus nomen Episcopi Babylonis aegyptiae usque ad tempora Justini junioris, videlicet post quingentos circiter annos.

Intercedit postremo Ludovicus Capellus. Babylonis nomine indigitat Petrus Hierosolymas, ubi adeo omnia confusa erant post Christi mortem, ut in ea spiritalis Babylonis singuli characteres invenirentur.

Sed neque Capello adhaerere possumus, quum ejus opinio levissimae nitatur conjecturae. Nam quo tempore Petrus suam scribebat Epistolam nullus adhuc erat Hierosolymis idololatricus cultus, propter quem Babylon juxta Scripturae phrasim dici posset: sed judaica religio perseverabat adhuc, multaque erant millia hominum qui Christo nomen dederant. Accedit praeterea quod nullibi legitur Hierosolymis nomen Babylonis fuisse attributum.

Prob. 2. ex Ep. ad Rom. ubi cap. 1. legitur: *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo ... Nolo autem vos ignorare fratres, quia saepe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in ceteris gentibus.* Liquet ex his Romae ante Pauli adventum florentissimam extitisse Christi Ecclesiam, quae a nemine plane nisi a Petro fundata erat. Hinc Eusebius H. E. lib. 2. cap. 13 inquit: *E vestigio sub ipso Claudii imperio, benigna et propitia Dei providentia Apostolorum principem Petrum Romam versus ad ejusmodi pestiferam vitae humanae corruptelam de-*

lendam, quasi manu deduxit. Et Orosius lib. 7. Hist. cap. 4. *Exordio regni ejus* (Claudii) *Petrus apostolus D. N. J. C. Romam venit; et salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbavit: exinde Christiani Romae esse coeperunt*.

Prob. 3. ex quo Marcus Romae Evangelium prout illud audivit a Petro scripserit. Idque omnes antiqui Patres testantur, in primisque Papias et Clemens alex. apud Eusebium, et Eusebius ipse qui H. E. lib. 2. cap. 15. scribit: *Igitur cum Dei doctrina Romanos adventu suo* (Petrus) *illustrasset, Simonis quidem vis ac potentia cum ipso simul auctore brevi extincta atque deleta est. Tantus autem veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum qui Petrum audiverant, ut parum haberent semel audivisse, nec contenti essent caelestis verbi doctrinam viva voce accepisse, sed Marcum Petri sectatorem cujus hodieque extat Evangelium, enixe orarent ut doctrinae illius quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. Nec prius destiterunt quam hominem expugnassent, auctoresque scribendi illius Evangelii, quod secundum Marcum dicitur, extitissent. Quod cum Petrus per revelationem sancti Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in Ecclesiis legitur. Refertur id a Clemente in VI. Inst. libro. Cui testis etiam accedit Papias hieropolitanus episcopus*. Recitat deinde lib. 6. Clementis testimonium. Hieronymus in Catal. Script. Eccl. in Marco, inquit: *Marcus discipulus et interpres Petri juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romae a fratribus, breve scripsit Evangelium: quod cum Petrus audisset, probavit, et Ecclesiae legendum sua auctoritate dedit*. Similia tradit Theophylactus dicens: *Quoniam* (Marcus) *plurimum versabatur cum Petro, idque Romae, rogatus est a Fidelibus qui Romae erant, ne tantum praedicaret absque scripturis, sed et res Christi literis proderet. Itaque vix persuasus conscripsit. Porro revelatum fuit Petro quod Marcus conscripsisset Evangelium. Proinde cum vidisset, et verum esse confirmasset, deinde in Ægyptum misit illum ut Episcopatu fungeretur*. Hoc idem habent cuncti alii scriptores, uno excepto Chrysostomo qui rem ex aliorum opinione obiter attingit.

Prob. 4. ex iis quae adversus Simonem magum Romae Petrus gessit. Scilicet quum impius ille vir ad famam sibi conciliandam per aëra volare ausus sit, precibus ad Deum Petrus obtinuit ut in praeceps rueret suorumque scelerum daret poenam. Hujus facti locupletissimos testes habemus plures veteres Patres. Puta, Arnobius lib. 2. adv. Gentes scribit: *Viderant enim* (Romani) *cursum Simonis magi, et quadrigas igneas Petri ore difflatas, et nominato Christo, evanuisse. Viderant, inquam, fidentes diis falsis, et ab iisdem metuentibus proditum pondere praecipitatum suo, et cruribus jacuisse perfractis*. Idem narrat fusius Cyrillus hierosolym. Cat. 6. Philastrius in lib. de Haer. haer. 29. *Cum fugeret* (Simon) *B. Petrum apostolum de hierosolymitana civitate, Romamque veniret, ibique pugnaret cum B. Apostolo apud Neronem re-*

gem , devictus undique oratione B. Apostoli , atque percussus ab Angelo , sic meruit interire , ut ejus magiae evidens mendacium cunctis hominibus patefieret . Ambrosius lib. 4. Hexam. cap. 8. *Petrus* , inquit , *Simonem alta caeli magico volatu petentem , dissoluta carminum potestate , dejecit et stravit* . S. P. Augustinus lib. de Haer. cap. 1. ait : *In qua urbe* (Roma) *apostolus Petrus eum* (Simonem) *vera virtute Dei omnipotentis exstinxit* . Omitto , ne longus fiam , aliorum recitare sententias . Interim legatur Severus Sulpitius Hist. Sacr. lib. 2. Isidorus Pelusiota lib. 1. Ep. 13. Maximus taurinensis Hom. 5. in natali SS. Apostolorum Petri et Pauli , Theodoretus Haereticar. Fabul. cap. 1.

CONCLUSIO II.

S. Petrus Romae Episcopus fuit .

Prob. 1. ex Patribus qui Romanorum Episcoporum contexuere catalogum , quique a S. Petro velut a primo illius urbis Antistite exordium ducunt . Sic Tertullianus in lib. de Praescr. cap. 32. scribit : *Edant haeretici origines ecclesiarum : evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successionem ab initio decurrentem , ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris habuerit auctorem , et antecessorem . Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem a Petro ordinatum refert* . Chrysostomus Hom. 10. in 2. ad Tim. inquit : *Hunc Linum ajunt quidam secundum post Petrum Romanae Ecclesiae Episcopum fuisse* . Eusebius lib. 3. H. E. cap. 4. *Linus quem in secunda ad Tim. Epistola* (Paulus) *Romae secum versari testatur , primus post Petrum ... Ecclesiae Romanae Episcopatum adeptus est* . Hieronymus in Catal. in Clem. inquit : *Clemens quartus post Petrum Romanus Episcopus fuit , tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem* . S. P. Augustinus Ep. 53. ad Generos. *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est , quanto certius et vere salubriter ab ipso Petro numeremus ... Petro enim successit Linus* etc. Consulite etiam Irenaeum , Epiphanium , et quoslibet Ecclesiae scriptores , et in singulis primum Romanum Episcopum Petrum invenietis .

Prob. 2. ex veteribus illis qui Romanam Sedem appellant cathedram Petri . Sic Cyprianus Ep. 55. ad Cornelium : *Post ista* , inquit , *adhuc insuper pseudo-episcopo sibi ab haereticis constituto , navigare audet ad Petri cathedram , atque ad Ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis orta est , a schismaticis et profanis literas ferre , nec cogitare eos esse Romanos quorum fides , Apostolo praedicante , laudata est , ad quos perfidia habere non possit accessus* . Hieronymus in Ep. ad Damas. *Ego* , inquit , *nullum primum nisi Christum sequens , Beatitudini tuae , idest , cathedrae Petri communione consocior* . Augustinus lib. 2. cont. litt. Petil. cap. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiae Romanae , in qua Petrus sedit* etc. Et in Psal. cont. partem Donati subdit : *Nume-*

rate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, Et in ordine illo Patrum quis cui successit videte. Eadem habent Prosper, innumerique Veteres.

Prob. 3. aliorum testimoniis. Irenaeus lib. 3. cap. 1. *Matthaeus*, inquit, *inter Hebraeos propria ipsorum lingua opus edidit Evangelii, Petro et Paulo Romae evangelizantibus, et constituentibus Ecclesiam*. Cyprianus Ep. 52. *Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio ... cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, idest, cum locus Petri, et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret*. Hieronymus in Catal. Script. Eccl. in Petro: *Simon Petrus post episcopatum Antiochensis ecclesiae, et praedicationem dispersionis eorum qui de circumcisione crediderunt, in Ponto, Galatia, Cappadocia, et Bithynia, secundo Claudii anno, ad expugnandum Simonem magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum Neronis, idest, decimum quartum*. Post tam illustrium testium nubem mirari subit quod Samuel Basnagius vir tanta eruditione exornatus, aliique cum eo negare adhuc audeant Petro Romanum Episcopatum. Sed qui a veritatis semita semel aberravit in meridiana luce caecutire conatur.

CONCLUSIO III.

S. Petrus Romae passus est.

Prob. Veterum testimoniis. Neque enim aliis argumentis hisce in rebus uti fas est, licet ad suadendum B. Petrum Romae, et non alibi martyrium subiisse, illud unum sufficiat ut gloriosum illius sepulcrum digito innuatur. Nam si Petrus et Paulus Romae mortui non sunt, quis illorum corpora Romam detulit? Unde et quando illuc asportata fuerunt? Aut saltem qui fieri potuit ut statim post Petri mortem universalis Ecclesia, uno consociata foedere graeca et latina, crederet Romae illum esse mortuum? Nam Clemens Rom. Episcopus in Ep. 1. ad Cor. Ecclesiae Romanae nomine data, de SS. Apostolis Petro et Paulo loquens ait: *Viris istis sancte vitam instituentibus magna Electorum multitudo aggregata est, qui supplicia multa et tormenta propter aemulationem passi, exemplar optimum inter nos* (nempe Romae) *extiterunt*. Tertullianus lib. de Praescr. cap. 36. *Si Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt! ubi Petrus passioni dominicae adaequatur* etc. Hegesippus in lib. de Excid. hierosol. cap. 1. de Petro verba faciens scribit: *Et conversus in urbem* (Romam) *rediit, captusque a persecutoribus, cruci adjudicatus poposcit ut inversis vestigiis cruci affigeretur ... quo impetrato, vel quia ita debebatur ut Christus praedixerat, vel quia persecutor non invitus indulget poenarum incrementa; et ipse Paulus, alter cruce, alter gladio necati sunt*. Dionysius Corinthiorum episcopus apud Eusebium lib. 2. H. E. cap. 24. haec

habet in Ep. ad Rom. *Ambo* (Petrus scilicet et Paulus) *cum et nostram Corinthi et vestram Romae Ecclesiam fundassent ... eodem tempore pariter martyrium subierunt*. Cajus Rom. presbyter apud eumd. Eusebium loco mox laudato: *Ego*, inquit, *Apostolorum trophaea perspicue possum ostendere. Nam si lubet in Vaticanum proficisci, aut in viam quae ostiensis dicitur te conferre, trophaea illorum qui Ecclesiam istam suo sermone et virtute stabiliverunt, invenies*. Eusebius ibid. inquit: *Paulum Romae eo* (Nerone) *regnante, securi percussum, et Petrum etiam suffixum cruci historiarum monumentis proditum est. Quia etiam insignis ac testata Petri et Pauli inscriptio quae in coemeteriis Romae ad hoc usque tempus manet, hujus rei gestae fidem facit*. Athanasius in Apol. pro fuga sua ita fatur: *Petrus quoque qui ob metum Judaeorum in latebris se habuit, et Paulus apostolus in sporta demissus et ita fugiens, cum audissent oportere se Romae martyrium subire, non abjecerunt eam profectionem, sed potius cum gaudio abierunt*. Hieronymus in Catal. Script. Eccl. in Petro: *Sepultus Romae*, inquit, *in Vaticano juxta viam triumphalem totius orbis veneratione celebratur*. Similia narrant Lactantius Divin. Inst. lib. 4. cap. 14. Theodoretus Ep. 113. Orosius Hist. lib. 7. cap. 4. Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Leo, Gregorius, aliique; unde nescio an testatior umquam haberi possit historia.

Hinc ad tot saeculorum elevandam fidem nonnisi ineptias ac gerras opponere solent haeretici. Jactat nempe Velenus dixisse Christum Matth. cap. 23. ad Hierosolymitanos: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris*; unde infert Hierosolymis, non Romae Petrum mortem oppetere debuisse. Quare inquit Chrysostomus: *Intelligit Christus Apostolos, et qui cum Apostolis fuerunt*. Eadem habet in hunc locum Hieronymus.

Sed argutiunculas, ut ajebam, profert Velenus. Nam si sensu ab eo exposito Christi Domini foret intelligendum oraculum, et Paulus qui Romae, et Andreas qui in Achaja, et Philippus ac Johannes qui in Asia, et Thomas qui in India etc. sanguinem fuderunt, Hierosolymis juxta Christi oraculum mortui fuissent, totaque periret humana fides, ut Veleni commenta sarta tecta salventur. Christi oraculum ergo, etiam juxta Chrysostomi atque Hieronymi interpretationem, non illum habet sensum, ut omnes, sed ut aliqui Apostoli a Judaeis in Jerusalem essent occidendi, ut verba ipsa in argumento allata insinuant, *ex illis occidetis, et crucifigetis*: quod accidit in Stephano, in Jacobo, in Simone qui Jacobo successit, quorum martyrium accidit Hierosolymis per manus Judaeorum. Reliqui Apostoli Hierosolymis, si non interfecti flagellis, tamen caesi sunt, ut pars altera vaticinii verificaretur, *et ex eis flagellabitis in synagogis vestris*. Nec alio sensu, ut ajebam, loquuti sunt Chrysostomus et Hieronymus qui alibi diserte affirmant Petrum Romae cruci fuisse affixum, alios Apostolos alibi.

SCHOLION.

Ad ea quae hactenus dicta sunt illustranda, operae pretium duco tempus assignare quo Petrus Romam profectus est, ne heterodoxi fucum nobis faciant. Petrus itaque post Christi mortem quatuor integris annis in Judaea mansit. Nam Paulus anno tertio a sui conversione vidisse testatur Petrum Hierosolymis: *Abii in Arabiam*, inquit in Ep. ad Gal. cap. 1. *et iterum reversus sum Damascum: deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum*. Paulus autem ad Fidem vocatus fuit anno primo post Christi passionem. Anno quarto labente, vel incipiente quinto a passione Domini, Petrus Antiochiam se contulit, ibique erecta episcopali sede permansit septem annis: quo tempore Antiochia egrediens finitimas lustrabat provincias, Pontum, Cappadociam, Asiam, Bithyniam, et Judaeos ibi degentes ad Christum pertrahebat. Accidit interea fames ab Agabo praenuntiata. Quapropter Petrus anno a Christi passione undecimo Hierosolymas rediens ab Herode Agrippa in carcerem detrusus est. Inde ab Angelo ereptus eodem anno post Christi mortem undecimo, qui incidit in annum secundum Claudii Imperatoris, Romam venit, ubi episcopalem sedem in aevum duraturam fixit. Roma Judaeis omnibus exilio pulsis anno ejusdem Claudii nono, aerae vulgaris 49. a Christi autem passione 18. Petrus Hierosolymam rediens (sub Judaeorum namque nomine veniebant etiam Christiani,) ibi praefuit eodem anno celeberrimo hierosolymitano Concilio circa Legalia, de quo Actor. 15. In hunc eumdem annum incidit alter Pauli adventus Hierosolymam, anno 14. a sui conversione, de quo adventu suo inquit in Ep. ad Gal. cap. 2. *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito*. Claudio e vivis sublato successit Nero, quo imperante Petrus Romam rediit, ibique martyrio coronatus est anno ejusdem Neronis 14.

Hinc eruitur decipi illos qui affirmant a B. Petro prius Romanam, deinde Antiochenam erectam fuisse Sedem. Nam ne omnium ferme Patrum advocem consensum in patrocinium, Concilium Romanum habitum sub Damaso Can. 236. sic habet: *Tertia vero sedes apud Antiochiam Beatissimi Apostoli Petri habetur honorabilis, eo quod illam primitus quam Romam venisset, habitavit et illic* etc. Et S. Leo Serm. 1. in Nat. Apost. Petri et Pauli, ita S. Petrum affatur: *Jam Antiochenam ecclesiam, ubi primum Christiani nominis dignitas orta est, fundaveras. Jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam legibus evangelicae praedicationis impleveras: nec aut dubius de provectu operis, aut de spatio tuae ignarus aetatis, trophaeum crucis Christi romanis arcibus inferebas.*

Decipiuntur etiam qui tenent Petrum Romam adventasse anno Claudii vel 4. vel 13. Nam liber inscriptus, *Fasciculus temporum*, et, *Passionale de vitis Sanctorum*, quorum auctoritati illa innititur opinio, apocryphi sunt, nulliusque ponderis ac fidei in rebus ad historiam et chronotaxim pertinentibus.

Multo magis a vero aberrant qui arbitrantur Romam venisse Petrum

Nerone jam imperante ; quamvis opinionis hujus patroni fulcrum aliquod se invenisse jactent in Lactantio Firmiano lib. de Mort. Persecut. cap. 11. ubi ita scribit: *Apostoli per annos 25. usque ad principium neroniani imperii per omnes provincias et civitates Ecclesiae fundamenta miserunt . Cumque jam Nero imperaret , Petrus Romam venit , et editis quibusdam miraculis ... convertit multos ad justitiam , Deoque templum fidele et stabile posuit* . Tametsi , inquam , haec in Lactantio auctore antiquissimo occurrant , nihilominus a sententia nostra non dimovemur . 1. quoniam liber de Mort. Persecut. Lactantii foetum esse non videtur , sed ignoti potius nominis auctoris , et forte L. Caecilii , ut erudita dissertatione demonstrare conatur Le Nourry . 2. quoniam in pluribus aliis erravit Lactantius ; adeoque et in hoc decipi potuit , praesertim cum communi fere SS. PP. sententiae adversetur . 3. quoniam cum bis Romam venerit Petrus , et sub Claudio et sub Nerone , de hoc forte , non de illo adventu Lactantius loquutus est: et quidem apposite ad scopum suum . Liber enim de Mort. Persecut. non omnia quae ad antiquam Ecclesiae historiam , sed quae ad persecutiones adversus Christianos excitatas spectant narrare aggreditur . Cumque nullam Claudius in Christianos moverit persecutionem , nam primus qui in nos saevit fuit Nero sub quo Petrus morte mulctatus est, de adventu sanctissimi Apostoli sub Nerone , non de primo sub Claudio narrationem contexere debuit .

CAPUT IV.

Solvuntur adversariorum argumenta .

Obj. I. adv. 1. prop. Argumentum desumptum ex eo quod Paulus Romam veniens florentissimam invenit ibi Ecclesiam , non suadet Ecclesiam illam a Petro fuisse ante Pauli adventum fundatam . Nam primi qui Romanis Evangelium annuntiarunt, fuerunt vel Romani quidam qui Hierosolymis quando Spiritus sanctus descendit super Apostolos degebant , vel Andronicus et Junia Pauli cognati de quibus sermo fit in Ep. ad Rom. cap. 16. vel Urbanus ejusdem Pauli coadjutor . Ita Basnagius . II. apud veteres scriptores adeo diversimode certamen a S. Petro cum Simone mago habitum narratur , ut de hujus historiae veritate dubitari merito possit: proindeque ex ea desumptum argumentum non valet ad demonstrandum Petrum Romam venisse .

Resp. ad 1. Probabile quidem est advenas illos romanos , Andronicum , Juniam , et Urbanum Evangelium Christi inter Romanos aliquando disseminasse , sed clam et privatim id censendum est fecisse ; non enim argumento aliquo contrarium suaderi potest . Nos autem loquimur de primo qui Romanis publice Evangelium annuntiaverit , et ita sparserit fidem , ut florentem Ecclesiam quae adhuc existit , ibi constituerit . Hunc autem fuisse Petrum , non futilibus conjecturis , sed veterum Patrum innixi testimoniis fidenter affirmamus . Relege illorum sententias cap. praec.

Ad 2. respondeo cum Baronio: *Cum sic tam Latinorum quam Graecorum testimonio de lapsu Simonis testata habeatur historia, haud curandum nobis est si in minimis quibusdam ab invicem discrepent; cum in re gesta omnes aeque consentiant*. His adde diversitatem inter antiquos scriptores in ea narranda historia, in hoc consistere quod circumstantiae nonnullae quae ab uno notantur ac referuntur, silentio praemantur ab alio: quod sane argumentum non est falsitatis.

Obj. 2. adv. eamd. thesim. Fl. Josephus qui Christianorum fautor erat, deque Christo et Jacobo et Johanne Baptista honorabile protulit testimonium, in libris de Bello Judaico quos Romae elucubravit, quum Neronis crudelitatem tetro commate notaverit, ne verbum quidem de Petri occisione habet. II. S. Lucas in Actis ubi Apostolorum vitam et gesta describit, de adventu S. Petri Romam omnino silet. III. idem dicendum de Paulo qui plures dum Romae morabatur ad Fideles scripsit Epistolas, nec umquam in illis meminit S. Petri. Imo observat Illyricus Paulum in cap. ult. Ep. ad Rom. pluribus valedicere, excepto Petro: quod non fecisset si Romae tunc revera extitisset.

Resp. 1. Regula critices est penes omnes receptissima, majorem adhibendam esse fidem duobus aut tribus testibus affirmantibus quam sexcentis nihil dicentibus, dummodo hi non negent quod illi affirmant. Hinc nemo tam effrictae frontis est, ut inficiari audeat aut Christi circumcisionem, aut apparitionem novae stellae quae Magos duxit ad praesepium, etiamsi de illa Matthaeus, de hac silcat Lucas. Hoc utitur argumento S. Hieronymus adversus illos qui S. Lucae silentio freti Petrum antiochenum tenuisse episcopatum negabant: *Mirum non est*, inquit Comm. in Ep. ad Gal. cap. 2. *si Lucas hanc rem tacuerit, cum et alia multa quae Paulus sustinuisse se replicat, historiographi licentia praetermiserit: et non statim est contrarium, si quod alius dignum judicavit relatu, alius inter cetera dereliquit*. Sed solvamus singula.

Ad 1. Haud compertum est fuisse Josephum Christianorum fautorem, quum in judaica religione, et in Pharisaeorum secta ad mortem usque perseveraverit. Quod J. Christi, Johannis Baptistae ac Jacobi meminerit, historici partes demonstrat implevisse, non studium ejus in christianam religionem. Deinde nonne in libris Antiq. multa quae in V. Testamento, fere omnia quae in N. legimus praetermittit? Dicemus proinde haec falsa esse ob unius Josephi silentium? Praeterea libros de Bello Judaico Imperatoribus Vespasiano ac Tito nuncupavit; Romae licet alienigena invisaeque religionis, honores multos a tribus Augustis obtinuit. Haec in caussa fuerunt cur ubi de Imperatorum gestis vituperandis occasio occurrebat, caute admodum loqui debuerit. Unde factum puto ut Romanae urbis incendium, et Senecae internecionem silentio praeterierit. Tandem dicens Josephus se tacere Neronis scelera voluisse quod molestum foret illa narrare, et quod multi cum Graeci tum Latini de illis scripserint, caussam nobis suppeditat cur de Petri martyrio verba non fecerit.

Ad 2. Neque silentium Lucae sententiae nostrae adversatur. Non enim

divinus ille scriptor Petri aut omnium Apostolorum, sed Pauli solius praeceptoris sui gesta narrare sibi in eo volumine proposuit. Hinc Petri et aliorum meminit Apostolorum usque ad cap. 13. quibus in capitibus communem a morte Christi usque ad conversionem Pauli contexuit historiam veluti fundamentum particularis historiae de gestis ejusdem Pauli: deinceps in reliquis capitibus alios Apostolos non commemorat nisi quatenus integritati historiae B. Pauli inserviunt. Ceterum si deductum ex Lucae silentio argumentum valeret, falsa esset historia profectionis S. Pauli Hierosolymam ut Petrum videret, historia reditus ejusdem Pauli Damascum, historia dissensionis inter Petrum et Paulum orta Antiochiae; falsum esset Paulum flagella, naufragia, aliaque perpessum fuisse discrimina, de quibus ne verbum quidem habet Lucas, plura autem dicit Paulus in suis Epistolis.

Ad 3. Mirum profecto videri non debet si Paulus in suis Epistolis Romae datis Petri mentionem non faciat; probabile enim admodum est Principem Apostolorum Roma tunc abfuisse. Nam licet Romae Episcopus esset, erat tamen etiam Apostolus; atque idcirco variis in locis ecclesias debuit constituere et aedificare. Observavit id Epiphanius dicens: *Poterant, viventibus adhuc Apostolis Petro scilicet et Paulo, Episcopi alii subrogari: quod iidem illi praedicandi Evangelii gratia in alias urbes regionesque profectionem susciperent, carere autem Episcopo Roma non posset; si quidem Paulus in Hispaniam pervenit, Petrus vero Pontum ac Bithyniam saepe numero peragravit.*

Obj. 3. adv. alt. prop. ex ejusdem Pauli Epistolis. I. ad Phil. cap. 2. de iis qui Romae morabantur scribens inquit: *Omnes quae sua sunt quaerunt.* Aut ergo Petrus Romae non erat, aut summa injuria inter illos connumeratur qui quae sua sunt quaerunt. II. in Ep. ad Colos. cap. 4. *Salutat vos*, inquit, *Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabae ... et Jesus qui dicitur justus ... Hi soli sunt adjutores mei in regno Dei.* An ne Petrus adjutor Pauli in regno Dei non erat? III. in 2. ad Tim. cap. 4. subdit: *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt.* Credibile non est Petrum voluisse Paulum misere derelinquere si Romae fuisset.

Resp. ad 1. Apostolum ibi sumere τὸ *omnes* pro *plerisque*. Nam paullo ante dixerat apud se esse Timotheum qui certe non quaerebat sua; et cap. 1. *Quidam autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant, quidam ex charitate.* Phrasis autem apud Hebraeos, Graecos, atque Latinos communis est ut per hyperbolem, *plerique*, dicantur, *omnes*. Praeterea, ut optime observat Natalis Alexander, de iis loquitur Apostolus quos mittere ad Philippenses potuisset: ait siquidem. *Spero autem in Domino Jesu Timotheum me cito mittere ad vos: ut et ego bono animo sim, cognitis quae circa vos sunt. Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis solicitus sit. Omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Jesu Christi.* Ast Petrus qui erat Apostolorum Princeps, a Paulo sane mitti non poterat. Quare illud, *omnes*, a Paulo prolatum, non complectitur Petrum.

Ad 2. Verba facere videtur Apostolus de adjutoribus in regno Dei domesticis suis, quemadmodum in 2. ad Tim. inquit, *Lucas est mecum solus*. Nam revera una cum Apostolo Romae tunc degebant Lucas, Timotheus, Epaphras, aliique quos in eadem Epistola nominat, quique proculdubio adjutores ei erant in regno Dei. Deinde sensus hic esse videtur, ut inquit Estius in hunc locum. *Hos solos habeo cooperationis ad promovendum regnum Dei quod est Ecclesia Christi, tales qui mihi in carcere constituto solatium attulerint. Ubi tacite conqueritur de paucitate operariorum qui in eo munere sincere versarentur: ut haec sententia congruat cum ejusdem Apostoli querela ad Philip. I. de paucis fratribus sincere Christum annuntiantibus.*

Ad 3. Etiam in 2. ad Tim. τὸ *omnes*, idem sonat ac *plurimi*. Suadetur id tum ex quo in eadem Epistola de Luca scribit, *Lucas est mecum solus*; tum ex S. Hieronymo scribente in Ep. ad Eph. *Quia a pluribus sit desertus, ab omnibus, idest a maxima parte, desertum se esse conqueritur*. His accedit quod loqui videtur Paulus de illis qui ei auxilium ferre poterant apud Caesarem: adesse enim alicui idem est ac opem suppeditare, ut ad Terentium adnotavit Donatus. Quod vero pro Paulo agere poterat Petrus apud Caesarem?

Obj. 4. cont. eamd. thes. cum Salmasio, qui cum in Ep. ad Gal. cap. 2. legerit Paulum Gentium, Petrum vero Judaeorum apostolum electum a Deo fuisse, *Cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis ... dexteras dederunt* etc. putat Apostolorum Principem nunquam fuisse Romae commoratum, nec Episcopatum ibi tenuisse. II. Judaei qui Paulo Romam advenienti obviam iverunt, ita loquuti sunt Act. Apost. cap. 28. *Rogamus autem a te audire quae sentis: nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur*. Sane si a Petro edocti in Fide fuissent, potuissent ne ita alloqui Paulum?

Resp. ad 1. cum Hieronymo. *Occulta hic oritur quaestio: Quid igitur, Petrus si invenisset ex gentibus, non eas adducebat ad Fidem? Aut Paulus si ex circumcisione aliquos reperisset, non eos ad Christi baptismum provocabat? Quae ita solvetur, ut dicamus principale singulis in Judaeos et Gentes fuisse mandatum: ut qui defendebant legem, haberent quem sequerentur; qui legi gratiam praeferebant, non deesset eis doctor et praevius. In commune vero hoc habuissent propositi, ut Christo ex cunctis gentibus Ecclesiam congregarent. Legimus enim et a S. Petro gentilem baptizatum fuisse Cornelium, et a Paulo in synagoga Judaeorum Christum saepissime praedicatum*. Hactenus S. Doctor. Hinc in Concilio hierosolymitano, de quo Actor. cap. 15. Petrus dixit: *Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii, et credere*. Et de Paulo ibid. cap. 9. dixit Dominus ad Ananiam: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel*. Loquitur ergo Paulus in Ep. ad Gal. de quadam cura et patrocinii divisio-

ne inter seipsum et Petrum. Ceterum ad utrumque et Gentes et Judaei pertinebant; quoniam qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et Paulo in Gentes. Praeterea etiamsi daremus, quod tamen falsum est, Petrum Judaeorum dumtaxat fuisse apostolum, non proinde sequeretur illum Romam non adventasse, ibique tenuisse Episcopatum. Nam innumeri ea aetate erant Romae Judaei. Quod constat. I. ex quo initio nascentis Ecclesiae Hierosolymis Libertinorum esset synagoga ex iis conflata Judaeis, qui Roma ad religionis caput Jerusalem convenire solebant. *Unde quinquaginta Legatis Romam ex Judaea missis, adjunxerunt se ex Judaeis urbis Romae plures quam octies mille*, inquit Josephus lib. 17. Antiq. cap. 12. II. ex quo Philo de Legat. ad Cajum scribat maximam Romae trans Tiberim partem a Judaeis fuisse frequentatam. III. ex Tacito qui Annal. lib. 2. cap. 35. narrat quod imperante Tiberio, *Actum et de sacris aegyptiis judaicisque pellendis, factumque Patrum consultum, ut quatuor millia libertini generis ea superstitione infecta, quaeis idonea aetas in Sardiniam insulam veherentur, coercendis illis latrociniis. Et si ob gravitatem caeli interiissent, vile damnum. Ceteri excederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent*. IV. ex quo, mortuo Sejano qui Judaeorum procuraverat exilium, Tiberius illis rursus favit, facultatemque concessit Romam redeundi. Hinc Agrippa in Orat. ad Cajum Judaeorum hostem infensissimum: *Deprecentur*, inquit, *pro regibus nostris Imperatores ad Imperatorem, Augusti apud Augustum, avi proavique apud nepotem*. V. quoniam Dio lib. 9. testatur sub Claudio tam ingentem fuisse Romae numerum Judaeorum, ut eos ausus non sit expellere seditionem veritus. Et quamvis eos tandem expulerit, nihilominus vel sub ejus imperii finem, vel Nerone regnante Romam reversi sunt, quod ex Actor. Ap. cap. 28. apertissime liquet. Ex his apparet Salmasii argumentum tum ex partitione evangelicae praedicationis inter Petrum et Paulum, tum ex paucitate Judaeorum Romae degentium expromptum, nihil prorsus concludere.

Ad 2. Judaei qui ita Paulum interrogarunt, esse potuerunt ex illis qui adhuc christiani non erant, sed solo nomine noverant Christum. Vel etiam dici commode potest dedisse utique nomen christianae religioni, sed a Paulo quem doctissimum existimabant, scire enucleatius voluisse quid ipse sentiret, ut in Fide magis confirmarentur. Ceterum adeo verum est plures fuisse Romae Judaeos qui Christi religionem susceperant, ut ipse Paulus in Ep. ad Rom. paullo ante data scripserit: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo*.

Obj. ult. adv. 3. prop. Clemens Rom. in Epistola sua ad Cor. meminit passionis ac mortis S. Petri, silet autem mortuum fuisse Romae: ideoque ignorabat Clemens locum passionis S. Petri.

Resp. in primis Clementem in ea Ep. non subobscure indicare Petrum passum ac mortuum fuisse Romae, quum dicat SS. Apostolos exemplar optimum *inter nos* reliquisse. Deinde Clemens non aperte locum commemorat passionis S. Petri, tum quia Romani, Corinthii, aliique optime

noverant locum mortis ejus fuisse Romam, tum quia scopus illius Epistolae id non postulabat; ibi namque demonstrandum assumit pessimorum hominum zelum et invidiam mala plurima semper in mundum intulisse: atque ad id suadendum et explicandum exemplum a passione SS. Apostolorum Petri et Pauli assumit, qui propter iniquam aemulationem martyrium passi, in debitum gloriae locum migraverunt. Quod si Clemens locum passionis S. Petri ignorabat, quomodo sciebat multos labores et martyrium fuisse perpessum? Conticescant ergo mali argutatores, veritatique cedentes fateantur Apostolorum Principem Romam venisse, Romae fuisse Episcopum, Romae mortem oppetiisse: atque idcirco argumenta a nobis superioribus allata capitibus ad demonstrandum Summi Pontificis in universam Ecclesiam primatum jurisdictionis et auctoritatis in suo robore permanere.

CAPUT V.

Variae Catholicorum sententiae de Summi Pontificis infallibilitate exponuntur.

Ad uberiorem tyronum notitiam variae nunc Theologorum sunt exponendae sententiae circa Romani Pontificis infallibilitatem. Atque illud in primis revocandum est in memoriam, Romanum videlicet Pontificem duobus considerari posse modis; ut privatum scilicet doctorem seu singularem personam, et ut ex cathedra definientem. Quae loquendi forma de summo Pontifice ex cathedra definiente, non adeo recens est ut nonnulli arbitrantur; accepta siquidem est ab Yvone Carnutensis ecclesiae antistite qui de Potest. Sum. Pont. in Ep. 233. disserens, ad illa Evangelii verba, *Super cathedram Moysi etc.* inquit: *Vult enim haec sententia praecepta Praesidentium ad cathedram pertinentia obedienter impleri, etiamsi tales sint quales erant Pharisaei*. Sed non omnes eodem se explicant modo in assignando quid sit Summus Pontifex ex cathedra loquens.

Nonnulli inquiunt tunc Rom. Pontificem ex cathedra loqui, quando aliquid definit ut Summus Pontifex est, prout videlicet doctor est ac magister universalis Ecclesiae secundum Scripturarum auctoritatem et sacrorum Canonum decreta pronuntians. Quo sensu synodi Tricassinae Patres ad Johannem VIII. Hincmari calamo scribentes affirmant, *se damnare eos omnes quos Apostolica sedes per B. et Domnum nostrum Papam privilegio B. Petri damnaret: et quod omnibus secundum Scripturarum tramitem sacrorumque Canonum decreta sedes Romana tenet, per omnia et in omnibus prosequi et tenere*.

Alii autumant ex cathedra definire esse aliquid tamquam de fide credendum proponere cunctis Fidelibus. Atque ad Rom. Pontificis judicium dignoscendum ex cathedra nonnullas adhibent notas. Si v. g. in Epistola vel Bulla plenitudinem assumat potestatis; si controversiam dirimat ad fidem vel ad mores spectantem; si directa sit definitio vel immediate

vel mediate ad universalem Ecclesiam; si excommunicationis poenam contrarium sentientibus intentet. Haec et similia signa sunt manifestissima, inquiunt, ad Rom. Pontificis dignoscendum judicium ex cathedra. Hoc innuunt Patres synodi Ticinensis affirmantes, *se summa veneratione suscipere quae Johannes VIII decreverat secundum sacrum ministerium suum auctoritate apostolica*.

Paucissimi sunt qui post Ruardum Tapperum intelligant Rom. Pontificem ex cathedra pronuntiantem, quoties sincere veritatem inquirit, et consilium adhibet pro qualitate rei; et non ab affectu, vel odio, sed ab amore veritatis motus ad definitionem accedit. Hanc opinionem nituntur quidam demonstrare auctoritate S. Leonis qui Serm. 3. de Die assumpt. suae inquit: *Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiae rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubi ex ipsius aequitate fertur judicium*. Ex qua sententia Carolus Calvus ad Adrianum II. deducebat non esse Rom. Pontificis tenendum judicium si secundum Petri aequitatem latum non sit. Puto tamen S. Leonem aequitatis nomine, non sinceritatem, sed potius auctoritatem intelligere.

Eximius scriptor noster Christianus Lupus in scholio dictatus Gregorii VII. lucidius explicat quid sit Summus Pontifex ex cathedra definiens. Sic enim inquit: *Romana Ecclesia accipitur quatuor modis. Primo pro omni Romana communione seu pro omni sub caelo Ecclesia, Romanam, ut caput, et rectae fidei radicem venerante. Et sic Romana Ecclesia est idem quod Ecclesia catholica etc. Secundo accipitur pro solo Romano Patriarchatu, uti Alexandrina aut Antiochena ecclesia etc. Tertio accipitur pro sola Romanae Metropoleos provincia, latissima olim, utpote quae comprehenderit omnem Campaniam, Thusciam, Picenum, Brutios, Apuliam, Calabriam, atque Siciliam. Quarto accipitur strictissime pro sola Ecclesia almae urbis ... Episcopalis cathedra non est solus Episcopus, sed quotquot ipsi in publico Ecclesiae conventu assident, et in illa administranda eidem suo consilio aut judicii suffragio cooperantur. Quocirca provincialis Episcopus suum presbyterium, Metropolita, Patriarcha, Papa pro Sede sua habet suas synodos quarum sunt Praesides, os, et lingua. Et dum ex eorum communi suffragio ac judicio agunt, statuunt, decidunt, loquuntur, dicuntur ex cathedra agere, decidere, statuere, loqui. Episcopus, Cathedra, et Ecclesia habent se ut pars et totum. Episcopus est pars Cathedrae, Cathedra pars Ecclesiae: sed quae totam suam Ecclesiam repraesentet. Et hinc uti quadruplex est Romana Ecclesia; ita et Apostolica ejus cathedra, et generalis, et patriarchalis, et provincialis; et sola urbica seu solum Dominorum Cardinalium cum Domino Papa Concistorium sunt Apostolica sedes*. Ex quibus apparet tunc demum Rom. Pontificem ex cathedra definire quando sententiam cum Cardinalium Concistorio pronuntiat, quibuscum Ecclesiam Romanam seu Sedem constituit Apostolicam.

Denique Theologi galli, quique illorum sequuntur opinionem, docent Romanum Pont. tunc ex cathedra definire quando judicium profert cum

consensu sive antecedente sive comitante sive subsequente universalis Ecclesiae. Consensum antecedentem vocant unanimem Ecclesiae sensum circa aliquam fidei vel morum controversiam, cui postea confirmatio accedat Rom. Pontificis. Hoc modo, inquiunt, pelagianam doctrinam haereticam declaravit Innocentius I. ex cathedra definiens, quoniam Ecclesiae in variis Synodis congregatae jam praecesserat consensus. Consensum comitantem appellant generale Concilium cui Rom. Pontifex tamquam Ecclesiae caput praesideat. Eo sensu haereses omnes ab oecumenicis Conciliis reprobatas, damnatas dicunt etiam a Summo Pontifice ex cathedra definiente. Subsequentem vero consensum intelligunt vel Synodum generalem vel universalem Ecclesiam Pontificis definitionem non solum non respuentem, sed praemisso examine ac judicio acceptantem. Ita Leo M. inquiunt, ex cathedra damnavit haeresim eutychianam postquam a Chalcedonensi Concilio epistola ejus examinata, plenis suffragiis approbata fuit.

His ita explicatis inquirunt modo Theologi: an Summus Pontifex in fidei ac morum controversiis dirimendis sit infallibilis. Omnes omnino non modo haeretici, sed et Catholici affirmant Rom. Pontificem ut singularem personam vel doctorem privatum aliquid sentientem, falli et fallere posse. Quaestio ergo versatur circa Rom. Pontificem definientem ex cathedra. Si cathedra sumatur juxta Theologorum gallorum intelligentiam, nemo est ex Catholicis qui Summo Pontifici adimat infallibilitatem; solique haeretici asserere audent neque cum generali Concilio Summum Pont. esse infallibilem. Nec mirum. Si namque ipsi tenent nec oecumenica Concilia, nec universalem Ecclesiam privilegium habere infallibilitatis, nonne a fortiori infallibilem esse negant Romanum Pontificem?

Si autem cathedrae nomen intelligatur quod alii a Gallis Theologi superius recensiti intelligunt, tunc Theologi nostri nedum haereticos, sed et ipsos Theologos et Canonistas gallos habent dissentientes. Sive quod idem est, quaerenti *an Rom. Pontifex in fidei ac morum definiendis controversiis, dum eas dirimit quidem ex cathedra, sed absque consensu antecedente vel comitante vel subsequente universalis Ecclesiae, sit infallibilis*? Theologi nostri respondent affirmative; Theologi autem et Canonistae galli respondent ejusmodi definitiones esse utique summa veneratione excipiendas, proficiscuntur enim ab universalis Ecclesiae Hierarcha, sed examini esse subjiciendas, nec recipiendas esse tamquam dogmata Fidei.

Ex quo apparet hanc quaestionem ad Fidem minime pertinere, sed a veritate exorbitare tam eos qui nostram, tam eos qui Gallorum opinionem ad Fidei depositum pertinere pronuntiant. Nam quamvis Theologi galli sui Cleri sequentes declarationem editam anno 1682. die 19. Martii publice doceant Romanum Pontificem, inconsulta Ecclesia et nullo ipsius accedente consensu non esse infallibilem, esse Concilio oecumenico inferiorem, nullamque neque indirectam in temporalibus Regum habere potestatem etc. nihilominus praeterquam quod haec non tenent tamquam dogmata Fidei, strenue defendunt primatum jurisdictionis ipsius Romani Pontificis in universalem Ecclesiam, et quidem de jure divino. Hinc S. parisien-

sis Facultas an. 1554. a supremo Senatu consulta quid de societate Jesu sentiret, antequam sententiam diceret suam, palam professa est, *nihil se adversus Summorum Pontificum auctoritatem et potestatem aut decernere, aut moliri, aut etiam cogitare velle: imo vero omnes et singulos, ut obedientiae filios, ipsum Summum Pont. ut summum et universalem Christi Jesu Vicarium, et universalem Ecclesiae Pastorem ... ut semper agnoverunt et confessi sunt; ita nunc quoque sincere, fideliter, et libenter agnoscere et confiteri*. Atque hae variae sunt circa infallibilitatem Rom. Pontificis Theologorum sententiae. Quamnam autem nos super hac re opinionem teneamus, patebit manifeste ex sequentibus.

CONCLUSIO.

Judicium Romani Pontificis in rebus fidei et morum ex cathedra universam docentis Ecclesiam, est per se ipsum omnino infallibile.

Prob. I. ex Scripturis. 1. Lucae cap. 22. Christus Dominus praesentibus omnibus discipulis quorum in fide tentationem futuram praenuntiat, sic Petrum alloquitur: *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Quis autem inficias ibit haec non ad omnes in commune Apostolos, sed ad Petrum singulariter dicta? Quia vero absoluta Christi oratio efficax semper fuit et cum effectu conjuncta juxta illud Johannis cap. 2. *Ego sciebam, quia semper me audis*, plane intelligimus datum fuisse Petro ut non solum ipse nunquam a fide deficeret, (quo sensu ait S. P. Augustinus lib. de Corr. et Grat. cap. 8. *Quando rogavit ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?*) sed etiam ut nutantes in eadem fide fratres, ipsosque Apostolos atque discipulos confirmaret post suam conversionem. Inquit enim Leo Magnus Serm. 3. de Assumpt. sua ad Pontificatum: *Specialis cura Petri a Domino suscipitur, et pro fide Petri propria supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis ceteris conferatur*. Porro laudata Christi verba non ad Petrum ut singularem tantum personam, sed et ut Ecclesiae caput, ideoque ad ejus etiam successores pertinere, post veteres omnes Patres docet Bernardus Gallicanae ecclesiae ornamentum ac decus in Epist. 199. ad Innoc. II. nec diffitetur Bossuetus def. decl. p. 3. lib. 10. cap. 4. Si ergo ea Christi oratio Petri successores, Romanos scilicet Pontifices complectitur, ut et ipsi a fide non deficiant, ac fratres suos confirment, patet manifeste eos in docendis ex cathedra fidei morumque rebus falli nunquam posse. 2. Vulgatissima est illa Christi promissio, qua postquam affirmavit se aedificaturum Ecclesiam supra Petri confessio-

nem seu fidem quam petrae nomine designavit, spopondit, *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Matth. cap. 16. Ipsum petrae vocabulum firmitatem soliditatemque indeficientem ejusdem fidei indicare satis superque constat, soliditatem vero eamdem quae in Petri fide fuit, ad successores ejus transiisse Patres docuerunt. Unum proferre sufficiat Leonem Magnum. *Soliditas illius fidei*, inquit, *quae in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est; et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit*. Et alibi: *Soliditas enim illa quam de petra Christo etiam ipse* (*Petrus*) *petra factus accepit, in suos quoque se transfudit haeredes*. At si Romanus Pontifex posset ex cathedra aut contraria bonis moribus, aut haeresim docere, ideoque a recta fide deficere, firmum ac stabile non esset fundamentum quo universa Ecclesiae moles fulciretur. Sicut enim ruat necesse est aedificium fundamento concusso, sic non posset Ecclesiae moles, Pontifice errante, consistere. Me non latet verba ista Christi Domini, *et portae inferi non praevalebunt adversus eam*, explicasse Patres de Ecclesia: sed scio etiam eos ad Romanam quoque cathedram extendisse. Sic Origenes utraque explicatione proposita utramque veram asseruit Hom. in cap. 16. Matth. *Nec adversus petram*, inquit, *supra quam Christus Ecclesiam aedificat, neque adversus Ecclesiam portae inferi praevalebunt*. Et S. Theodorus Studita Ep. 63. ad Neucratium mentionem faciens Apostolicae sedis in qua Christus claves posuit fidei, haec addit: *Adversus quam* (fidem in ea depositam) *non praevaluerunt hactenus, nec praevalebunt usque ad consummationem portae inferi, sicut pollicitus est illi qui non mentitur*. Idem antea docuerat Augustinus in Psalmo contra partes Donati, ubi ait: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo Patrum quis cui successit videte. Ipsa est petra quam non vincunt superbae inferorum portae*. Hinc sua sponte fluit inerrantia Romanorum Pontificum ex cathedra definientium. Si enim Ecclesiae infallibilitatem vel ipsi adversarii ex eo colligunt quia Christus promisit fore ne contra eam inferorum portae praevaleant, nonne exinde pariter deducenda est infallibilitas fidei a Romana sede propositae, cum eadem Christi promissio tum ex Patrum traditione, tum ex contextu evangelico referri debeat ad illam fidei petram cui tota superstructa est Ecclesia? 3. Johannis cap. 21. Christus ter Petrum interrogans an eum plus ceteris Apostolis diligat, *Simon Johannis, diligis me plus his?* curam eidem committit pascendi agnos simul et oves: *Pasce agnos meos ... pasce oves meas*. Ita Petrus ejusque successor Romanus Pontifex, Ecclesiae doctor constituitur, cum praecipuum hujus Pastoris munus in doctrina consistat. Quamvis autem ad omnes Apostolos aeque pertineat gregem pascere ac docere, immo singulis Episcopis jubeat Petrus in Ep. 1. ut gregem commissum pascant, *Pascite qui in vobis est, gregem Dei*; non tamen majorem prae aliis dilectionem a Petro postularet Christus, nisi supremam ei non ovium dumtaxat, sed et inferiorum pastorum mandare curam vellet, primamque ei Cathedram tribuere ex qua non modo discipulos, sed

et doctores ipsos, Episcopos nempe atque Presbyteros edoceret. Porro fatentur nobiscum contra haereticos adversarii gregem ipsum, universam scilicet Ecclesiam errare in rebus Fidei non posse. Non ergo errare potest supremus Ecclesiae doctor. Absurdum namque esset maximum ut discipuli errare nequeant, contra vero magister qui eos docere atque ab errore immunes servare debet, in docendo errare possit.

Prob. 2. ex perpetua Ecclesiae traditione. 1. Irenaeus lugdunensis episcopus de Romana Ecclesia lib. 3. cap. 3. haec scribit: *Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique Fideles, in qua semper ab iis qui sunt undique, conservata est ea quae ab Apostolis est traditio.* Potentiorem autem principalitatem Ecclesiae Romanae tribuit non propter urbis amplitudinem et imperium, sed quia in illa principium, basis, ac veluti centrum consistit ecclesiasticae unitatis, et tamquam in communi omnium gentium thesauro depositum custoditur apostolicae traditionis. 2. Tertullianus lib. de Praescr. cap. 36. *Habes*, inquit, *Romam*, *unde nobis quoque* (ecclesiae scilicet Africanae) *auctoritas praesto est*. *Ista quam felix Ecclesia*, *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt!* Quid, quaeso, est ex Romana Ecclesia praesto esse omnibus auctoritatem, nisi ex illa promanare omnibus certam indubiamque Fidei doctrinam? 3. Cyprianus Ep. 55. nihil se metuere affirmans a Novatianorum fraudibus, qui ausi fuerant navigare ad Petri cathedram unde unitas sacerdotalis orta est, hanc adjicit rationem, *eos esse Romanos*, *quorum fides Apostolo praedicante laudata est*, *ad quos perfidia habere non possit accessum*. Non dixit tantum, non habet accessum, sed, *habere non possit*. Censuit itaque Romanam fidem non solum non defecisse unquam, sed nec posse deficere. 4. Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmen. *Negare non potes*, ait, *scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam*, *in qua una cathedra veritas ab omnibus servaretur*. Quia vero cathedra maxime refertur ad doctrinam, laudata Milevitani verba manifeste demonstrant in una Romanae sedis doctrina unitatem Ecclesiae esse fundatam. At quomodo haec tuta in ea consisteret si cathedra illa in fide aut moribus falli posset? 5. S. Hieronymus in Ep. ad Damasum affirmat fidem a Petro et successoribus ejus traditam, in Romana sede tantum incorrupte custodiri; ait enim: *Apud vos solos* (Pontifices Summos) *incorrupta Patrum servatur haereditas*. Jam vero si infallibile non esset Romanorum Pontificum judicium, Patrum haereditas, Fidei nempe depositum, in cathedra Romana incorrupta haudquaquam maneret. 6. S. P. Augustinus Serm. 131. de verbis Apostoli ait: *Jam hac de causa* (Pelagianorum) *duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam*, *inde etiam rescripta venerunt*. *Causa finita est*: *utinam et error finiatur*! Et lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 3. inquit: *Per Papae rescriptum causa Pelagianorum finita est*, *totoque orbe post ejus damnationem damnati sunt*, *ac litteris Innocentii tota de hac re dubitatio sublata est*. Quae quidem adeo clara sunt ut nulla explicatione

indigeant. 7. S. Pelagius in Ep. 8. ad Anastasium Imperatorem scribit: *Hoc est quod sedes Apostolica maxime caret, ut, quia mundo radix est, Apostoli gloriosa confessio nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si tale aliquid proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori? vel unde correctionem errantibus posceremus?* 8. Hormisda mittens ad Orientales subscribendam professionem fidei ita eos alloquitur: *Prima salus est rectae fidei regulam custodire, et a Patrum traditione non deviare. Quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis*, Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. *Haec que dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede Apostolica inviolabilis semper catholica servatur religio*. 9. Gelasio et Hormisdae consonant Concilia generalia. Sic sexta Synodus recepit tamquam a Spiritu sancto dictatas et S. Petri manu scriptas Agathonis literas in quibus de Apostolica sede traditur: *Nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, et a tramite apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur, nec haereticis pravitatibus depravata succubuit: sed ut ab exordio Fidei christianae percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fine tenus permanet, idque secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, qui fidem Petri non defuturam promisit*. Et in Concilio Florentino praeter alia statuitur Petri successorem *totius Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere*. Ex quibus facile quisque intelligit Romanos Pontifices ex cathedra definientes infallibilem habere auctoritatem. Etenim juxta Agathonis sententiam (quae sententia est Concilii 3. Constantinopolitani ob receptas ab eo literas ejusdem Agathonis veluti a Spiritu sancto dictatas,) illibatum et incorruptum permanet in Apostolica Romana sede quod ab Apostolorum Principibus ipsa recepit, nec unquam fieri potest ut fides Petri aliquando deficiat contra Christi Domini promissiones; et ad mentem Patrum Florentinae Synodi cum Pontifex Summus nedum omnium Fidelium pater, sed et doctor existat, docere semper debet veritatem; alioquin minus recte, immo falso hujusmodi titulo donaretur, quippe quod errare docere certe non est. Nec aliter sentit antiqua Gallicana ecclesia. Nam praeter Irenaeum cujus testimonium supra recitavimus, Avitus viennensis ad Hormisdam haec scribit Ep. 87. *Securus, non dicam de viennensi, sed de totius Galliae devotione polliceor, omnes super statu Fidei vestram captare sententiam*. Jesse ambianensis in encyclica Ep. *Sequimur*, ait, *Romanae Ecclesiae auctoritatem; ut unde catholicae fidei initia accepimus, inde exemplaria salutis nostrae semper accipere debeamus, ne umbra a corpore separetur suo, ne claviger regni caelestis abiiciat quos a suis diversos intelliget esse doctrinis*. Rheginus prumiensis in Chronico inquit: *Stultitiae quidem elogio denotandi qui illam Petri sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quae nec se fefellit, nec ab aliqua haeresi unquam falli potuit*. Praeclara etiam sunt quae anno 570. edixerat synodus Turonensis. *Quis*, ait, *contra decreta talia quae a sede Apostolica processerunt, agere praesumat? Sedis Apo-*

stolicae semper fuit aut intromittere auctores quorum valere possit praedicatio, aut apocryphos facere: et Patres nostri hoc semper custodierunt quod eorum praecesserit auctoritas. Omitto Alcuinum, Yvum carnutensem, Anselmum, Petrum cellensem, Petrum elundacensem, aliosque Gallicanae ecclesiae scriptores quorum testimonia apud nostrates passim invenies. Pro singulis proferre lubet Bernardum ejusdem ecclesiae lumen et decus. Epistola 190. ita Innocentium II. alloquitur: *Oportet ad vestrum afferri Apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, ea praesertim quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum; haec quippe hujus praerogativa Sedis. Cur enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua?* Proferant, quaeso, adversarii unum vel alterum ex gallis scriptoribus qui ante Gersonem, videlicet ante Occidentis schisma, expresse affirmaverit Romanis Pontificibus nullo pacto inerrantiam in fide et moribus convenire. Jactat equidem Bossuetus Patres et Gallicanam ecclesiam: ast cum ad auctorum nomina recitanda provocatur, nullum Gersone antiquiorem laudat. Quid plura? Ipsamet parisiensis Academia cui tantopere confidit, non semper tenuit contrariam nostrae sententiam. Nam Stephanus parisiensis solemne decretum de unanimi Magistrorum theologicae facultatis edidit anno 1324. in quo sic legitur: *Sacrosancta Romana Ecclesia omnium Fidelium mater et magistra in firmissima divi Petri Christi Vicarii petra fundata est. Ad quam veluti ad universalem regulam catholicae veritatis pertinet approbatio et reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, et confutatio errorum*. Et ejusdem Facultatis Magistri tractatum theologicum Clementi VII, quem tunc temporis tamquam legitimum Pontificem venerabantur, Avenione obtulerunt, cujus conclusio prima sic se habet: *Ad sanctam sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali suprema circa ea quae sunt fidei, judicialiter definire. Ex hoc probatur, quia ad illius tamquam supremi judicis auctoritatem pertinet in fide judicialiter definire, cujus fides nunquam deficit. Sed sanctae sedis Apostolicae fides nunquam deficit; quia de hac sancta Sede in persona Petri in ea praesidentis dictum est: Petre, rogavi pro te ut non deficiat fides tua. Propter quod dicit Cyprianus: Qui cathedram Petri supra quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se non esse demonstrat. Et Hieronymus dicit: Super eam fundata est Ecclesia, et qui cum Pontifice Romano non colligit, disperdit*. Quanti autem S. Thomae parisiensis doctoris auctoritatem fecerit semper Academia illa clare patet ex elogio ejus quod in ejusdem Academiae actis continetur ac recitat Genetus tom. 1. *Cum divus Thomas*, inquit, *fuerit universae Ecclesiae lumen praefulgidum, gemma radians clericorum, fons doctorum, universitatis nostrae speculum clarissimum, et candelabrum insigne ac lucens, per quod omnes qui vias vitae et scholas doctrinae sanae ingrediuntur, lumen vident etc.* Videant ergo adversarii quid tantus Doctor de Romano Pontifice sec. sec. q. 1. art. 10. doceat. Proponit ibi quaestionem utrum Summo Pontifici jus compe-

tat edendi ipsum fidei symbolum. Sic vero respondet: *Dicendum quod sicut supra dictum est, nova editio symboli necessaria est ad vitandos insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores et difficiliores Ecclesiae quaestiones referuntur ... Unde et Dominus Petro dixit quum Summum Pontificem constituit, Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiae ... Quod servari non potest, nisi quaestio fidei de fide exorta determinetur per eum qui toti Ecclesiae praeest; ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur*. In hanc divi Thomae opinionem descendunt quoque S. Bonaventura, alter egregius parisiensis doctor, Albertus magnus, Alexander alensis, Nicolaus liranus, ac alii plures. Dubitari idcirco nullo modo potest quin vetus Ecclesiae traditio, praesertim gallicanae, et parisiensis Academiae ante Gersonem et infaustum occidentis schisma constantissime tenuerint Romanum Pontificem ex cathedra res fidei ac morum definientem errare non posse. Quod vel invitus ipsemet Johannes Gerson asseruit in sermone coram Alexandro V. die Ascensionis Domini habito. Rationem enim reddens cur Graeca ecclesia erroribus fidei vitiata fuerit, non autem Latina, Romanae fidei indefectibilitatem inde deducit, quia *latinitas ipsa purior et immaculata sedem habet Petri, pro cujus fide ne deficeret, specialiter oravit ille qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia*.

Prob. 3. ratione theologica. 1. Si Ecclesia falli nequit, ut Catholici omnes firmissime credunt, nec supremus ac finalis controversiarum judex falli poterit. Ubi namque iste legitime constitutus sedet, ante ejus assensum nutent necesse est aliorum judicia. Proinde si judicis supremi sententia errori obnoxia esset, aliorum judicium nec firmum nec inconcussum maneret. Porro Summum Pontificem supremi ac finalis controversiarum judicis praerogativa pollere, vel ex eo liquet quod oecumenica Concilia nondum rata atque absoluta habeantur, donec Romani Pontificis accedat approbatio et confirmatio, ut ex omnium Conciliorum historia, immo ex ipsa ecclesiastici regiminis ratione perspicuum est. Ac licet Bossueto daremus approbationem hanc et confirmationem nihil aliud esse nisi subscriptionem qua Pontifex Summus aliorum Episcoporum sententiam amplectitur eique calculo suo suffragatur, certum tamen exploratumque est ante Pontificis assensum Concilia nec oecumenica nec rata ac legitima, ideoque nec infallibilia existimari. Numquid ullum tot jam elapsis saeculis invenies Concilium quod a Romano Pontifice improbatum, tamquam ratum ac legitimum susceperit Ecclesia? Jam vero si Pontifex ex cathedra falli posset, posset etiam subscribere Concilio quod in Fide erraverit, ut ariminensi, seleuciensi, ephesino latrocinio; ac proinde si ejusdem judicium infirmum esset, Conciliorum generalium nutaret auctoritas. 2. Mos fuit semper penes Ecclesiam ut in rebus dubiis quae sive ad fidem sive ad

mores pertinerent, Romani Pontificis exquireretur judicium, ejusque sententiam velut oraculum omnes praestolarentur. Asseruit id Hieronymus in Ep. ad Damasum, et veteris Ecclesiae monumenta demonstrant. Nec aliter agendum putavit Gallicana ecclesia. Lupus quippe Servatus Ep. 103. ad Benedictum III. ait: *In quibuscumque ad religionem vel ad honestatem spectantibus ambiguitatem creat varietas. Ut optima quaeque eniteant, illic solicita investigatione credimus recurrendum, unde fidei ubique manavit exordium*. Hincmarus ahemensis Ep. ad Nicolaum I. inquit: *In omnibus dubiis vel obscuris quae ad rectae fidei tenorem vel pietatis dogmata pertinent, sancta Romana Ecclesia ut omnium ecclesiarum mater, magistra, et nutrix est consulenda, et ejus salutaria monita sunt tenenda*. Et ne quis existimaret cum Ecclesiam Romanam a Summo Pontifice distinguere, subjungit: *Neque enim fas est ut absque Vicario Dei, absque Clavigero caeli, absque cursu et auriga spiritualis Israelis, absque universitatis Pontifice, absque singulari Pastore, absque unico Papa, absque omnium arbitro aliquid consummetur aut divulgetur. Tu enim tenes claves David. Tu accepisti claves scientiae. In arca quippe pectoris tui arca testamenti et manna caelestis saporis requiescunt*. Gallicani insuper Episcopi judicium postulantes Innocentii X. de quinque Jansenii propositionibus, haec ad eum scribunt: *Majores causas ad sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiae mos est, in qua fides Petri nunquam deficiens perpetuo conservatur*. Ac postea eidem Innocentio ob janseniana causae definitionem gratias agentes inquiunt: *Perspectum habemus non solum ex Christi pollicitatione Petro facta, sed ex actis priorum Pontificum, judicia pro sancienda regula fidei a Summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione divina aeque ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani ex officio ipsius quoque mentis obsequium praestare tenentur, seu suam Episcopi in consultatione sententiam ponant, seu non ponant*. Ast perperam Romani Pontificis hisce in casibus judicium tam solicite exquireretur, si ipse loquens ex cathedra errori esset obnoxius. Nam post ejus sententiam iisdem vel novis controversiis res hinc inde agitaretur, nec finita prorsus causa, omnes prorsus tollerentur ambiguitates. 3. Doctrinae nostrae veritas facto comprobatur. Quis enim qui vel summis degustavit labiis ecclesiasticam historiam, iguorat Romanos Pontifices damnasse saepe ex cathedra serpentes haereses, eosque ita ab iis damnatos, nullo congregato Concilio, ab omnibus tamqnam haereticos habitos fuisse? Nonne Victor Theodorum, Zephyrinus Montanistas, Damasus Apollinarem, Siricius Jovinianum, Innocentius et Zosimus Pelagianos, Leo IX. Berengarium, Innocentius II. Petrum Abelardum, Eugenius III. Gilbertum porretanum, alii alios damnarunt qui a recta fide desciverant? Latae eorum sententiae adeo firmiter adhaesit Ecclesia, ut cognito damnationis decreto causam omnino finitam existimaverit. Hinc Augustinus confidenter ajebat lib. 2. contra duas Ep. Pelag. cap. 3. *Per Papae rescriptum causa Pelagianorum finita est; totoque orbe post ejus damnationem damnati sunt, ac*

litteris Innocentii omnis de hac re dubitatio sublata est . 4. Cum oporteat haereses esse, teste Apostolo in Ep. 1. ad Cor. necesse est ut in Ecclesia semper existat legitima auctoritas, per quam dirimi valeant quaestiones quae circa fidei et morum doctrinam enascuntur in dies. Alioquin minus providisset Christus necessitatibus Ecclesiae suae, quam suis rebus consulant humani legislatores qui in civili societate singulis illius membris patere volunt tribunal aliquod cujus definitionibus exortae lites et controversiae facile componi queant; et Ecclesia ipsa felicior fuisset vetus synagoga quam supremum judicem ex divina dispensatione habuisse omnium controversiarum ad religionem spectantium patet ex Deuteronomii cap. 17. Concilia namque generalia non possunt semper congregari cum necessitas urgeat, nec Ecclesiae consensus per orbem dispersae cognosci potest; quippe quod haereses late diffusae perturbant saepe unanimem hunc consensum, quemadmodum difficillimo eo tempore contigisse novimus quo, ut ait Hieronymus, ingemuit totus orbis, et se arianum esse miratus est. Restat ergo ut recursus fiat ad Romanum Pontificem totius Ecclesiae caput qui dirimendis fidei morumque quaestionibus praesto semper est. At quomodo jugularentur ab eo errores, si ab errandi periculo immunis ipse non esset? 5. Doctrinae novitas, praesertim si singularis sit, in rebus theologicis falsitatem redolet. Novam autem ac singularem recte dicimus Parisiensium doctrinam: novam quidem quia ante Gersonem nemo eam in Gallia, multo minus alibi eam expresse docuit; singularem vero quia, ut optime affirmat Petrus de Marca parisiensis archiepiscopus, *opinio quae Romano Pontifici ex cathedra docenti infallibilem auctoritatem tribuit, est illa quam unice Italia, Hispania, aliaeque omnes Christianitatis provinciae docent, ita ut illa quam sententiam parisiensium doctorum vocant, ad classem earum opinionum revocanda sit quae solum tolerantur ... Auctoritas infallibilem sententiam in causis fidei pronunciandi est Romanis Pontificibus omnium Universitatum consensu acquisita, excepta tamen antiqua Sorbona. Immo hoc quoque tempore hanc de infallibilitate Pontificis sententiam in ipsa Sorbona doceri videmus: nam die duodecima mensis Decembris anno* 1660. *in Sorbona publice haec thesis defensa est, videlicet: Romanus Pontifex controversiarum ecclesiasticarum est constitutus judex a Christo qui ejus definitionibus indeficientem fidem promisit*. Hic vero animadvertere juvat praeter Academiae sorbonicae theologos, alios quoque in aliis Academiis fuisse qui illorum opinionem amplexi sunt. Sed singulares auctores unam vel alteram Academiam atque Universitatem non constituunt: Idcirco veluti novam ac singularem rejicimus Sorbonae sententiam, ac jure meritoque contrariam tenemus, quae prius, quae semper, quae ubique, quae ab omnibus tradita est. 6. Tandem Bossuetus quem adversarii nostri in impugnanda Romanorum Pontificum infallibilitate ducem prae ceteris nobiliorem sequuntur, ultro concedit sedem seu cathedram Romanam falli non posse, idque saepe affirmare non dubitat Patrum quodammodo pressus auctoritate ac unanimi eorum consensione. Lib. enim 10.

p. 3. cap. 5. haec habet: *Haec igitur cathedra, haec sedes, haec Ecclesia est, quae pro sui Pontificis dignitate uniendae Ecclesiae necessaria, nunquam a vera Ecclesia, nunquam a vera fide abrumpatur*. Et cap. 6. ait: *Quae proinde cathedra si concidere posset, fieretque jam cathedra non veritatis, sed erroris et pestilentiae, Ecclesia ipsa catholica non haberet societatis vinculum, jamque schismatica et dissipata esset; quod non est possibile*. Loquens autem de fidei professione ab orientis Episcopis subsignata, ac totidem verbis expressa et recepta in Concilio generali 8. quoad inviolabilem semper servatam in sede Apostolica catholicam religionem, inquit: *Certum est hanc formulam in tota Ecclesia catholica comprobatam, omnesque Ecclesias subsignata formula professas ... sedis Apostolicae et Ecclesiae Romanae fidem integra et perfecta soliditate constare, ac ne unquam deficiat, certa Domini pollicitatione firmatam. Illam igitur propositionem, In sede Apostolica inviolabilis semper catholica servatur religio, insertam formulae fidei ubique diffusae, omnibus saeculis propagatae, ab oecumenico Concilio consecratae quis respuat Christianus?* Profecto si Romana cathedra falli nequit, nec Pontifex ex cathedra illa docens falli poterit, quippe quod cathedra nec docet nec loquitur nisi per eum qui in illa sedet, et per metonymiam tantum docere cathedra dicitur, cathedrae nomine pro magistro qui cathedram tenet, usurpato. Cum itaque Bossuetus affirmet sedem seu cathedram Romanam errare non posse, fateatur quoque necesse est nec Romanos Pontifices ex cathedra loquentes posse in errorem labi; eo vel magis quod laudato libro 10. cap. 5. apertis verbis asserat se *non distinguere a Romanorum Pontificum fide Romanae Ecclesiae fidem*. Scio doctissimum Praesulem infallibilitatis seu inerrantiae privilegium non singulis seorsim Summis Pontificibus sumptis, sed toti eorum seriei ac successioni adjudicandum putasse. Hoc sensu ibidem scribit: *Accipiendi ergo Romani Pontifices tamquam una persona Petri, in qua nunquam fides Petri deficiat. Atque ut in aliquibus vacillet, aut concidat, non tamen deficit in totum, quae statim revictura sit ... Nec porro aliter ad consummationem usque saeculi in tota Pontificum successione eventurum esse certa fide credimus*. Ast mehercule non video quomodo absque contradictione manifesta haec duo affirmari queant, nimirum fidem in serie ac successione Pontificum immotam nunquam defecturam, et nihilominus eamdem in aliquibus ejus successionis Praesulibus deficere posse et reapse defecisse, etsi *non in totum*, nec diutius, sed defecerit *mox revictura*. Cum enim series seu successio Romanorum Pontificum non tam omnes quam singulos qui post sanctum Petrum Romanam cathedram obtinuerunt et obtenturi sunt complectatur, opus est, ne quispiam ejus successionis in fide deficiat, ut vere Romana fides a sancto Petro Romanis tradita, in hac serie *immota et nunquam defectura consistat*. Nam si quis inter eos deficeret in fide docendo ac definiendo aliquid fidei contrarium, hic error in illa serie, licet unius aut alterius Pontificis, sufficeret procul dubio; nec Romana fides in ea serie atque successione dici posset intemerata

et immota, nunquam defecisse, nunquam contra eam praevaluisse inferi portas: quae tamen omnia de eadem fide ex Christi promissis traditio docet. Sibi ipsi Bossuetum contradicere ex eo etiam demonstratur quod inerrantiam tribuat Romanae cathedrae cujus nomine Romanam Ecclesiam intelligit, non autem Romanis Pontificibus. Siquidem tunc nos dicimus Summum Pontificem ex cathedra loqui, cum ex ipsius Romanae Ecclesiae sententia loquitur; audito scilicet fratrum suorum consilio, divino implorato auxilio, reque mature perpensa explorata discussa ab Ecclesiae Romanae Cardinalibus atque Theologis. Si ergo Romanus Pontifex ex cathedra docens falli posset, falleretur et cathedra seu Ecclesia Romana. Quia vero haec in ejusdem Bossueti sententia falli nequit, nec Pontifex loquens ex cathedra errare et a fide deficere unquam poterit.

CAPUT VI.

Ab adversariorum objectionibus vindicat traditam superiore capite doctrinam.

Obj. 1. Verba illa Christi Domini dicentis Petro, *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, praeceptum innuunt quo Petrus ejusque successores jubentur nutantes in fide fratres confirmare. Jam vero mandatum istud ad ceteros quoque Apostolos et Episcopos pertinet. Nam Episcopo dicitur Apoc. cap. 3. *Esto constans, et confirma cetera quae moritura erant*. Quis autem dixerit hunc vel illum Episcopum nunquam hujusmodi officio defuturum? Licet ergo in Petro successores ejus Romani Pontifices munus a Christo acceperint nutantes in fide fratres confirmandi, possunt tamen errando ab ipsa fide deficere.

Resp. Aliis quidem Episcopis idem confirmandi officium commissum est si quando suis in Ecclesiis aliquod scandalum contra fidei unitatem excitaretur, attamen non pro cujusque Episcopi fide ita orasse Christus dicendus est ne deficiat, ut pro fide Petri oravit. Proinde non cuique Episcopo, sed Petro tantum ejusque successoribus infallibilitas promittitur. Magnum namque intercedit discrimen inter alios Episcopos, et Romanos Pontifices. Cum illi singularibus praesint ecclesiis, si in fide deficerent, in errorem haudquaquam traherent totam Ecclesiam; ac propterea infallibilitatis promissio universam Ecclesiam respiciens, ipsis necessaria non fuit. E contra Romani Pontifices cum non minus quam Petrus ex primatu universae praesint Ecclesiae, et in periculis fidei unitatem ejusdem fidei debeant in ea tueri et continere confirmandorum fratrum officio, si deficerent in fide, in errorem traherent totam Ecclesiam quae jure primatus eorum fidei adhaerere debet. Idcirco ne et ipsi ab ista fide deflecterent, specialis Christi oratio interposita est.

Obj. 2. I. privilegium non errandi in fide et moribus soli convenit Ecclesiae Christi. II. nam Ecclesia, non autem Romanus Pontifex, *est columna et firmamentum veritatis*, ut ait Paulus in Ep. 1. ad Tim.

cap. 3. III. item de Ecclesia, non vero de Pontifice Summo loquitnr Christus, dum Matth. cap. 16. inquit: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*.

Resp. ad 1. Privileginm quo gaudet Christi Ecclesia non errandi in rebus fidei et morum, duplici ratione distinguitur; et qnatenus est immunitas ab errandi periculo errore personali, et quatenus immunitas est a periculo errandi errore judiciali. Sub primo respectu Fidelium societas quae veram Christi Ecclesiam constituit, adeo in verae fidei professione tuta ac stabilis consistit, ut licet singula ejus membra seorsim spectata tamquam personae singulares a recta fide desciscere possint et in errorem labi, simul tamen sumpta nullo modo queunt: sub altero autem respectu societas ista ita firmiter adhaeret fidei suae professioni, et ad finem usque mundi adhaerere debet, ut in judicandis etiam ac docendis ejusdem fidei dogmatibus a quolibet errore immunis custodiatur. Si privilegium non errandi primo sensu consideres, habebis Ecclesiam infallibilem in fide et moribus passive, nempe in credendo: quae quidem inerrantia soli convenit Ecclesiae quatenus est societas Fidelium tota simul; quia nulla singularis hujus societatis persona, non excepto ipso Summo Pontifice, id tenet proprium quod a catholica fide nunquam possit deficere. Si vero altero sensu accipias non errandi privilegium, tunc Ecclesiam dicis in fide et moribus active seu in docendo infallibilem. At quoniam nemo proprie judicat ac docet se ipsum, sed debet semper ab alio doceri ac judicari, hinc sua sponte fluit judicandi et docendi auctoritatem non esse immediate inquirendam penes Ecclesiam quatenus est societas Fidelium, sed penes illius Pastores et Doctores quos Christus juxta Pauli doctrinam in Ep. ad Eph. cap. 4. *dedit ad consummationem sanctorum in opus ministerii*; ideoque privilegium non errandi errore judiciali non pertinere ad Ecclesiam prout Fidelium congregatio est, sed tantum quatenus pastores et doctores complectitur qui collective sumpti universam repraesentant Fidelium societatem, sive sint dispersi sive congregati in Concilio. Cum autem Romanus Pontifex, nemine Catholicorum contradicente, inter pastores et doctores supremus pastor ac doctor snperemineat, cui reliqui omnes ex divina institutione subesse debent; cnmque in persona Petri munus a Christo acceperit, urgentibus satanae tentationibus et fidei exortis controversiis, confirmandi in ea fratres suos, plane intelligimus immnnitatem a periculo errandi errore judiciali sibi praecipue vindicare jure meritoque Romanum Pontificem.

Ad 2. Quis unquam nostrum negavit Ecclesiam columnam esse ac firmamentum veritatis? Sive enim per eam intelligamns Ecclesiam audientem, simplices nempe Fideles simul conjunctos sub regimine legitimorum Pastorum, sive Ecclesiam docentem, idest Pastores episcopos tnm per orbem divisos, tum coactos in generalem Synodum, firma semper manet et incolumis in veritate; quippe quod, ut supra notavimns, et in credendo et in docendo a verae fidei professione nullo pacto deficere potest. At Ecclesia utroque modo considerata Summum Pontificem supponit, quia iste

ratione sui primatus caput ejusdem est et primas in ea habet partes, quemadmodum ipsi fatentur gallicani doctores in celebri declaratione anni 1682. ubi prop. 4. aperte asserunt, *in fidei quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere*. Si ergo juxta Apostolum Ecclesia columna et firmamentum est veritatis, de Romano quoque Pontifice praerogativa haec enunciatur. Ceterum qui unum affirmat, alterum non negat. Proinde verae esse possunt et sunt reapse hae duae propositiones, *Ecclesia adhaerens capiti suo Summo Pontifici, et in Concilio oecumenico cum eo definiens res fidei ac morum infallibilis est*, quia Paulus dicit Ecclesiam columnam esse et firmamentum veritatis; et, *Romanus Pontifex ex cathedra de iis loquens quae ad fidem moresque pertinent, infallibilem habet auctoritatem*, quia Christus pro Petro ejusque successoribus specialiter oravit ne unquam deficeret fides ejus.

Ad 3. Promissio Christi illis verbis concepta, *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*, non solum ad Ecclesiam refertur sensu mox explicato, sed ad Petrum, et in Petro ad successores Romanos Pontifices. Nam citato Matth. cap. 16. Christus Dominus praetermissis aliis Apostolis Simonem tantum petram nominavit inquiens, *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*; et eo quidem consilio, ut hoc petrae nomine Petri et successorum ejus ostenderet in fide constantiam, teste Origene qui Hom. 1. in praedictum Matthaei locum ait: *Manifestum est quod nec adversus petram illam super quam aedificatur Ecclesia, nec adversus Ecclesiam ipsam quae aedificatur super hujusmodi petram, portae praevalebunt inferorum*. Neque immerito profecto id affirmat Origenes. Etenim non potest Ecclesia firma in fide consistere nisi firmum quoque et immobile sit illius fundamentum. Cum autem adversarii nobiscum fateantur Petrum, et in Petro Pontificem Summum post Christum fundamentum esse Ecclesiae, concedant etiam necesse est quod sicut contra Ecclesiam nequeunt praevalere inferorum portae, nec adversus Petri successorem Romanum Pontificem praevalere possint. Perbelle ad rem nostram scribit Augustinus serm. 29. de Sanctis: *Petrus in ea caelestium discipulorum schola praecipuus, ac primus idoneus, qui verba vitae ex Christi ore suscipiens per Evangelii veritatem Judaeorum gentem perditam quaereret, et abdicatos ad haereditatem vocaret, interpres legis, assertor gratiae, destructor synagogae, Ecclesiae reparator. Et ideo solus inter Apostolos meruit audire*, Amen dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. *Dignus certe, qui aedificandi in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum*.

Obj. 3. I. si judicium Romanorum Pontificum ex cathedra docentium infallibilis esset auctoritatis, qui de fide disceptant ultro illi acquiescerent; quod tamen falsum facto comprobatur. II. eorum decreta in Conciliis generalibus quibus ipsi per se praefuerunt, ut in quinque Lateranensibus et duobus Lugdunensibus, edita non fuissent hac clausula, *sacro*

approbante Concilio. III. nemini liceret canonicas eorum definitiones ad examen revocare: ac proinde non recte egissent nec Patres chalcedonenses expendendo dogmaticam epistolam S. Leonis Magni contra haeresim eutychianam, nec Tridentini damnando denuo Lutheri errores jam damnatos a Leone X.. IV. immo frustra habita essent et in posterum haberentur oecumenica Concilia, tot laboribus, tot sumptibus, tanto Episcoporum incommodo, tanto detrimento populorum qui eam ob causam suis Pastoribus longo saepe tempore carere debent; sufficeret enim et satis fuisset semper ad Romanos Pontifices recurrere.

Resp. ad 1. Quaero ab adversariis qui ita argumentantur, num Concilia oecumenica infallibilia sint nec ne? Si affirmative respondeant uti revera affirmant, iterum quaero cur ii qui in illis damnati sunt, eorum sententiae se non subjecerint? Concilium Nicaenum haeresim arianam damnavit, Constantinopolitanum macedonianam, Ephesinum nestorianam, Chalcedonense eutychianam, et sic de reliquis. Nihilominus hae omnes haereses post haec Concilia adhuc serpere non destiterunt. Quinimmo pleraeque post latam in eas damnationis sententiam plus quam antea propagatae sunt. Numquid Lutherani qui post Bullam Leonis X. tam alta voce ad Concilium generale tamquam ultimum judicem appellarunt, magis Tridentinae synodo acquieverunt quam Romano Pontifici? Sicut ergo stat infallibilitas Conciliorum generalium, stat quoque Romanorum Pontificum inerrantia, etsi nec istis nec illis pareant aliquando haeretici, neque eorum definitionibus acquiescant. Id enim argueret tantum pervicaciam haereticorum, non autem infallibilitatis defectum sive in Conciliis sive in Summis Pontificibus.

Ad 2. Cum Episcopi in Conciliis oecumenicis non sint meri Pontificis consiliarii, sed judices, ibique una cum illo, si forte per se praesit, sedeant ut simul decernant statuant definiant quae definienda statuenda decernenda esse existimantur; recte dicitur ejusdem decreta in vulgus prodire, sacro approbante ac suffragante Concilio. Nam hisce in casibus Pontifex Summus et Episcopi unum corpus efficiunt, unum tribunal unde acta singula promanant. Si vero ipse seorsim ex cathedra aliquid definiat circa fidem ac mores, tunc independenter ab ulla Concilii approbatione infallibilem habet auctoritatem.

Ad 3. Quae in synodo Chalcedonensi gesta sunt, evidenter ostendunt dogmaticam S. Leonis Magni epistolam non fuisse examinatam ut dubiam, sed receptam potius tamquam inconcussam formulam a qua ne latum quidem unguem fas esset discedere. Exacta enim in prima actione causa circa personam Dioscori ac ephesini latrocinii acta, cum in secunda actione agi oporteret de fidei dogmate, petita a judicibus formula qua omnis circa fidem dirimeretur contentio, statim conclamatum fuit sufficere formam quam S. Leo in suis ad Flavianum literis proposuerat. *Emerserunt*, ajebant Chalcedonenses Patres, *quae ad Eutychem pertinebant, et super his forma data est a sanctissimo Archiepiscopo Romanae urbis, et sequimur eam, et epistolae omnes subscripsimus*. *Ita omnes*

dicimus: sufficiunt quae exposita sunt: aliam expositionem non licet fieri. Cum autem subinde lecta fuisset Leonis epistola, Concilii Patres statim eam nullo instituto examine susceperunt, quasi a S. Petro Apostolo edita fuisset. *Anathema ei qui non credit. Petrus per Leonem ita locutus est*. Nihil pro apostolicarum definitionum auctoritate illustrius afferri potest hoc generalis Concilii testimonio, quod S. Petrum in suis successoribus definientem et loquentem agnoscit, ita ut ab eo dissentire aut de jam definitis dubitare non liceat. Hinc et actione 4. Patres iterum clamaverunt: *Qui non consentit epistolae sanctissimi Episcopi Leonis, haereticus est*. Institutum quidem fuit sub finem secundae actionis, dubitantibus Illyricianis et Palaestinis, ejusdem epistolae examen, non quod licitum crederetur de ea dubitare, sed ut qui dubitabant docerentur. Novum examen hoc consilio factum etiam circa sacros libros et definitiones generalium Conciliorum, nil prorsus officit supremae istorum auctoritati. Quando enim de docendis et convincendis dubitantibus aut repugnantibus agitur, non ea auctoritate quae in controversiam cadit utendum est, sed ex aliis momentis apud ipsos minime dubiis doctrina est declaranda, et difficultates si quae impediant sunt disjiciendae. Ita quamvis pro certa tenerent Chalcedonenses doctrinam Leonis ad Flavianum epistolae quam ante omne examen principio secundae actionis amplexi fuerant veluti ab ipso S. Petro prolatam, cum tamen proprium judicium declarandum fuit, ad omnem ambiguitatem auferendam, dein collatione ejusdem facta cum Nicaeno et Constantinopolitano symbolo et cum Cyrilli epistola in Ephesino Concilio approbata, consonantiam et concordiam contestati sunt. Et hac ratione Illyriciani et Palaestini qui dubitaverant edocti, omnique difficultate penitus sublata, Leonis definitionem suscipientes, ad assensum et unitatem fidei accessere: sicque pleniore tractatu examen utile expertum fuit, ut Leo ipse notavit in literis ad Theodoretum. Quapropter examen istud a Patribus Synodi Chalcedonensis institutum est judicio cognitionis et approbationis, non vero judicio auctoritatis, quasi falsam aut dubiam existimarent leoninam epistolam. Idem dicas de Concilio Tridentino quod Lutheri errores damnavit, jam a Leone X. damnatos anno 1520. Illos namque proscripsit non ea certe mente ut dogmatica Pontificis definitio suum robur exinde acciperet, sed ut accedente ad auctoritatem successoris Petri auctoritate Concilii, superba haeresis fortius ac validius jugularetur.

Ad 4. Si non esset haereticorum frangenda omnino pertinacia, pacandique turbati Fidelium animi solemni judicio quod definitioni tribuat inconcussae certitudinis firmitatem, propugnari quodammodo posset in controversiis fidei et morum sufficere Romanorum Pontificum definitiones. Sed contrarium experientia suadet pluribus de caussis. Et 1. cum haeretici fere omnes in ipsam Romanam Ecclesiam insurrexerint, non satis videbatur eos Romani Pontificis definitione damnari cujus auctoritatem spernebant. Sic cum Lutherani et Calvinistae Romam appellarent Babylonem, Petri Sedem cathedram pestilentiae, Pontificem Summum antichristum, quo pacto ex solo Romani Pontificis decreto revinci potuissent? 2. Cum nondum

definitum fuerit ut dogma fidei Romanos Pontifices ex cathedra errare non posse, necesse fuit aliquando Concilium generale congregare ut definitio apud omnes fidei certitudinem obtineret. 3. Quamvis Pontifex ex cathedra docens falli nequeat aut fallere, *non tamen debet ipse*, ut sapienter Bellarminus animadvertit, *contemnere media humana et ordinaria, quibus deveniri potest ad veram rei cognitionem de qua agitur. Medium autem ordinarium est Concilium majus aut minus pro magnitudine rei de qua agitur. Quod patet exemplo Apostolorum. Nam certe tam Petrus quam Paulus poterant soli quamlibet controversiam definire; et tamen Concilium convocaverunt*. 4. Nulla definiri potest controversia fidei nisi ex apostolica traditione. Fieri autem potest aliquando ut longe lateque pervagata haeresi, ipsisque Episcopis collabefactis, obscurior sit traditio, nisi ex pluribus orbis partibus in unum convocatis Pastoribus, generale Concilium habeatur quo omnium Ecclesiarum consensio a Pontifice cognosci queat. Inde fluit necessitas Conciliorum, licet Pontifex ex cathedra docens falli non possit.

Obj. 4. I. primis Ecclesiae saeculis ignotum fuit Patribus privilegium quod asseritur infallibilitatis Romanorum Pontificum. II. Ariani siquidem episcopi Victoris judicio circa celebrationem paschatis subscribere recusarunt, et Cyprianus fortiter ac strenue obstitit Stephano in quaestione Baptismatis ab haereticis collati: quem tamen S. P. Augustinus ab omni errore excusat, quia controversia ista nondum erat definita a Concilio generali, scribens lib. 5. de Baptismo cap. 17. *quod liberum illi fuerit propugnare suam sententiam, antequam controversia ista per plenarium Concilium definita esset*. Porro Ariani episcopi et Cyprianus aliter se gessissent, si habuissent perspectam doctrinam de Summorum Pontificum infallibilitate. III. id confirmat Leo Magnus qui Ep. 120. ad Theodoretum cap. 1. declarare non dubitat se eutychianam haeresim ita damnasse, ut deinde decretum suum Patrum Chalcedonensis Synodi irretractabili firmaretur assensu. Antequam ergo accederet consensus Concilii, correctioni illud obnoxium putabat, ideoque fallibile. IV. nec secus sentit Augustinus. Disputans enim adversus Donatistas ratione Caeciliani, aperte dicit quod si post Melchiadis Papae judicium Caeciliani inimici arbitrarentur se injuste damnatos fuisse, ad Concilium generale ubi caussae examen renovaretur, recursum habere possent.

Resp. ad 1. Non miramur quod primis Ecclesiae saeculis sententia de Romani Pontificis infallibilitate non fuerit explicite ac palam adserta, cum nondum essent qui illam data opera oppugnarent. *Didicimus enim*, ait Augustinus lib. de Dono Persev. cap. 20. *singulas quasque haereses intulisse Ecclesiae proprias quaestiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret*. Et licet minime ostendere oporteat veteres Patres doctrinam hanc apertis verbis tradidisse, quippe quod, ut supra notavimus, inerrantia Summorum Pontificum ex cathedra loquentium numquam fuit ab Ecclesia ad credendum proposita tanquam fidei dogma, nihilominus certum est dogmaticas eorum

definitiones tanta reverentia fuisse semper receptas, ut nefas Christianus existimaret ab iis vel minimum dissentire. Optime ad rem nostram S. P. Augustinus in Ep. 190. alias 157. *In verbis Apostolicae sedis*, ait, *tam antiqua atque fundata certa et clara est catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano.*

Ad 2. Non facile concedam Arianos episcopos, quorum agmen ducebat Polycrates ephesius, facto suo significasse non se Pontificis judicium ex cathedra docentis infallibile existimare. Credere enim potuerunt aut Victorem haudquaquam locutum ex cathedra, ex Romanae nempe Ecclesiae sententia, aut, quod probabilius est, se nullo pacto adstringi decreto ejus; cum quaestio de tempore pascha celebrandi non ad fidem quae communis est totius Ecclesiae, sed ad disciplinam pertineret. Idem dicas de S. Cypriano. Nam controversiam de baptismo haereticorum non ut quid fidem, sed tantum ut disciplinam spectans censuit. Et cum praxis illa analogiae fidei conformior ei videretur, iis quae sibi a Stephano hac in re praescribebantur, deferre noluit. Ipsum Cyprianum audiamus. Proposita quaestione in Synodo sua de baptismate ab haereticis collato, inquit: *Superest ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem si adversum senserit removentes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum sese Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare: sed exspectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus et solus habet potestatem et praeponendi nos in Ecclesiae suae gubernatione, et de actu nostro judicandi.* Vix verbum in hoc toto S. Cypriani alloquio occurrit quod non probet nonnisi de aliquo disciplinae capite quaestionem agitatam fuisse. Et re quidem vera. 1. Si de quodam fidei articulo tunc agi credidisset illustris carthaginensis Episcopus, an forte dicere potuisset quod nec ipse, nec sui collegae doctrinam contrariam damnare, aut eos qui illam tuerentur a communione excludere intenderent? Cum de fide rei cardo vertitur, impossibile est vel unum definire articulum, quia simul qui contrarium senserint damnentur et excommunicentur. Ipsemet Cyprianus post Cornelii Papae decisionem tali modo erga Novatianos se gessit. 2. Liberum ne est cuilibet Episcopo cum de fide agitur, quidquid lubuerit amplecti ac credere? Nec a quoquam judicari aut damnari, nec ipse vicissim quemquam judicare aut damnare poterit. 3. Numquid in materia fidei quivis Episcopus nullum alium judicem habet praeter solum Christum? Si ita esset nemo Episcoporum ab universa etiam Ecclesia in unum corpus coacta judicari posset. At vero pro certo tenemus Cyprianum hanc sententiam nunquam propugnasse. Putabat ergo controversiam de haereticorum baptismo non ad fidem, sed ad disciplinam spectare. Respondent alii cum Matthaeo Petitdidier, nihil frequentius esse quam quod illi qui semel in errorem lapsi sunt, putantque se eumdem tueri posse sacrae Scri-

pturae auctoritate, auctoritati visibili a qua damnantur subdi renuant, licet de ejus infallibilitate non dubitent. Qui plenis buccis ad plenaria Concilia appellaverant iisque obedientiam spoponderant, nonne eisdem parere detrectarunt cum in ipsos damnationis sententia lata fuit? Et quis inde inferre audebit quod Concilia oecumenica non sint infallibilia? Sicut ergo quis inepte argumentaretur si diceret: Si quarto et quinto saeculo constitisset quod Concilia generalia in suis definitionibus infallibilia essent, tot Episcopi qui erroribus Arii, Nestorii, Eutychetis adhaeserunt, procul dubio Concilio Nicaeno, Ephesino, et Chalcedonensi acquievissent; ita ineptissime arguunt adversarii cum clamant: Si Ariani episcopi, et Cyprianus primis Ecclesiae saeculis perspectam habuissent doctrinam de inerrantia Summi Pontificis, illi Victori, iste Stephano non obstitissent. Obstiterunt enim, quia errando a Romanae cathedrae traditione discesserunt, praxi potius inhaerentes suarum ecclesiarum. Ceterum Cyprianus tamquam magnus episcopus et gloriosus Christi martyr colendus ac venerandus est; at ideo tantum quia ex hac vita decessit in communione Ecclesiae, atque pro Christo Jesu sanguinem suum fudit, non autem quia Papae Stephano se opposuit. Nam omnibus accurate perpensis, in errore erat; et qui in Africa praxim ipsius postmodum secuti sunt, haeretici facti sunt. Augustinus vero Cyprianum ab errore excusans propterea quod controversia circa haereticorum baptisma nondum esset tunc temporis solemni Ecclesiae judicio in plenario Concilio definita, nullatenus evertit infallibilitatem Pontificis in definiendis ex cathedra quaestionibus fidei. Id namque docet non ea certe mente ut innuat per solum Concilium plenarium finaliter et irreformabiliter dogmaticas causas expediri posse, sed tantum ut commonefaciat Cyprianum salva sua fide in propria opinione stetisse: tum quia Stephani decretum seu literae quibus rebaptizantibus obstitit, dogmaticae definitionis formam ac vim non praeferebant; tum quia consuetudo qua haeretici ad Ecclesiam venientes baptizabantur, obtinebat non solum apud Africanos, verum etiam apud orientales Ecclesias Cappadociae, Ciliciae, finitimarumque provinciarum Asiae, et res de qua tunc agebatur nondum erat ita disputando eliquata, ut quid circa eam esset sentiendum ubique evidentissime constaret. Nec aliter de mente Augustini dijudicari debet. Alioquin S. Doctor sibimetipsi contradixisse dicendus esset, cum in caussa Donatistarum tanti fecerit auctoritatem Romanae sedis, ut hac sola eos satis perstringendos censuerit in psalmo contra partes Donati; et in epistola ad Generosum atque in quaestione pelagiana decretum Innocentii ita per sese cogere crediderit, ut sola ejus virtute caussam omnino finitam affirmaverit.

Ad 3. Leonem Magnum firmam et irretractabilem agnovisse suam definitionem in epistola ad Flavianum ex eo liquet, quod nullam in Concilio de re abs se definita moveri voluit disputationem, quasi dubia et incerta esset doctrina quam in ea statuerat. Jam enim monuerat Marcianum Imperatorem, *ne cujusquam procaci imprudentique versutia quasi de incerto quid sentiendum sit sineret inquiri, nec cujusmodi sit fides*

tenenda, *esse tractandum*, *sed quorum precibus*, *et qualiter annuendum*. Similiter in aliis literis eumdem Principem rogavit ne pateretur fidem quasi dubiam in Synodo retractari. Vide Ep. 93. et 94. In Epistola ad Theodoretum laetatur utique in Domino quod decretum suum Patrum quoque Chalcedonensium irretractabili fuerit suffragio firmatum: sed hujus laetitiae rationem potissimum ex eo repetit quod judicio Apostolicae sedis ad frangendam Eutychianorum audaciam conformis responderit Concilii sententia. En totius textus verba: *Gloriamur in Domino cum Propheta canentes, Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit caelum et terram, qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit: sed quae nostro prius ministerio definierat* (in epistola ad Flavianum,) *universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium Sede formatum, totius christiani orbis judicium recepisset, ut in hoc quoque capiti membra concordent ... Nam ne aliarum sedium ad eam quam ceteris omnium Dominus statuit praesidere, consensus assentatio videretur, aut alia quaelibet subrepere posset adversa suspicio, inventi prius sunt qui de judiciis nostris ambigerent. Et dum nonnulli a dissensionis incitati auctore ad contradictionum bella prosiliunt, ad majus bonum, malo ejus, auctore totius bonitatis dispensante, perventum est ... Ipsa quoque veritas et clarius renitescit, et fortius retinetur, dum quae fides prius docuerat* (in laudata epistola,) *haec postea examinatio confirmavit*. Vere proinde ac recte Leo dicit, divina dispensatione factum esse ut decretum Apostolicae cathedrae judicio etiam firmaretur Synodi Chalcedonensis irretractabili: quia vere decretum magis roboratum supponimus et est, cui alterius legitimae potestatis calculus adjungitur; et recto irretractabilis nuncupatur et est sententia, quae mirifice consonat unitati fidei per Romanum Pontificem expressae, aliosque Ecclesiarum Pastores.

Ad 4. Nullo negotio solvitur difficultas ab Augustino petita adversus Donatistas disputante ratione Caeciliani. Nam postquam Ep. olim 162. scripserat, *Ecce putemus illos Episcopos qui Romae judicarunt, non bonos judices fuisse: restabat adhuc plenarium totius Ecclesiae Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari; ut si male judicasse convicti essent, eorum sententia solveretur*, ibidem subjungit: *Dedit ille* (Costantinus) *aliud Arelatense judicium* (aliorum scilicet Episcoporum,) *non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, et omnino cupiens tantam impudentiam cohibere*. Ex hisce patet S. Doctorem *ad duritiam cordis* loqui: quippe cum sibi res intercederet cum obstinatis qui se judicio Melchiadis Papae subjicere nolebant, sapienter affirmavit quod si post Summi Pontificis sententiam Caeciliani inimici arbitrarentur se injuste damnatos fuisse, ad Concilium generale ubi causae examen renovaretur, recursum habere possent.

Obj. 5. I. non pauci inter Romanos Pontifices occurrunt qui se falli posse atque in errorem labi ingenue fassi sunt. Ut alios praeteream, Innocentius III. Serm. 2. de Consecr. Pontif. ait: *In tantum mihi fides*

est necessaria , ut cum de ceteris peccatis Deum solum judicem habeam, propter solum peccatum quod in fide committitur , possem ab Ecclesia judicari . Et Clemens VI. gravi morbo correptus , cum de vita jam desperaret, quidquid tempore sui Pontificatus errando docere potuisset retractavit . *Si qua* , inquit , *nos disputando* , *legendo* , *praedicando* , *aut alias contra catholicam veritatem et fidem vel bonos mores ex lapsu linguae praecipitanter forte protulimus* , *revocamus* , *et volumus pro revocatis haberi* . Vide ejus Breve die 7. Decembris datum anno 1351. Cujus exemplum sequuti sunt postea immediati ejus successores Urbanus V. et Gregorius XI. aliique Pontifices . II. et ne forte dicas haec intelligi debere de privata Pontificum persona, non autem de Pontifice ex cathedra docente, audi Hadrianum VI. qui in Comment. super 4. sententiarum dist. 7. docet : *Si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput illius* , *puta Pontifex* , *certum est quod possit errare etiam in his quae tangunt fidem* , *haeresim per suam determinationem aut decretalem asserendo* . Haec quidem scripsit cum publicus Lovanii Theologiae professor esset : sed ad Summam Ecclesiae cathedram evectus non retractavit , immo eosdem Commentarios, ne verbo uno immutato, curavit Romae recudi.

Resp. ad 1. Si vel ipsorum Romanorum Pontificum testimoniis nobis cum adversariis dimicandum est , auctoritati Innocentii III. et Clementis VI. auctoritatem opponimus graviorem , utpote antiquiorum , Innocentii I. Sixti III. Gelasii , et Nicolai I. Itaque Innocentius I. sic Epistolam ad quemdam Episcopum qui illum consulerat orditur : *Mirari non possumus dilectionem tuam sequi instituta majorum* , *omniaque quae possunt aliquam recipere dubitationem* , *ad nos quasi ad caput aeque ad apicem Episcopatus referre* , *ut consulta videlicet sedes Apostolica* , *ex ipsis rebus dubiis certum aliquid pronuntiet* . Sixtus Papa III. Johanni antiocheno , post hujus Patriarchae atque Orientalium cum S. Cyrillo reconciliationem , scribens , ita eum alloquitur : *Haec Sanctitatem tuam volumus praedicare quae scribis* . *Expertus es negotii praesentis eventu* , *quid sit sentire nobiscum* . *Beatus Petrus apostolus in successoribus suis* , *quod accepit* , *hoc tradidit* . *Quis ab ejus se velit separare doctrina*, *quem ipse inter Apostolos primum magister edocuit ? Non hunc auditus per alterum* , *non sermo lectus instruxit*, *doctus est cum aliis ore doctoris*; *non scripturae* , *non scriptorum passus est quaestionem* : *absolutam et simplicem fidem* , *et quae controversiam non haberet* , *accepit* . Gelasius scribens ad orientis Episcopos ait : *Quorumlibet sententiis Pontificum ligata* , *beati Petri sedes jus habet resolvendi* , *utpote quod de omni Ecclesia jus habeat judicandi* , *neque cuiquam de ejus liceat appellare judicio* ; *siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt* , *ab illa autem nemo sit appellare permissus* . Nicolaus I. in Ep. 8. ad Michaelem Imperatorem inquit : *Quoniam cum secundum canones* , *ubi est major auctoritas* , *judicium inferiorum sit deserendum* , *ad dissolvendum scilicet vel ad roborandum* , *patet profecto sedis Apostolicae* , *cujus auctoritate major non est* , *judicium a nemine fore re-*

tractandum, *neque cuiquam de ejus licere judicare judicio*; *siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt*, *ab illa autem nemo sit appellare permissus*, *juxta quod et Bonifacius et Gelasius*, *sanctissimi Praesules*, *non suis adinventionibus*, *sed Ecclesiae Romanae consuetudinem non ignorantes dicunt*. Proinde si aliter sentire videntur citatis in locis Innocentius III. et Clemens VI. intelligendi sunt de Romano Pontifice aliquid docente ut privata persona. Neque nos negamus Pontifices Summos uti privatos doctores in errorem labi posse, et si forte quisquam eorum sub hoc respectu aliquid traderet contra catholicam fidem, ab Ecclesia posse judicari. Sensum mox expositum praeferre verba, praesertim quae opponuntur, Clementis VI. liquet ex sola eorum lectione. Revocat enim et vult pro revocatis haberi omnia quae sive disputando sive legendo sive praedicando *contra fidem vel bonos mores ex lapsu linguae praecipitanter* fortasse protulisset. At cum Romani Pontifices ex cathedra loquuntur, maturo consilio, scientia certa, plenissima deliberatione catholicas doctrinas morumque regulas exponunt. Ulterius idem Clemens VI. de Pontifice ex cathedra definiente hunc posuit articulum inter eos quos Armenorum Patriarchae subscribendos dedit: *Si credidisti*, *et adhuc credis*, *solum Romanum Pontificem in dubiis emergentibus circa fidem catholicam posse per determinationem authenticam*, *cui sit inviolabiter adhaerendum*, *finem imponere*, *et esse verum et catholicum quidquid ipse auctoritate clavium sibi creditarum a Christo determinat esse verum*. Conferant nunc simul adversarii istud Clementis VI. testimonium et alterum ab eis nobis oppositum, ac videant ex quanam parte stet veritas, an ex parte Theologorum parisiensium an romanorum.

Ad 2. Quae Hadrianus lovaniensis doctor scripsit, non magis nobis obsunt quam privati alicujus sorbonici doctoris opinio. Mirum autem non est cum ad Summum Pontificatum evectum suos Commentarios non correxisse. Brevissimo enim tempore quo super Petri cathedram sedit, in tanta Ecclesiae perturbatione, tot curis atque negotiis obrutus, de librorum suorum retractatione ne cogitare quidem potuit. Et si data opera nihil immutatum voluit, id forte egit ne editio romana a lovaniensi discreparet, ac propterea tamquam mutila ac interpolata contemneretur. Ceterum cum Hadrianus Commentarios illos ex cathedra non confirmaverit, doctrina inibi contenta auctoritatem tantum habet privati doctoris.

Obj. 6. Ab esse ad posse, juxta scholarum adagium, valet consequutio. Jam vero plerique Romanorum Pontificum ex cathedra docentium errarunt. Et I. quidem Victor I. Montani et Maximilae prophetias approbavit, teste Tertulliano lib. contra Praxeam. II. Stephanus I. rejecta sententia Cypriani de rebaptizandis haereticis, in alterum errorem impegit, neminem nempe esse baptizandum a quacumque haeresi ad Ecclesiam venerit, ab iis etiam haereticis qui solemnem baptismi formulam ratam atque legitimam non servabant, quemadmodum aperte tradit Cyprianus Ep. 73. nec diffitetur Benedictus XII. docens, *Nicaenum Concilium et*

Cypriani, *et Stephani opinionem correxisse*. III. Zosimus Pelagium et Caelestium judicavit catholicos, ut patet ex ejusdem epistola ad Augustinum aliosque africanos Episcopos, et narrat ipsemet Augustinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. IV. Hormisdas damnavit scytharum Monachorum propositionem qua asserebatur unum de Trinitate passum esse carne, quam tamen deinceps probarunt tamquam catholicam Patres quintae Synodi. V. Vigilius in Constituto diei 14. Maii anni 553. famosa tria capitula uti orthodoxa defendit, et postea reprobavit. VI. Liberius relicta pristina constantia in fide, Nicaeno symbolo sirmiense praetulit, et ab Athanasii defensione et communione ad communionem transiit haereticorum orientalium, maxime Valentis et Ursacii. VII. Honorius in sua ad Sergium constantinopolitanum Patriarcham epistola adeo Monothelitis adhaesit, ut Concilium VI. generale anathema ei quoque dixerit. VIII. graviter errasse videtur Bonifacius VIII. definiens omnia regna mundi Romanis Pontificibus in temporalibus subesse: quod et in celebri Decretali „ *Unam Sanctam* „ asseruit, merito idcirco abrogata a Clemente V. in Concilio Viennensi. IX. Johannes XXII. in publicis concionibus doctrinam rectae fidei adversam tenuit, affirmans piorum animas ante corporum resurrectionem Deum non videre. X. Idem Johannes XXII. et Nicolaus III. duo sibi invicem manifeste contraria definiere, ideoque alteruter eorum pessime erravit. Nam Nicolaus III. definivit Fratres Minores evangelicam paupertatem cujus exemplum Christus et Apostoli praebuerunt, profiteri, eo quod nullius rei etiam quae usu consumitur, ne in communi quidem dominium haberent. Contra vero Johannes XXII. statuit iis in rebus quae usu consumuntur, non posse dominium ab usu separari, et haeresim sapere quod asserebatur Christum scilicet ejusmodi paupertatem verbo aut exemplo docuisse. XI. Alexander III. quorumdam praedecessorum suorum sententiam explodit, definiens prius matrimonium ratum ac validum, licet non consummatum, per aliud non dissolvi quod postea consummatum fuerit, *quamvis*, inquit, *a quibusdam praedecessoribus nostris aliter sit aliquando judicatum*. At contrariae definitiones verae simul esse nequeunt. Aut ergo errarunt praedicti Alexandri III. praedecessores, aut ipse Alexander III. erravit.

Resp. Immerito adversarii erroris insimulant Pontifices in objectione notatos. Etenim vel non errarunt, vel errarunt errore facti simplicis aut personalis, vel non errarunt ex cathedra. Singulos ab impacta calumnia vindicemus. Et primo Tertullianus, jam montanista, gratis ad malae causae patrocinium affirmat Victorem Montani et Maximillae prophetias approbasse. Et si vera narraret, ut Rigaltius contendit, quia in historia tam recente mentiri non potuisset, id unum probaretur Romanum nempe Pontificem specie deceptum austerioris disciplinae quam Montanus ejusque sectatores principio profitebantur, errore facti personalis eos judicasse catholicos, cum nondum pestiferae doctrinae virus spargere coepissent, ut advertit Baronius. Quod autem Pontifex ex cathedra seu ex Romanae Ecclesiae consilio atque sententia declaraverit orthodoxa Montanistarum pla-

cita, nec Tertullianus asserit, nec si assereret, fidem ei habere cogeremur.

Ad 2. Quoniam decreto suo statuerat Stephanus ne ad Ecclesiam venientes *a quacumque haeresi* rebaptizarentur, inde male inferebat Cyprianus Romanum Pontificem eorum quoque haereticorum probare baptismum qui immutata solemni baptizandi formula utebantur. Quod quidem a veritate alienum luculentissime demonstrat Firmilianus in sua ad eumdem Cyprianum epistola, ubi sic Stephani sententiam exponit: *Non putat quaerendum esse, quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus est gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus sancti*. Reprobabat ergo sententiam de rebaptizandis haereticis cujuscumque sectae, dummodo tamen constaret eos fuisse valide baptizatos, adhibita communi Ecclesiae catholicae formula. Benedictus autem XII. scripsit utique Nicaenum Concilium et Cypriani et Stephani opinionem correxisse, sed haec tradidit in Gallia ut privatus doctor antequam Petri claves teneret, et forte in errorem ductus illustris Episcopi carthaginensis et martyris auctoritate.

Ad 3. Quam fraudolenter quam subdole Pelagius ejusque discipulus Caelestius egerint tum penes Africae Episcopos, tum apud Romanos Pontifices ut prava circa gratiam Salvatoris dogmata ambiguis verbis obtegerent, sicque declinarent justum Ecclesiae judicium, res est in ecclesiastica historia notissima. Nil mirum proinde si Zosimus errore facti eos catholicos existimaverit, cum praesertim et emendaturos se, si quid errando docuissent, et sedis Apostolicae definitioni obtemperaturos pollicerentur. Verum detecta postea eorum versutia utrumque damnavit. Rem totam narrat Augustinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. *Cum primitus*, inquit, *beatissimi Papae Innocentii litterae Episcoporum litteris respondentis Afrorum, pariter hunc errorem, quem conantur isti persuadere, damnaverint: successor quoque ejus sanctus Papa Zosimus hoc tenendum esse, quod isti de parvulis sentiunt, nunquam dixerit, nunquam scripserit; insuper etiam Caelestium se purgare molientem ad consentiendum supra dictis sedis Apostolicae litteris crebra interlocutione constrinxerit: profecto quidquid interea lenius actum est cum Caelestio, servata dumtaxat antiquissimae et robustissimae fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissima pravitatis. Et quod ab eodem sacerdote postea Caelestius et Pelagius repetita auctoritate damnati sunt, paululum intermissae, jam necessario proferendae ratio severitatis fuit, non praevaricatio prius cognitae vel nova cognitio veritatis*.

Ad 4. Saepe contingit ut una eademque propositio varium habens sensum, pro varia ejus significatione possit et damnari et defendi. Porro ejusmodi erat illa, *Unus de Trinitate passus est carne*. Hinc putans Hormisdas a Monachis scythis pronunciari in sensu Eutychetis, eam improbare potuit; et Synodus quinta in sensu catholico probare inspecta pronunciantium mente, et rectius perpensis ejusdem thesis terminis. Respon-

dent alii Hormisdam non omnino damnasse propositionem Monachorum, sed istos abs se rejecisse tamquam inquietos homines novarum cupidos quaestionum, eutychianismi suspectos insuper ac temerarios: quippe quod contenderent articulum, *Unus de Trinitate passus est carne*, addendum esse Concilii Chalcedonensis definitioni, ut manifeste ipse declarat in epistola ad possessorem. Ad hanc opinionem confirmandam testimonium non suspectum profertur cujusdam doctoris parisiensis, Natalis nempe Alexandri, qui Hist. Eccl. saec. 6. dissert. 2. ait: *Ex his collige Johannis II. decreta Hormisdae non esse contraria, cum Hormisdas propositionem non damnaverit quam approbavit Johannes, nec oppositam proposuerit fidelibus credendam quam anathemate Johannes confixit*. Et paucis interjectis subjungit: *Mera calumnia est Hormisdam hanc propositionem*, Unus de Trinitate crucifixus est carne, *ex cathedra damnasse: quam ne quidem examinare tunc voluit, hanc disceptationem intempestivam judicans, et turbandae potius Ecclesiae quam aedificandae opportunam*.

Ad 5. Perperam opponitur factum Vigilii, qui cum defendisset in Constituto diei 14. Maii anni 553. famosa tria capitula, postea illa damnavit. Nam pro certo habemus ex S. Gregorio Magno, in ea quaestione de quibusdam solummodo personis fuisse ventilatum, et nihil aliud quam de personis fuisse disceptatum, teste Pelagio II. ac proinde quaestionem fuisse extra fidem. Egit autem in hac de personis controversia Vigilius juxta prudentiae regulas quae pro temporis et circumstantiarum ratione consilium sumendum esse tradunt. Tunc enim tria capitula fortiter defendenda seu non damnanda credidit, cum censuit ea non posse damnari absque injuria ac periculo Concilii Chalcedonensis quod eadem intacta reliquerat. Quando vero post multam discussionem exploratum compertumque ipsi fuit Nestorianos praedictis capitulis abuti cum manifesto discrimine, ne damnatus eorum error vehementius repullularet illa improbavit, inflicto in eos anathemate qui secus opinarentur: quod anathema in Constituto pro ipsorum defensione non tulerat. Consule super hac Summi Pontificis oeconomia dissertationem Petri de Marca. Addit Cardinalis Ursius in Hist. Eccl. lib. 41. post hoc postremum ac peremptorium Vigilii decretum quintam Synodum inter oecumenicas haberi coepisse, quae prius Apostolicae confirmationis defectu ea auctoritate caruerat.

Ad 6. Ut certo constaret de lapsu Liberii, tria ab adversariis demonstranda essent: 1. certum esse ejus lapsum; 2. certum item esse ipsum fuisse lapsum in definitione fidei; 3. si idem lapsus aliquid praeferre credatur quod ad fidei definitionem revocari queat, certum praeterea esse nihil intercessisse quod a vera et legitima definitione ipsum extrahat atque repellat. Lapsum quidem ejus satis certum probari existimant testimoniis Athanasii, Hilarii, Hieronymi, atque Sozomeni. At alii eruditi viri hunc lapsum, uti vulgo narratur, non ita certum putant, ut de eo gravissimis momentis jure dubitari non possit. Et revera Liberii in Urbem reditum a cunctis Romanis summo gaudio et plausibus decoratum tradiderunt Marcellinus et Faustinus in precibus ad Imperatorem. Scribit etiam

Hieronymus in Chronico, quod Liberio populus Romanus obviam laetanter occurrerit, adeo ut ejus ingressus veluti victoris triumphus videretur. Ex hoc tam festivo ac triumphali Liberii ingressu, ex hac ingente laetitia qua clerus populusque Romanus eum excepit Felice pseudo-pontifice expulso, nonne gravissimum ducitur dubitandi argumentum, num ea quae de ejus lapsu narrantur, commentitia sint? Romani enim Nicaenae fidei ejusque defensori S. Athanasio maxime addicti, et ab ariana haeresi summopere aversi, ea potissimum de causa Liberio et restitutioni ejus impense foverunt quia pro fide Nicaena et Athanasii innocentia strenue pugnaverat; sicut e contra Felici in Liberii locum intruso fuere infensi, quia cum haereticis communicare non erubuit. Quomodo igitur hic clerus et populus potuissent tam festive Liberium redeuntem excipere, si is pristina relicta constantia Nicaeno symbolo sirmiense praetulisset, et ab Athanasii defensione et communione transiisset ad communionem haereticorum orientalium, praesertim Valentis et Ursacii, Epitecti atque Auxentii, quorum nomina cunctis occidentalibus erant maxime odiosa? Si vera esset Liberii epistola e Berrhaea ad Romanum presbyterium missa qua suae praevaricationis notitiam seu potius infamiam declarabat, nonne stomachum, indignationem, horrorem ejus lectio commovisset in Romani catholici cleri animo; ut ne credibile sit post tam insignem ejus lapsum quo magna ignominia Romanae sedi creabatur, Romanos potuisse eum qui turpissime victus fuerat, tamquam victorem et gloriosum athletam recipere? Nonne hoc satis validum argumentum est ne ejusmodi epistola, et similiter aliae eodem pertinentes quae inter fragmenta S. Hilarii insertae sunt, genuinae credantur, et non potius habeantur supposititiae; sicuti certo supposititia est illa quae Liberii item nomine inscripta ad orientis Episcopos, apud Hilarium eumdem quarto fragmento legitur? Deinde Theodoretus qui in sua Arianorum historia Athanasii scriptis usus est, cum Liberii restituendi causam refert in matronarum romanarum officia, non autem in praesumptum ipsius lapsum, nunc vocat celeberrimum Liberium, nunc gloriosum veritatis athletam. Et ne quis suspicari queat aliqua minus digna actione maculatum in suam sedem rediisse, ipso in reditu mirabilem testatur. *Post has*, inquit, *christianae plebis acclamationes* (Liberium ab Imperatore postulantis in circo) *reversus est admirandus ille Liberius*. Quae laus redeunti lapsus turpissimi causa nequaquam convenit. Sulpicius Severus qui ex Hilarii fragmentis multum decerpsit in texenda historia Arianorum, ne verbum quidem innuit de Liberii lapsu, ejusque in Urbem reditum seditioni ac turbis Romanorum attribuit. Idem dicas de Socrate. Rufinus autem lib. 2. Hist. Eccl. cap. 27. ait: *Liberius urbis Romanae Episcopus Constantio vivente regressus est. Sed utrum quod acquieverit voluntati suae ad subscribendum, an ad populi Romani gratiam, compertum non habeo*. Quod si lapsus ejusdem Pontificis certus praesumatur, numquid lapsus dici poterit in definitione fidei? Duo in hoc Liberii lapsu notantur: primo quod Athanasii defensionem deserens, eum a sua communione separatum declaraverit, et e contra in communionem

receperit Arianorum principes, seque cum iisdem pacem tenere professus sit; secundo quod subscripserit formulae sirmiensi quam arianam perfidiam Hilarius appellavit. Primum ad rem meri facti pertinet. Facti enim crimen est deserere innocentem Athanasium cujus defensio constanter vindicanda erat, et ad haereticorum communionem transire. At in neutro invenitur erronea fidei definitio. Nam potuit utrumque ab eo fieri, qui humana aliqua ratione ex infirmitate ad utrumque agendum ducatur, quin haereticum dogma crederet, doceret, vel tueretur. Quoad vero subscriptionem formulae sirmiensis, jam convenit inter omnes fere eruditos etiam adversarios, illam fuisse primam formulam Sirmii editam contra Photinum, quam in libro de Synodis ipse Hilarius uti catholicam excusat. Ideo autem in fragmentis vocat perfidiam, quia ex ejus sententia quidquid praeter fidem unam (Nicaenam) est, perfidia est, ut ait in libro contra Constantium. Quidquid sane exprimebatur in hac formula, verum erat si catholico sensu acciperetur. Illud tantum Liberio vitio datur, subscripsisse scilicet fidei articulo quo Christus taceretur Patri consubstantialis. Tacere autem quod catholicum et a catholicis profitendum est, crimen est omissionis; et subscriptio quae ex omissione ejusmodi trahebatur ab haereticis in confirmationem erroris, est peccatum scandali, non vero definitio erroris proprie dicta. Multo minus dici potest errasse Liberium in definitione fidei, qui ad eam subscriptionem non liber omnino, sed per metum externum ac notorium deductus fuit. Neque enim definitio fidei est aut dici potest illa quae non libera pleneque voluntaria, sed per vim manifestam metu extorta est. Ubi de solemnibus Pontificum et Conciliorum dogmaticis decretis agitur, eorum vis et auctoritas e sententia Spiritu sancto inspirante edita proficiscitur „ Visum est Spiritui sancto et Nobis „ Ac propterea ubi constet decretum vi ac metu externo fuisse expressum, et non ex intima decernentis sententia, potiore ac prorsus necessaria et essentiali conditione caret. Ad rem nostram audiatur S. Athanasius. In historia Arianorum ad Monachos inquit: *Porro Liberius extorris factus, post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit. Verum ea ipsa re comprobatur cum violentia eorum, tum Liberii in haeresim illam odium, ejusque pro Athanasio suffragium, quamdiu scilicet libere, arbitrioque suo agere licuit. Nam quae tormentorum vi praeter priorem sententiam eliciuntur, ea non reformidantium, sed vexantium sunt placita*. Digna tanto Doctore confessio quae Liberium excusando ab errore, parisiensium Theologorum os obtrudit.

Ad 7. Cum de Honorio sermo est, sunt qui putant, praesertim Bellarminus ac Baronius, acta Concilii VI. generalis quod illum Pontificem veluti monothelitam damnavit, a Graecis fuisse corrupta, ac falso insertum iis nomen Honorii, ne soli orientales Episcopi damnati viderentur. Sed quamvis hoc a Graecorum ingenio non abhorreat, ut ex aliis eorum mendaciis ac fraudibus demonstrat Bellarminus, inverisimile tamen est exemplaria omnia depravari potuisse, maxime ea quae in Romanae Ecclesiae scriniis custodiebantur. Rectius ego cum viris aliis eruditissimis respondeo

Honorii epistolas in quibus Monothelitarum haeresis contineri dicitur, non fuisse definitiones ex cathedra, assertam haeresim non continere, et eum damnatum non ut haereticum, sed ut haereticorum fautorem: quorum causam imprudentissima silentii oeconomia, sive etiam suppressione vocum, *unius aut geminae voluntatis*, confovebat. Et primo probari nunquam poterit Honorium suas ad Sergium scripsisse literas ex cathedra; audito nempe, ut jam alibi animadvertimus, Fratrum consilio, explorata Ecclesiae Romanae traditione, solemnibus indictis precibus, ceterisque servatis quae juxta praxim et negotii gravitatem servari debent. Immo si Johanni qui fuerat a secretis Pontificis fides praestanda sit, constat laudatas literas ad Sergium privato nomine, privata sententia fuisse conscriptas. Affirmat enim Johannes se illas scripsisse, nec ullam mentionem facit consilii quod a Romano Clero, aut saltem ab aliis doctis ac sapientibus Honorius postulasset: quod sane fuisset ad Pontificis defensionem valde opportunum. Deinde Honorii verba haeresim Monothelitarum non praeferunt, sed e contra catholico sensu intelligi possunt, et sunt reapse intelligenda. Nimis profecto iniquum censorem se ostenderet qui voces *unius voluntatis* ab Honorio usurpatas putaret, ut monothelitico sensu excluderet a Christo voluntatem humanam; quippe quod ex contextu manifestum apparet ipsum eam solam voluntatem expunxisse quae ex originali culpa ac vitio divinae voluntati repugnat. *Unam*, inquit, *in Christo Domino voluntatem fatemur, quia a Divinitate assumpta est natura, non culpa ... Lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit aut contraria Salvatori*. Si ex mente Pontificis verbis expressa una fuit in Christo voluntas, quia *a Divinitate assumpta est natura, non culpa*, fuit in Christo etiam voluntas humana; alioquin Divinitas non assumpsisset hominis naturam, cum haec concipi nequeat absque propria voluntate. Negat ergo Honorius in Christo voluntatem tantum carnis voluntati spiritus adversam, quia Divinitas in admirabili hypostatica unione assumpsit equidem humanam naturam, minime vero naturae humanae culpam. Catholicam hanc Honorii doctrinam clarius explicat idem, quem modo nominavimus, Johannes. *Cum scripsisset*, ait, *Sergius esse aliquos qui dicerent in Christo duas esse contrarias voluntates, rescripsimus Christum non habuisse duas contrarias voluntates, carnis, inquam, et spiritus, sed unam tantum, quae naturaliter humanitatis ejus character est. Id ita esse evidenter ex hoc monstratur, quod membrorum et carnis facta est mentio, quae Divinitati ejus non possunt attribui*. Neque insistas verbis Honorii in epistola ad Sergium, quibus dum affirmavit, *Haec nobiscum vestra fraternitas praedicet, sicut et nos ea vobiscum unanimiter praedicamus*, eamdem sibi et Monothelitis sententiam videtur asserere. Ex contextu enim liquet unanimitatem his verbis indicatam referri tantummodo ad suppressionem vocum, *unius aut geminae voluntatis, ac operationis*, quam Sergius petierat, nec non ad earumdem rationum usum, quae ad ipsam suppressionem inducendam conferrent. Erravit utique Honorius dum suppressionem praescripsit earum vocum de quibus erat quae-

stio. At cum ex ipsa suppressione cognoscatur eum nihil utrinque definiisse, immo a definiendo oeconomiae causa censuisse abstinendum, quis errorem, qnicumque ei adscribendus credatur, errori definitionis potius quam omissionis adjudicare potest? Nec immerito tamen damnatus censeri debet a Concilio Constantinopolitano III. Cum enim fidem praebens Sergio, et geminae voluntatis ac operationis prohibens vocabulum, causam licet ignarus tribuerit Monothelitis haeresim suam nisu audaciore promovendi, habitus est a Patribus illius Synodi veluti reus nimiae facilitatis et inconsultae dissimulationis, ac proinde damnatione dignus. Vide Natalem Alexandrum, Marcam, Garnerium, Tamagninum. L' Herminierum, aliosque.

Ad 8. Quando Johannes XXII. aliqua dixit pro ea sententia qua animabus justis visio beatifica differenda tradebatur post extremi judicii diem, id dixit opinando, vel potius, ut declararunt Theologi parisienses, referendo, vel si malis, favendo etiam doctrinae nondum finali judicio proscriptae, minime autem definiendo. Immo in diplomatibus canonizationis Sanctorum Thomae aquinatis, Ludovici episcopi tolosani, et Thomae herfordiensis antistitis ab eadem doctrina decedens, Sanctorum animas in caelum receptas, ac beata visione donatas professus est. Plura de hoc facto habet Raynaldus ad annos 1333. et 1334. Quia vero Pontificis detractores eum erroris incusabant, die 3. Januarii anni 1334. in Consistorio Apostolico coram S. R. E. Cardinalibus ipse declaravit se nihil unquam de hac quaestione determinasse, et si quid a se prolatum fuisset quod sacrae Scripturae contrarium videretur, praeter intentionem sibi excidisse. Quid hisce clarius afferri potest ad demonstrandum Romanum Pontificem Johannem XXII. nullam definitionem edidisse circa controversiam de qua agitur?

Ad 9. Falso accusatur Bonifacius VIII. quod definiendo docuerit omnia regna mundi Romanis Pontificibus subesse in temporalibus. Impactam sibi calumniam ipse depulit in publico Consistorio, oratione ad rem habita ad Cardinales, quam refert Spondanus. Ait quidem in Decretali „ Unam, sanctam „ *subesse Romano Pontifici omnino esse de necessitate salutis omni humanae creaturae*: quae propositio vera est, si de rebus spiritualibus atque ad aeternam salutem pertinentibus intelligatur. Nemo enim aeternam salutem assequi valet nisi Ecclesiae catholicae conjunctus existat sub legitima Pastorum potestate. Cum autem Romanus Pontifex ratione sui primatus Pastor sit Pastorum, eidem praecipue ac necessario subesse debent Fideles cujuscumque gradus ac dignitatis, ut manentes in unitate ecclesiastici regiminis a Christo instituti, salvi fieri possint. Fateor Bonifacium in praedicta Decretali propositiones incidentes aliquando duriusculas adhibere: sed nego eas spectare ad definitionem ac intentionem, ut ita dicam, decreti. Nec Clemens V. ejus successor Decretalem istam abrogavit, cum eam explicaverit duntaxat, affirmans non esse in praejudicium Philippi Pulchri Francorum Regis quiquid constitutione Bonifacii definitum asserebatur. Laudatis enim Philippo ac populo

ejusdem imperio subjecto, ita loquitur Summus ille Pontifex: *Hinc est quod nos Regi et regno per definitionem et declarationem bonae memoriae Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, quae incipit* „ Unam, sanctam „ *nullum volumus vel intendimus praejudicium generari. Nec quod per illam rex, regnum, et regnicolae praelibati Ecclesiae sint subjecti Romanae, quam antea existebant: sed omnia intelligantur in eodem esse statu quo erant ante definitionem praefatam*. Ceterum doctrina de qua sermo est in objectione, Romanis nempe Pontificibus potestatem esse etiam temporalem sive directam sive indirectam in Reges ac Principes summos, ad fidem aut ad mores non pertinet, quippe quod salva fide, hinc inde super hac potestate disputarunt semper Scholastici. Proinde, utcumque intelligatur Bonifacii definitio asserta in Decretali, *Unam, sanctam*, nil prorsus conficeret adversus sententiam de Romanorum Pontificum infallibilitate in judicandis fidei morumque rebus.

Ad 10. Bossuetius in praevia dissertatione quae posterius ab eodem scripta, novissimae *Defensionis* editioni praefixa fuit, ubi Nicolai III. decretum ex decretis Johannis XXII. erroris notaverat, objectum ejusmodi valde ambiguum saltem declaravit scribens: *Neque hic solicite quaerimus qua de re praecise ageretur, et an revera Nicolaus pro cathedrae auctoritate ista decreverit; nec magis curamus hic recte ne an secus ipse ac Johannes egerint, et an summa consentiant, verbis litigent*. Vides ergo etiam in sententia illustris adversarii compertum non esse an circa quaestionem paupertatis Fratrum Minorum Johannes XXII. Nicolao III. vere contradicat. Deinde praeterquam quod ejusmodi quaestio, utrum scilicet in rebus quae usu consumuntur, usus ipse possit a dominio divelli ac separari nec ne, mere philosophica est, neque ad fidem ullo pacto pertinet; tam illud quod Nicolaus ulterius asseruit, Christum nempe perfectissimae Fratrum Minorum paupertatis exemplum praebuisse, tam alterum quod propugnavit Johannes XXII. haeresim videlicet sapere illorum opinionem qui autumant Christum nunquam aliquid possedisse, potest simul esse verum, si dicatur Christum Dominum aliquando quidem perfectissimae paupertatis de qua Nicolaus loquitur, exemplum praebuisse, sed quia ad informandam Ecclesiam loculos etiam habuisse legimus in Evangelio, idcirco haereticum esse dogma, Christum nunquam aliquid proprium habuisse, ut Johannes declaravit. Legito Melchiorem Canum, et Bellarminum, nec non Raynaldum ad annos 1323. et 1328.

Ad 11. Alexander III. ut privatus doctor aliter judicavit quam praedecessores ejus, affirmans prius matrimonium ratum ac validum, licet non consummatum, per aliud non dissolvi quod postea consummatum fuerit. Ait enim: *Quamvis a quibusdam praedecessoribus nostris aliter sit aliquando judicatum*. Porro haec verba non definitionem solemnem significant ex cathedra pronuntiatam ad universam docendam Ecclesiam, sed judicia quaedam inter privatos in quibus non omnia servari solent, quae ad definitionem ex cathedra necessaria esse saepe notavimus.

Obj. ultimo. Declaratio Cleri gallicani in unum Parisiis congregati

magnae apud omnes esse debet auctoritatis, cum ad illum conventum convenerint Episcopi pietate ac doctrina insignes, inter quos nunquam satis laudandus Bossuetius. Jam vero in praedicta declaratione impugnatur Romanorum Pontificum infallibilitas ex cathedra definientium.

Resp. Conventui parisiensi opponimus non solum antiquas Synodos ejusdem Ecclesiae gallicanae, sed Conciliorum generalium ac Patrum auctoritatem. Verum ii ipsi qui celebrem declarationem in illo conventu efformaverant, sub Innocentio XII. datis ad eum literis eam revocarunt. Nec audiendi sunt qui id negare nituntur. Nam apertis verbis ibidem profitentur Patres, *dolere se vehementer de eo quod in conventu illo actum est; et velle haberi pro non decreto quidquid ibi circa ecclesiasticam potestatem et pontificiam auctoritatem decretum censeri potuit*.

DE THEOLOGICIS INSTITUTIONIBUS

LIBER VII.

IN QUO DE RELIQUIS QUINQUE LOCIS THEOLOGICIS PERTRACTATUR.

Reliqua Loca theologica hoc unico libro complectemur, tum quia faciliora intellectu sunt; tum etiam quoniam non tam acriter haeretici adversus illa insurrexerunt.

CAPUT I.

De sanctis Ecclesiae Patribus. Quinam nimirum habendi sint Ecclesiae Patres, quae illorum scripta, quae auctoritas.

Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi: ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae, ex hac sententia quam scriptam reliquit Apostolus in Ep. ad Eph. cap. 4. satis dilucide apparet Deum O. M. ad Ecclesiam formandam in unitatem fidei et agnitionem Filii sui, nedum instituisse Prophetas, Apostolos, et Evangelistas quorum ore mentem patefaceret suam in V. ac N. Testamenti Scripturis in quibus Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines, verum et alios quoque dedisse praeclaros viros qui doctorum pastorumque munera exequentes, bonum depositum custodirent, ac Evangelio secundum virtutem Dei collaborarent; ut nos in fide illorum scriptis confirmati, jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris: sed veritatem facientes in charitate, crescamus in mensuram plenitudinis Christi qui est caput Ecclesiae. Hinc quamvis soli auctores hagiographi, Apostoli et Evangelistae post sacros Vates Patres Ecclesiae proprie loquendo dici debeant, juxta illud Pauli I. ad Cor. cap. 4. *Si decem millia pedagogorum habeatis in Christo: sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui;* communi tamen receptoque Theologorum usu soli pastores et doctores

de quibus in allata proxime sententia loquitur Paulus, Patres Ecclesiae appellari consueverunt, nec immerito. Primo enim jam Apostoli et Evangelistae titulis aliis amplioribus apud nos distinguuntur. Deinde vero qui post Apostolos doctrina morumque sanctitate micuerunt, licet Deo revelante ut auctores sacri non scripserint, nihilominus quum virtutibus eminentique doctrina ad Ecclesiam in esse perfecto constituendam plurimum adlaboraverint, nonne jure dici potest Ecclesiam quodammodo generasse atque fovisse? Et ideo celebratissimi scriptores qui post Apostolos et Evangelistas in Ecclesia floruerunt, ipsius Ecclesiae Patres nuncupantur.

Verum non quivis ecclesiasticus scriptor, licet antiquitate, doctrina, ac dignitate polleat, in sanctorum Patrum censum est referendus, sed characteribus omnibus ad constituendum Ecclesiae Patrem requisitis praeditus esse debet. Qui quidem characteres ad quatuor reduci possunt: hoc est, ut scriptori alicui ecclesiastico absque erroris periculo Patris nomen attribuamus, haec observanda sunt. 1. An eminenti polleat doctrina. 2. An insignis fuerit in vitae sanctitate. 3. An necessariam habeat antiquitatem. 4. An Ecclesia illum esse S. Patrem expresse declaraverit.

Et eminentem plane doctrinam necessariam esse ecclesiastico scriptori ut Pater Ecclesiae dici queat, ex eo facillime suadetur quod consuli ac interrogari ab Ecclesia in rebus dubiis debeat: et rursus quod ita instituendi sint ab eo Fideles, ut Ecclesia ab ipso propagata, ampliata, ac in esse perfecto constituta dici merito possit; quod sine eminenti doctrina profecto nequit obtineri. Hinc Ecclesia SS. Patribus aptat illa Christi Domini verba Matth. cap. 5. *Vos estis sal terrae ... Vos estis lux mundi*, idest illi, *per quos condiendi sunt quodammodo populi*: illi quos elegit Deus *per quos errores auferat ceterorum*, ait S. P. Augustinus lib. 1. de Serm. Dom. in monte cap. 6. Hujus conditionis defectu non omnes qui primis Ecclesiae saeculis inter christianos scriptores floruerunt, sanctorum Patrum habendi sunt loco. Nam etsi aliqua scripserint, antiquitate morumque polleant sanctitate, si eminentem non habuere doctrinam, tamquam Ecclesiae Patres venerandi non sunt, nisi forte in iis quae scripserunt, testes se praebeant divinae et apostolicae traditionis.

Sed non sufficit praecellens doctrina, nisi adsit quoque insignis vitae sanctitas: quum enim Patres sapientiae suae sale populos condire quodammodo debeant, et ceterorum auferre errores, nonne necessarium est ut morum exemplo luceant non modo docendo, verum etiam faciendo? Christus sane Matth. cap. 5. de hujusmodi loquens hominibus inquit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona etc.* Et rursus: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum: qui autem fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur*. Quod vitae sanctitate caruerint Tertullianus, Origenes, Eusebius, Rufinus, nonnullique alii, in caussa est cur ab Ecclesia tamquam Patres minime agnoscantur, quamvis antiquissimi sint et mira claruerint eruditione.

Tertia conditio ad Patrem Ecclesiae constiuendum requisita, est anti-

quitas. Nam ideo ecclesiastici nonnulli scriptores Patres dicuntur, quod Ecclesiam foverint, defenderint, ampliaverint, et quoad esse perfectum suum quodammodo generaverint. Ast vero quum pluribus jam ab hinc saeculis Ecclesia in suo esse perfecto sit constituta, scriptor qui antiquitate non gaudet, sancti Patris nomen non promeretur. Hinc intelligimus sanctos Thomam aquinatem et Bonaventuram esse quidem Ecclesiae doctores eximios, cum ob illorum doctrinam et summam in scholastica theologia peritiam a Summis Pontificibus Doctores Ecclesiae fuerint declarati. S. nempe Thomas a Pio V. et S. Bonaventura a Sixto V. sed vere et proprie Ecclesiae Patres dici non posse, quoniam deest illis antiquitas.

Postremo Ecclesiae declaratio accedat necesse est ut Patrem a non Patre distinguamus. Ecclesia enim cum dubium circa fidem vel mores vel disciplinam oritur, sanctos Patres consulere et audire solet, juxta illud Deut. cap. 32. *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi*; *majores tuos, et dicent tibi*. Cumque Ecclesia, quae in agendo caeco quidem non abripitur impetu, certo sciat non omnium esse res magni momenti docere, *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetae? numquid omnes Doctores?* ut Apostolus 1. ad Cor. cap. 12. scribit; consequens fit eos dumtaxat interrogare quos vere Ecclesiae Patres esse cognoverit ipsa ac declaraverit. Animadvertendum tamen est non semper requiri expressam, sed satis etiam esse tacitam Ecclesiae declarationem sive approbationem ut aliquis Patris loco tuto habeatur. Atque haec sufficiunt ad dignoscendum quinam sint Ecclesiae Patres.

Nunc agendum est breviter de illorum scriptis. Quamvis sancti Patres non pauca de humanioribus literis, de philosophicis rebus, aliisque disciplinis scripserint, nihilominus de iis aliisque, non ex professo, sed incidenter et data occasione quum pertractaverint, nos illorum scripta ad quatuor capita reducemus, videlicet ad sacrae Scripturae interpretationem, ad fidei nostrae dogmata, ad christianam moralem, et ad Ecclesiae disciplinam. Et quoad sacrarum spectat interpretationem Scripturarum, universim dico sanctos Ecclesiae Patres adeo in illa excelluisse, ut Tridentinum Concilium hanc pro sacra Scriptura exponenda tradiderit regulam, ut scilicet, *Nemo prudentiae suae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat contra eum sensum quem tenuit, et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat*. Et jure quidem ac merito, quoniam toti semper erant et verbo et scriptis, et publice et privatim, vel in fidelibus populis aedificandis, vel in evertendis haereticorum erroribus: quae plane praestare non poterant, nisi sacram Scripturam sedulo ac fideliter interpretando. Observandum tamen est mysticum magis quam literalem sensum sanctos Patres in Scripturis interpretandis fuisse secutos; eorum quippe scopus ut plurimum erat fidelium populorum quos sermonibus suis alloquebantur, corda igne

charitatis accendere : quod quidem facilius obtinebant mysticos ac morales sensus ex sacra Scriptura eruendo, quam grammaticalibus vel criticis quaestionibus circa sensum literalem audientium mentes fatigando. Hoc tamen non ita dictum velim quasi literalem sensum neglexerint penitus. Nam ubi doctoribus viris satisfaciendum erat, aut fidei dogmata ab haereticorum cavillis vindicanda, etiam in literali sensu exponendo diligentissime versabantur. Patet id exemplo S. P. Augustini (ut Hieronymum, Ambrosium, aliosque Patres silentio praeteream,) qui licet in expositione psalmorum aliisque ad populum sermonibus mystico sensu ad populorum aedificationem saepe delectaretur, nihilominus ubi aut Simpliciani archiepiscopi mediolanensis quaestiones solveret, aut Pelagianorum, Donatistarum, Arianorum falsa dogmata refelleret, nulli certe secundus habetur in sacris Scripturis literaliter interpretandis. Quapropter non satis miror Castellani, Simonii, ac Dupinii temeritatem et impudentiam qui Clericum, Dallaeum, aliosque paucos heterodoxos imitati, fidenter nimis affirmarunt veteres Patres, et Augustinum praesertim, inutilibus allegoriis, metaphoris impropriis, frigidisque allusionibus adeo redundare, ut eorum lectio, ubi sacram interpretantur Scripturam, si non perniciosa, inutilis certe sit. Quod haec aliaque hujus generis dicteria in sanctos Patres evomant haeretici homines, quum a Patrum auctoritate nonnisi calumniis conviciisque redimi valeant, parum mirari subit. Ast nullo prorsus modo toleranda sunt haec in viris catholicis et eruditis, quibus quanti in rebus religionis sanctorum Patrum sit facienda sententia, magistra docente Ecclesia si catholici sunt, notum esse debet. Ceterum Simonii, Dupinii, aliorumque hujus furfuris scriptorum studiosos ad ipsa sanctorum Patrum opera remittimus, eosque rogamus ut omni partium studio seposito, in iis evolvendis paulisper incumbant; et si ea attente perlegerint, dubio procul invenient sanctos Patres etiam in literali Scripturae sensu exponendo adeo emicuisse, ut recentiores interpretes nihil hactenus fere dixerint quod ab antiquis illis uberrimis fontibus aut clam aut palam non propinaverint. Quod Augustinum spectat, ut multa paucis dicam, prae omnium manibus sunt illius quatuor vere aurei libri de Doctrina christiana, quos omnes propemodum criticas et grammaticales continere regulas ad literalem sensum ex sacris literis exspiscandum, nemo nisi invidus aut qui sponte luci oculos claudere velit, audebit inficiari.

Fidei nostrae dogmata sunt alterum caput doctrinae sanctorum Patrum. Et de fidei dogmatibus quidem fuse pertractarunt iis in voluminibus, quae ubi error aliquis vel haeresis contra fidem oriebatur ediderunt. Sed non contra Haereticos solum, sed et adversus Judaeos et Gentiles agentes, imo et in aliquibus libris pro instruendis fidelibus vel pro catechizandis rudibus vel pro instituendis catechumenis elucubrarunt, disseruerunt de nostrae fidei dogmatibus. Qui ergo haec ex sanctis Patribus haurire cupit hujus generis scripta diligentissime evolvat.

Sed ut sanctorum Patrum opera circa dogmata fidei tutius legantur, nonnulla observatione digna animadvertenda sunt. Nempe 1. quo tempo-

re quaestio quam resolvere volumus fuerit in Ecclesia excitata. Fuerunt namque tempora in quibus licet Patres eadem crederent quae modo nos tenemus, admodum tamen imperfecte de aliquibus fidei mysteriis loquebantur. Ita ex. gr. quamvis Verbi divinitatem Patres antenicaeni non secus ac nos admitterent, nihilominus quum Ariani adhuc orti non essent, non ita perfecte ut post Concilium Nicaenum de ea scribebant aut loquebantur. Idipsum dicendum de Gratia Christi ac Praedestinatione ante exortam haeresim pelagianam, aliisque dogmatibus. Hinc apposite magnus Gratiae propugnator et vindex Augustinus in lib. de Praed. SS. cap. 14. *Quid igitur opus est*, inquit, *ut eorum scrutemur opuscula, qui prius quam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hoc difficili ad solvendum quaestione versari? quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis et transeunter adtingerent: immorarentur vero in eis, quae adversus inimicos Ecclesiae disputabant, et in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus* etc.

2. Observandum est ad quos sermones suos sancti Patres dirigerent. Adversus enim gentiles mysteria fidei phrasibus proponebant e gentili philosophia petitis. Judaeos alloquentes, Prophetarum dumtaxat urgebant oracula et vaticinia. Catechumenis non admodum clare arcana proponebant religionis. Sapientiae divinae thesaurum revelabant perspicue Fidelibus, sed populari eloquio, vulgari sermone, gravissimisque ut plurimum praetermissis difficultatibus. Contra haereticos tantum aperte loquebantur, nihil dissimulantes. Quare si quis v. g. ad revincendos Pelagianos libris uti vellet dumtaxat Augustini de Civitate Dei; aut contra Arianos Dialogo solummodo Justini martyris cum Tryphone etc. is plane neque de Gratia Christi, neque de Verbi cum Patre consubstantialitate accuratissime disputaret.

3. Pauca quae in sanctis Patribus obscura videntur, explicari per clariora ejusdem Patris loca debent. Unde operam ludunt Theologi quidam dum ad eorum statuendum de Gratia et Praedestinatione systema, unum vel alterum S. P. Augustini ambiguum testimonium adducunt.

4. Sancti alicujus Patris mens circa dogma aliquod quaenam fuerit, erui non debet ex uno vel altero ejusdem Patris textu e propria sede avulso, sed cum antecedentibus et consequentibus loca quae examinantur, conferenda sunt, et scopus ejus praecipue attendendus. In hoc saepe peccat Jurius, dum sanctis Patribus utitur ad suum constituendum de Ecclesia systema.

5. Si examinandum fidei dogma suscipiatur, non quilibet Pater consulendus est, sed ad eos recurrendum qui de illo dogmate adversus haereticos ex professo pertractarunt. Puta, si quaestio oriatur circa Verbi divinitatem, legendi sunt Athanasius, Ambrosius, Hilarius, Augustinus. Si contra Donatistas, Optatus, et Augustinus. Contra Manichaeos, Pelagianos, Jovinianistas, idem Augustinus est consulendus, et sic porro de ceteris. Ad rem laudatus mox Augustinus lib. de Dono Persev. cap. 20. *Di-*

dicimus enim singulas quasque haereses intulisse Ecclesiae proprias quaestiones contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret.

6. Si quando sancti Patres in profligandis erroribus terminis utnntur specie tenus oppositis erroribus faventibus, cave ne dicas illos aestu disputationis arreptos modum excessisse. Ita quamvis Cyrillus alexandrinus in nestoriana comprimenda blasphemia talem adhibeat phrasim quae favere in specie videatur Apollinaristis, non inde tamen inferendum est S. Patrem excessisse modum, et iu apollinarismum incidisse. Similiter Augustinus de se inquit quod disputans adversus Manichaeos qui fatalem admittebant in agendo necessitatem, ita extollit liberum arbitrium ut gratiam videatur denegare Salvatoris; et contra Pelagianos liberum nimis extollentes arbitrium ita Christi gratiam commendat, ut libernm deprimere videatur arbitrium. An ne proinde cum Lojolitis dicemus S. Doctorem terminos transgredi, et in oppositum errorem impingere? Absit. Nam saepe ipsemet monet, nec Manichaeis dum contra Pelagianos, neque Pelagianis dum contra Manichaeos disputabat, adhaesisse. Qnare lib. 4. cont. duas Ep. Pelag. cap. 3. *Ista*, inquit, *nefaria dogmata et damnabilia in hac tripartita divisione quisquis mente catholica exhorret, illius quinque partitae latebras insidiasque devitet, atque ita inter utrumque sit cautus, ut sic declinet Manichaeum, ne se inclinet in Pelagium; rursusque ita se sejungat a Pelagianis, ne conjungat Manichaeis; aut si in alterutris jam tenetur, ne sic se a quibuslibet alteris eruat, ut in alteros irruat*. Quae cum ita sint, legi absque stomacho non possunt quae vir quidam in S. Patrem evomuit: *Numquam tamen*, inquit, *longius zeli ardorem Augustinus abreptus est, quam ubi Pelagianos impugnavit: dum enim ab eorum loquendi ratione et erroribus longissime recedere intendit, in periculosos excessus incidit: ut hinc aliqui theologi doctrina et pietate insignes dixerint, eum veritatis limites transgressum esse, nimio disputationis ardore accensum fuisse, aut visum fuisse favere haereticis*. Hoc modo, inquam, de tanto Doctore loqui insanientis, non ratiocinantis hominis est. Si namque scriptor ille proletarius debita erga sanctos Patres reverentia Augustini libros legisset (si tamen umquam legit,) veritus proculdubio fuisset talibns conviciis S. Patris famam dilacerare. His aliae addi possunt regulae ad rectam sanctorum Patrum intelligentiam. Sed pro instituti nostri ratione haec pauca ad tyronum eruditionem sufficiant. Interim pergamus ad reliqua.

Sanctos Patres quovis tempore ac diligentissime christianam versasse moralem non opus est demonstrare; cunctis enim illorum patent scripta in quibus nil frequentius quam morum doctrina occurrit. Imitatores ea in re fuere Christi Domini, qui post traditam in Evangeliis de fidei mysteriis doctrinam, totus est in moralibus praeceptis instituendis, exponendis, et commendandis. Sed quoniam regulae ad pie sancteque vivendum in Evangelio nonnisi breviter et in compendium traduntur, ea demandata est sanctis Patribus provincia, ut sedula super Evangeliis adhi-

bita meditatione regulas illas lucidius adhuc explicarent, amplificarent, atque ad particulares reducerent casus. Quod munus feliciter admodum quum adimpleverint, ut ipsa testatur Ecclesia, consequens fit sanctos Patres *depositarios* esse doctrinae morum, ut *depositarii* sunt doctrinae fidei; atque idcirco ubi quaestio circa moralem christianam exoritur, ad illos esse recurrendum.

Ex hoc liquet quam turpiter errent qui docent in fidei quidem dogmatibus sanctos Patres, in regulis autem morum recentiores consulendos esse Theologos. Doctrina enim morum eadem atque perpetua et constans esse debuit a Christo ad haec usque tempora, et eadem continuo futura est ab hac aetate usque ad saeculi consummationem. Qui ergo in rebus ad christianam moralem spectantibus scholasticos supra sanctos Patres extollunt, satis aperte demonstrant se velle in regulis morum novitates inducere.

Tandem non pauca scripsere Patres ad Ecclesiae disciplinam pertinentia. Est autem ecclesiastica disciplina institutum quoddam humanum ad morum conservandam vel augendam vel instaurandam sanctitatem. Atque in hoc differt a doctrina morum, quod haec immutabilis, illa vero pro temporum, locorum, circumstantiarumque varietate, mutabilis. Qui ergo veterem Ecclesiae disciplinam agnoscere cupit, consulat sanctos Patres in quorum operibus omnia pro aetatum sibi succedentium diversitate satis abunde pertractata reperiet. Cavendum tamen sedulo est ne disciplinam cum regulis morum confundamus; alioquin existimabimus praecepta morum a Patribus tradita, ad nos hodie amplius non pertinere: et vicissim teneri nos modo eisdem disciplinae praeceptis quae sanctorum Patrum vigebant aetate. Utrumque autem, ut per se patet, absurdum est. His praemissis, nunc breviter inquiramus quae et in quibus sit sanctorum Patrum auctoritas.

Lutherani, Calvinistae, Sociniani, aliique hujus similaginis homines, etsi expresse non affirmarent sanctos Ecclesiae Patres nullam neque in rebus ad fidem et mores spectantibus obtinere auctoritatem, ea nihilominus theologiae principia statuunt, ex quibus sua veluti sponte sequitur tanti Veterum valere auctoritatem, quanti valent argumenta et rationes quae ab illis afferuntur. Quum enim aut solam sacram Scripturam, ut Lutherani et Calvinistae, aut naturalem rationem, ut Sociniani, fidei regulam simul controversiarumque judicem esse definiant; deducitur inde vel ipsis tacentibus, nec divinas Traditiones, nec generalia Concilia, nec Ecclesiam universalem, nec sanctos Patres infallibilis esse auctoritatis. Sed non illative solum, verum data opera et ex professo bellum sanctis Patribus indicunt apertissimum, ut indixisse monuimus divinis Traditionibus, Conciliis oecumenicis, Ecclesiae universali. Legantur Lutherus in Prol. asser. suorum art. Calvinus in Praef. Instit. Socinus sparsim in pestilentissimis suis operibus. Sed hic fuit semper, ut alibi monuimus, haereticorum mos. Animadvertentes videlicet eorum falsissima placita ex veterum scriptorum lectione novitatis redargui facillime posse, his fidem

omnem adimere conati sunt, ut ita neminem habeant impietatis suae reprehensorem. Hac de caussa ante Protestantes Patrum auctoritatem spreverunt Wiclefus, Abailardus, et Eutychiani, Nestoriani, Ariani, aliique prisci heterodoxi.

Nos itaque qua veterum qua recentiorum portenta haereticorum execrantes, sicut in superioribus infallibilem agnovimus divinarum Traditionum et universalium Conciliorum et Ecclesiae auctoritatem, ita in praesentiarum irreformabile propugnamus judicium sanctorum Patrum. Verum ne fucum nobis heterodoxi faciant, vera a falsis, et a dubiis quae certa sunt, opus est ut accurate secernamus. Quare sit

CONCLUSIO I.

Sancti Patres in quaestionibus philosophiae aliarumque naturalium scientiarum, sive pauci sint, sive plures, infallibilis non sunt auctoritatis.

Prob. Sancti Patres ut divinae sapientiae ex proposito et totis incumberent viribus, philosophicas aliasque naturales disciplinas aut neglexernut penitus, aut leviter admodum attigerunt. Patet id multorum exemplo, et praesertim Gregorii nazianzeni, Basilii, et Hieronymi, quorum duo primi, teste Rufino lib. 2. H. E. cap. 9. omnibus abjectis saecularibus literis, per tredecim annos sacrae Scripturae studio operam diligentissime dederunt. Hieronymus autem de seipso ita loquitur: *Plusquam quindecim anni sunt, ex quo manus meas nusquam gentilium literarum quilibet auctor ascendit; et si quid forte inde dum loquimur obrepit, quasi antiqui per nebulam somnii recordamur*. Ita in Proem. Comment. in Ep. ad Gal. Hinc ubi ejusmodi incidunt quaestiones, aut vulgi sermonem usurpant, aut philosophorum sententias quibus imbuti olim erant, supponunt ac sequuntur, nullo an vera sint adhibito examine. Neque mirum, quoniam hoc fine sancti Patres a Deo dati sunt Ecclesiae, non ut saecularibus incumberent disciplinis, sed ut doctrinam fidei ac morum a Christo et ab Apostolis traditam conservarent, illibatamque transmitterent ad posteros: atque idcirco in hisce rebus infallibilis non sunt auctoritatis.

CONCLUSIO II.

Ubi agitur de quaestionibus theologicis ad fidem minime pertinentibus, sanctorum PP. consensus probabile quidem, non autem certum suppeditat argumentum.

Prob. Ideo SS. PP. divinae sunt auctoritatis, quoniam a Deo constituti sunt in Ecclesia divinarum Traditionum testes idonei. Quaestiones autem theologicae ad fidem haud pertinentes, divina Traditione non continentur; alioquin spectarent ad fidem. Unde probabile quidem, non autem

certum suppetit PP. consensus argumentum. Hoc sensu intelligenda sunt S. P. Augustini verba in Ep. 148. alias 111. *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum et laudatorum hominum velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia quae illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum*. Hinc Vincentius Lerinensis, *Antiqua*, inquit, *sanctorum Patrum consensio non in omnibus divinae legis quaestiunculis, sed solum in fidei regula magno nobis studio et investiganda est et sequenda*.

CONCLUSIO III.

In iis quae fidei sunt, si ex sanctis Patribus paucissimi negent, reliqui omnes affirment, non quod illi pauci, sed quod omnes unanimi consensu tenent est absque dubitatione credendum.

Prob. auctoritate Vincentii Lerinensis qui Comment. 1. cap. 4. sic ait: *Quid si in ipsa vetustate duorum aut trium error deprehendatur? Curabimus omnino ut paucorum inscitiae universalis Concilii decreta praeponantur. Quae si desint, collatas inter se majorum sententias lector consulat eorum, qui diversis licet temporibus et locis, in unius tamen Ecclesiae catholicae communione ac fide permanentes, magistri probabiles extiterunt ... Et quidquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum*.

REGULA.

Cave tamen ne paucorum sententiam Patrum reliquis omnibus contrariam et erroneam dicteriis impetas, aut ipsos sanctos Patres irreverenter refellere aggrediaris. Mos enim hujusmodi haereticorum est, qui ubi naevum in aliquo sanctorum Patrum introspiciunt, calumniis conviciisque illum onerant, ejusque lacerant famam, vestigia sequentes impii Cham qui Noë patris sui nuditatem non modo operire neglexit, verum quoque irridendam ceteris enunciavit. Sed imitator esto mansuetudinis magni Augustini qui lib. 6. de Bapt. cont. Donat. cap. 2. ita de Cypriani errore loquitur: *Quapropter reddens debitam reverentiam, dignumque honorem, quantum valeo, persolvens pacifico episcopo et glorioso martyri Cypriano, audeo tamen dicere eum aliter sensisse de schismaticis vel haereticis baptizandis, quam postea veritas prodidit*.

CONCLUSIO IV.

Plurium Patrum in re aliqua fidei consensio, si plures ex alia parte reclament, argumentum probabile, non autem certissimum exhibent, nisi Ecclesiae accedat definitio.

Prob. ex quo sanctorum Patrum munus sit attestari hunc vel illum articulum a Christo Apostolis fuisse revelatum. Si autem ex una parte plures Patres testantur hunc vel illum articulum haud fuisse a Christo Apostolis revelatum, quamvis ex altera parte revelatum fuisse affirment plures alii Patres, nisi Ecclesiae magistrae definitio accesserit, quis certo affirmare poterit hunc vel illum articulum esse a Christo Apostolis revelatum? Poterit id auctoritate fretus plurium Patrum tenere probabiliter.

REGULA.

In concursu plurium Patrum cum paucis, nisi accesserit Ecclesiae definitio, plurium semper opinioni subscribendum est, eaque tenenda est regula quam tradit Vincentius Lerinensis: *Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem vero ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos majores et Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certe pene omnium Sacerdotum pariter ac magistrorum definitiones sententiasque sectemur.*

CONCLUSIO V.

Quod omnes sancti Patres unanimi consensu tamquam fidei dogma vel morum regulam tradunt, id certissima fide credendum est.

Prob. 1. Quod ab Apostolis et a Christo descendit, vel tamquam fidei dogma vel tamquam regula morum nonne certissime credendum est? Ast quod omnes sancti Patres unanimi consensu velut fidei dogma vel regulam morum tenent, nonnisi ab Apostolis et a Christo descendit. Primo siquidem, quum post Apostolos novae non dentur in Ecclesia revelationes, quod Patres unanimiter credunt tamquam fidei dogma et regulam morum non aliunde descendere potuit, quam ab ipsis Apostolis per succedentes aetates. Deinde si Patres quod tamquam fidei dogma et regulam morum tradiderunt, non accepissent per traditionem ab Apostolis, jam Fideles qui pastorum doctrinam ac fidem sequuntur, gravissime errassent; credidissent quippe tamquam fidei dogma vel regulam morum non quod ab Apostolis et a Christo descendit, sed purum putumque humanum inventum: quod absurdum est cogitare.

Prob. 2. Patres Concilii Ephesini contra Nestorium, Basilius adversus Macedonianos et Eunomianos, Hieronymus ad refellendum Helvidium, Augustinus contra Pelagianos, Leo M. contra Eutychianos, aliique haeresum profligatores, usi sunt semper ut firmissimo argumento non solum sacrarum Scripturarum, sed praecedentium quoque Patrum auctoritate, eaque via haereticos feliciter vicerunt ac eliminarunt errores. Quod si unanimis Patrum consensus in rebus ad fidem moresque spectantibus ineluctabilis non esset auctoritatis, jam laudati Patres operam adversus haereticos et oleum perdidissent. Unde optime observat Vincentius Lerinensis, quod, *Concilio Ephesino divinitus placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens sanctorum Patrum tenuisset auctoritas*.

Prob. 3. Apostolus ad Eph. cap. 4. *Et ipse*, inquit, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi* etc. Haec sane demonstrant in sacris exponendis Scripturis, circa fidei dogmata ac regulas morum sequendum esse Patrum consensum. Nam Vincentius Lerinensis in allata Pauli verba scribit: *Quum Scripturam sacram pro ipsa sui altitudine et obscuritate, non uno eodemque sensu, sed aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines, tot illinc sententiae erui posse videantur ... necesse fuit ut propheticae et apostolicae interpretationis linea propter tam varii erroris anfractus, secundum normam aliquam dirigeretur. Ob id ergo post Prophetas, Apostolos, et Evangelistas, sanctos quoque Doctores accepimus, quo eorum catholicam, hoc est universalem intelligentiam tamquam Ecclesiae regulam a Deo praescriptam sequemur. Praeclare igitur illud adjectum est, Ad consummationem sanctorum, in aedificationem corporis Christi* etc. Hinc Tridentina Synodus Sess. 4. prudentissime decrevit, *Ut nemo prudentiae suae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat, aut contra eum sensum quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat*.

Multa adversus postremam hanc propositionem objicere solent recentiores haeretici, sed quae facile ex dictis solvuntur. Nam probationes trium priorum thesium ut postremae contradicant assumunt. Vide interim Controversiarum Tractatores, Bellarminum, Canum, Valemburgenses, Natalem Alexandrum, Bacchinum, et ex nostratibus Hyacintum Tonti, Thaddeum Caluschi, et Carolum Moreau.

CAPUT II.

Agitur de historia humana, nempe de illius utilitate et auctoritate.

Historiae humanae nomine, rerum factorumque intelligimus narrationes quae penes auctores cum ecclesiasticos tum exoticos sive profanos leguntur, ad differentiam sacrae seu divinae historiae quae ab auctoribus hagiographis edita fuit, sacraque Scriptura continetur. De humana nos in praesentiarum; hoc est de profana et ecclesiastica historia tractationem instituimus, non de sacra et divina quam utilem esse ac necessariam nemini dubium, quum fundamentum sit totius Christianae religionis. Divinam autem spirare auctoritatem ex eo colligitur quod sit Verbum Dei hominibus immediate revelatum. Sed de historia divina fuse disseruimus lib. 1. et 2. Quaenam autem circa historiam humanam mens nostra sit sequentes aperient propositiones.

CONCLUSIO I.

Historia sive profana sit sive ecclesiastica, viro theologo utilissima est.

Prob. 1. Historia universim accepta, abstrahendo nimirum ab humana vel divina, adeo utilis semper existimata fuit, ut homines a mundi exordio per plurima deinceps saecula, non aliter de rebus ad fidem et mores spectantibus edocti fuerint quam per historiam. Nam ab Adam usque ad Moysem, qua alia via inducta est inter homines et conservata vera Religio nisi per historiam? Tunc enim quum adhuc non existeret sacra Scriptura, per solam traditionem in fidei mysteriis et regulis morum instruebantur homines. Traditio autem in eo sita erat, ut parentes filiis, hi generationi venturae, et sic porro deinceps narrarent Dei mirabilia quae propriis viderant oculis, auribus audiverant, et manibus veluti attrectaverant. Similiter a Moyse usque ad Christum, Religio conservata est inter Judaeos per historiam in literas relatam, ut patet legenti Pentateuchum, libros Josue, Judicum, Regum, aliosque. Quid quod? Ab adventu Christi usque ad haec nostra tempora, etiam inter nos conservata est et adhuc servatur et propagatur vera Religio per historiam. Apostoli sane illorumque discipuli ut Judaeos atque Gentiles ad fidem vocarent, nil aliud fere praestabant quam eis narrare quae fecerat et dixerat Christus, et ea quae narrabant miraculis confirmare, ut in Evangeliis et Act. Apostolorum legere est. Patrum vero instructiones et exhortationes ad propagandam conservandamque inter homines fidem elucubratae, quid aliud sunt quam narratio eorum quae a mundi initio usque ad Christum, et a Christo per Apostolos aliosque sanctos viros usque ad illorum aetatem fecit Deus? In exemplum sit vel unicus S. P. Augustini liber *de catechizandis rudibus*. In dubium itaque verti nequit quin historia generatim accepta utilissima sit, atque idcirco nec dubitare fas erit utilissimam esse viro theo-

logo historiae vel profanae vel ecclesiasticae cognitionem. Hinc Theologi illi qui profanae ac ecclesiasticae historiae jejuni omnino fuerunt, in plures absurdissimos impegerunt errores; quod exemplis demonstrat Melchior Canus lib. 11. de Locis cap. 2.

Prob. 2. De historia profana haec scribit S. P. Augustinus lib. 2. de Doct. Chr. cap. 28. *Quidquid igitur de ordine temporum transactorum indicat ea quae appellatur Historia, plurimum nos adjuvat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi praeter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Nam et per Olimpiades, et per Consulum nomina multa saepe quaeruntur a nobis, et ignorantia consulatus, quo natus est Dominus, et quo passus est, nonnullos coegit errare*. Quanto magis ergo utilis erit historia ecclesiastica? Vir theologus de fidei dogmatibus ac regulis morum quum agere debeat, scire illi necesse est fidei dogmata ac regulas morum nullam umquam in Ecclesia Christi passam fuisse mutationem. Ast unde id melius scire potest quam ex ecclesiastica historia? Ab ea namque discit quid quovis saeculo constanter crediderint homines, quid oecumenica Concilia circa fidem mores ac disciplinam statuerint, quos damnaverint haereticos, quas haereses improbaverint, quid viri sancti faciendo vitam promeruerint aeternam, ceterisque in exemplum proponi, aliaque hujus generis addiscet bene multa, quae rite assecutus fungi apprime munere suo poterit.

CONCLUSIO II.

Auctoritas ab historia mere humana desumpta non suppeditat Theologo argumentum certum certitudine fidei, sed tantum probabile.

Prob. prior thesis pars. Argumentum certum certitudine fidei nonnisi ex iis quae sunt a Spiritu S. revelata deduci potest. Cumque ea quae humana historia continentur, non sint a Spiritu S. revelata (soli enim historici sacri Spiritu S. afflante scripserunt, ceteri vero humano dumtaxat spiritu;) consequitur auctoritatem ab historia mere humana depromptam non parere certitudinem fidei.

Prob. altera pars. Sicut qui cito credit, levis est corde; ita qui ad credendum nimium est tardus, dignus reprehensione videtur. Quod enim natura sua credibile est, quod a viris gravibus fideque dignissimis tamquam a se visum vel ab aliis fide dignis auditum narratur, cur in dubium nos revocabimus? Haec itaque assumere potest Theologus tamquam probabilia argumenta infirmandis vel roborandis assertionibus suis.

CONCLUSIO III.

Auctoritas desumpta ab Historicis omnibus gravibus, in eamdem rem gestam nemine contradicente consentientibus, argumentum parit certissimum.

Prob. Quis umquam est non omnino desipiens qui dubitare audeat

Concilium v. g. Nicaenum I. celebratum fuisse anno aerae vulg. 325. sedente in cathedra Petri Silvestro, et imperante Costantino Magno; Concilium C-P. I. habitum anno 381. sub Theodosio Imperatore, atque Damaso Romano Pontifice; Ephesinum I. an. 431. Theodosio juniore regnantè, et Romae sedente Caelestino I. et sic porro de reliquis ad historiam pertinentibus? Idque non alia de caussa, nisi quia haec aliaque hujusmodi ab Historicis omnibus gravissimis fideque dignissimis nemine contradicente, eodem modo narrantur. Poterit ergo Theologus ex hujus generis historiae punctis argumenta desumere certissima, ratus a nemine posse in dubium revocari nisi ab eo qui desipiat.

Praecipuae regulae pro vera a falsa historia secernenda.

I. *historiae quae sine certo auctoris nomine circumferuntur, suspectae sunt falsitatis*. Hinc Gelasius Rom. Pont. in Conc. 70. Episcoporum de Actis plurium SS. Martyrum loquens inquit: *Secundum auctoritatem antiquam vel consuetudinem, singulari cautela in S. Rom. Ecclesia non leguntur, quia eorum qui scripsere, nomina penitus ignorantur ... Sicut cujusdam Quirici et Julitae matris ejus, sicut Georgii, aliorumque passiones hujusmodi, quae ab haereticis probantur conscriptae*.

II. *non omnes historiae quae in Ecclesia lectitantur, intelliguntur ab eadem Ecclesia approbatae*. Hujus generis multa sunt in breviario Romano, ut Acta S. Catharinae martyris, SS. Silvestri ac Marcellini Rom. Pontificum, aliaque non pauca.

III. *non omnia quae sub magnorum virorum nomine circumferuntur, ab illis edita revera fuisse credendum est*. Alioquin recipienda esset historia tertio et quarto libro Esdrae contenta, Actus Apostolorum sub Abdiae nomine vulgati, Acta SS. Andreae, Thomae, Philippi Apostolorum, et Johannis Evangelistae.

IV. *quod ab hominibus probis, integris, prudentibus narratur, tamquam certum credi debet*. Regula haec locum habet in iis praesertim quae historici se vidisse vel audivisse, ab iisque accepisse qui rem tamquam certam viderunt vel audiverunt, testantur. Juxta hanc regulam itaque, facta quae in epistolis Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, in quibus mendacium nefas est suspicari, credere tamquam certa debemus.

V. *non tam facile admitti debet historia quae a scriptoribus fide quidem dignis narratur, sed ab ipsis propriis oculis non intuita, nec a viris integris qui eam viderint, accepta*. Unde probari non debent omnia quae in libro cui titulus, *Speculum exemplorum*, leguntur, nec historiae etiam ejus quae *Legenda aurea* nominatur. Eadem de caussa hac nostra aetate complures Eruditi sunt, qui multa quae a Beda in *Historia Anglorum*, et a M. Gregorio in Dialogis referuntur, veluti suspectae fidei habent.

VI. *scriptores qui in Sanctorum vitis edendis suo affectui nimium*

indulgent multa de industria confingentes, *parvam merentur fidem*. Dignoscitur autem scriptor proprio indulgere affectui, multaque pro lubitu suo confingere, si ineptis fabellis et factis vel dictis quae sanctos viros dedeceant, historiam quam scribit aspergat. Praestat accedere virum gravissimum Melchiorem Canum lib. 11. de Loc. cap. 6. regulam hanc eleganter explicantem: *Dum quidam suo affectui nimium indulgent*, *et ea scribunt quae animus scribentis dictat*, *non quae veritas*, *tales Divos nobis exhibent quales Divi ipsi etsi possent*, *esse tamen noluissent*. *Ecquis enim credat divum Franciscum pediculos semel excussos in seipsum solitum esse immittere*? *Quod ad sanctitatem viri scriptor pertinere putavit*, *equidem non puto*, *qui paupertatem suam viro sanctissimo placuisse semper*, *sordes nunquam*.

VII. *si historia nonnisi diu postquam contigisse dicitur vulgata fuerit*, *nec ulla temporis illius quo contigisse narratur momenta proferantur*, *nullam fidem promeretur*. Ex hac regula falsa dignoscitur historia Johannae papissae, quae ducentis et amplius annis postquam evenisse narratur fuit divulgata.

VIII. *si insignis historicus de facto aliquo sileat quod ignorare non poterat*, *quodque plurimum ipsius intererat narrare*, *argumentum quidem negativum est*, *sed sufficiens ad judicandum factum illud*, *licet ab aliis posterioribus relatum in literas*, *falsum esse*. Hinc historia de Marcellini Rom. Pont. thurificatione, et habito ea de re sinvessano Concilio, conficta censetur per Donatistas, quoniam nullus sanctorum Patrum qui tempore Marcellini florebant, ejus lapsus mentionem fecit.

IX. *si historia aliqua facta referat magni momenti*, *eaque contigisse testetur coram ingenti multitudine cujus multum intererat falsitatem si qua subesset manifestare*, *et nihilominus ea historia tempore quo accidit evulgata fuerit et ab omnibus tamquam vera recepta*, *talis historia omnimodam meretur humanam fidem*. Qui sacrae Scripturae non agnoscunt divinitatem, negare non possunt veritatem historiae aut Pentateucho, libris Regum, aliisque V. Testamenti voluminibus, aut Evangelio et Actis N. Testamenti contentae, quoniam facta narrat quae coram ingenti multitudine evenerunt, et ea vulgata fuit aetate quando ea quae narrantur gesta fuerunt.

X. *fides historiae in qua narratur aliquid secreto accidisse*, *uno tantum homine conscio*, *tota ab illius hominis fide pendet in cujus conspectu historiam accidisse refertur*. Hujus generis est mahumetanae religionis revelatio quam sibi secreto per angelum factam fuisse narrat ipse Mahumetes. Cumque nullam penitus is promereatur fidem, historia suae religionis narrans revelationem falsa penitus est. Plures alias regulas vide in artis criticae magistris, et apud Canum de Loc. lib. 11. cap. 6.

CAPUT III.

De Theologia scholastica. Quid ea sit, quando obtinere coeperit, an utilis sit, et quaenam illius auctoritas.

Theologia quam fulgidissimum Ecclesiae lumen Augustinus lib. 6. de Civ. Dei cap. 8. *rationem, non naturae, sed Dei* scitissime appellat, dividitur in *positivam*, *scholasticam*, *et mysticam*. Prior est, quae divinam Scripturam, fidei mysteria, morumque regulas exponit; sive disciplina, quae in unum colligit, in ordinem redigit, et prima sacrae doctrinae principia tradit, quae sunt dogmata fidei et morum in Scripturis et Traditione revelata, ex quibus juxta Ecclesiae statuta suas infert positiones.

Theologiam vero scholasticam illam nonnulli appellare consueverunt quae syllogisticae artis regulas adhibens, non modo fidei morumque dogmata ex Scriptura, Traditione, et Ecclesiae decretis collecta et in ordinem digesta tradit, ut positiva Theologia: sed praeterea dogmata eadem variis undique accitis argumentis illustrat atque confirmat, adversantium objectamenta dissolvit, et accurate ratiocinando, ex demonstratis confirmatisque dogmatibus alias statuit conclusiones. Quod si disciplina haec in divinarum dumtaxat rerum contemplatione versetur, dicitur ab iisdem auctoribus Theologia scholastica speculativa: si in iis quae ad formandos pertinent mores occupetur, appellant moralem. Rursus si ad fidei controversias dirimendas, et ad revincendos haereticos adhibeamus, dicunt polemicam, hoc est, bellatricem. Quatenus ad trutinam sanctorum Patrum placita revocat atque sententias, erit Theologia dogmatica. Dogma quippe idem est ac scitum sive decretum. Quamvis invaluerit usus etiam polemicam Theologiam nuncupare dogmaticam; quum illa quoque de fidei scitis sive decretis adversus haereticos agat. Atque si ex fidei dogmatibus ac regulis morum conclusiones de quibus, salva fide christianaque charitate, in utramque partem disceptari potest eliciat, vocant illam respectu illarum conclusionum, adiaphoram. Modo tamen usus invaluit, ut haec postrema dumtaxat Theologiae scholasticae nomine insigniatur.

Mystica demum Theologia ea est, quae non in sola divinarum rerum contemplatione per intellectum occupatur, sed corde Spiritus sancti charitate perfuso, ad Deum suos dirigit affectus; unde affectiva quoque dici solet.

Non de positiva nunc sensu nuperrime exposito, neque de mystica Theologia, sed de scholastica solummodo, juxta traditam paulo ante notionem, breviter disserere in animo est. Sed antequam ad rem descendamus, pauca de illius origine atque progressu adnotare juvabit.

Vel ab ipsis Apostolorum temporibus aliqua Theologia scholastica semper in Ecclesia viguit. Quum enim haereses vel ab initio esse coeperint in Ecclesia, sancti Patres profecto ex sacra Scriptura ac Traditione semper debuerunt fidei dogmata stabilire, haereses haereticosque profligare,

atque ex statutis dogmatibus nonnullas ad Fidelium aedificationem inferre conclusiones. Verum non ex professo omnia theologiae principia in unum collegerunt corpus et in ordinem redegerunt, sed data occasione, modo hanc, modo illam adversus nascentes haereses pertractaverunt quaestionem. Primus ergo qui fidei morumque dogmata aliaque sacrae doctrinae principia in ordinem redigere coeperit, et scholasticam theologiam prout nunc est praeformare, inter Graecos fuit Johannes Damascenus, inter Latinos autem Anselmus, ambo monachi sanctissimi. Sed quoniam amplissimi hi theologi non omnia prosequuti sunt adamussim, inventorum enim opera ut plurimum imperfecta sunt, saeculo duodecimo operi perficiendo manus admovit Petrus Lombardus episcopus parisiensis, qui tam ingenti labore tantaque diligentia praecipua theologiae capita ex Scriptura et Patribus, et Augustino praesertim, in unum corpus coegit redegitque in ordinem, ut *magister sententiarum* per antonomasiam meruerit nuncupari. Et utinam reliqui theologi post ipsum eamdem sequuti fuissent methodum, neque tot tantasque ex aristotelica philosophia quaestiunculas in sacram doctrinam invexissent! Post Petrum Lombardum magnum in theologica schola nomen sibi compararunt ex ordine Minorum prae ceteris Alexander de Ales, Johannes Duns Scotus, et S. Bonaventura: quorum primus pro illorum temporum consuetudine doctor irrefragabilis, alter doctor subtilis, tertius doctor seraphicus fuere appellati. Ex ordine Praedicatorum Albertus magnus cui memoria et ingenium beneficio Deiparae collatum fertur, S. Thomas aquinas doctor angelicus merito nuncupatus, et Johannes Capreolus, ne singulos hic recenseam. Ex Carmelitarum ordine Johannes Bachonus, et Thomas Valdensis, quamvis scriptoris hujus opera ad positivam magis quam ad scholasticam pertineant theologiam. Ex Augustiniana familia Ægidius romanus qui doctor fundatissimus vulgo, a Caveo autem tom. 2. pag. 340. theologorum princeps dici meruit, Thomas argentinas, Gregorius ariminensis qui S. P. Augustini mentem, praesertim ubi de Gratia et Praedestinatione disseruit, prae omnibus ceteris scholasticis attigit. Reliquorum scholasticorum nomina brevitati consulens omitto, quamvis alii complures speciali digni sint commemoratione.

Lutherani, Calvinistae, omnesque recentiores haeretici post Wiclefitas universim, in scholasticam theologiam, in illam quoque cujus inconcussa principia sunt Scripturae, Traditio, Concilia, Ecclesiaeque statuta, furunt, eamque contumeliosis verbis atque calumniis lacerare non desinunt. Quapropter nostrum erit hoc in loco scholasticae theologiae utilitatem breviter vindicare; unde sit

CONCLUSIO I.

Vera theologia scholastica juxta methodum a Petro Lombardo traditam, utilissima est in Ecclesia, non autem absolute necessaria.

Prob. 1. pars. Vera theologia scholastica etiam juxta methodnm a

Petro Lombardo tradita ea est quae tamquam principia Sripturarum oracula, Patrum sententias, Conciliorum, Pontificumque decreta, aliaque Ecclesiae statuta assumit; haec omnia accurate distincte ac perspicue disponit et tradit; ex his eruit subinde illationes ad aedificationem Fidelium, et si quid adversarii objiciunt rejicit atque confutat. Hujusmodi autem disciplina sic accepta utilissima plane est in Ecclesia. Et 1. quum omnia sacrae doctrinae mox recensita principia per innumera sparsa sint diversi generis volumina, nec omnes ex aequo tanto polleant ingenio vel otio ut illa proprio marto inde colligere queant, nonne utilissimum fuit ea principia in unum cogere corpus, et veluti sub unico, ut ita dicam, prospectu aliis aspectanda exhibere? 2. In theologia scholastica quaevis materia proprios habet titulos, suas distinctiones et quaestiones. Plurimum itaque utilitatis et commodi affert illi qui quidquid in quavis materia Scripturae, Patres, Concilia, decreta Pontificum, ac reliqua Ecclesiae statuta tradant, in promptu habere desiderat. 3. S. P. Augustinus lib. 14. cap. 1. de Trin. ait esse in Ecclesia quamdam sapientiam qua *Fides saluberrima quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam quae non nisi aeterna est: aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur* etc. Nonne haec quam Augustinus describit, species quaedam est theologiae scholasticae quam sequioribus saeculis Petrus Lombardus adornavit? 4. Hinc Urbanus IV. Innocentius VI. Johannes XXII. Alexander IV. Sixtus V. Concilium Lateranense IV. et Tridentina Synodus scholasticae theologiae studium, juxta SS. Thomae, Bonaventurae, et Alexandri de Ales uno ore commendant et inculcant.

Prob. alt. pars. Ante Petrum Lombardum innumeri equidem in Ecclesia extitere viri orthodoxi Doctores ac Patres qui catholicam propugnarunt fidem, errores profligarunt, aedificaverunt Fideles: quare scholastica theologia juxta Petri Lombardi methodum dici non potest absolute necessaria.

CONCLUSIO II.

Est quaedam scholastica theologia inutilis, quaedam etiam perniciosa.

Prob. 1. pars. Theologia illa quae gravissimas controversias ex veris theologiae principiis non dirimit, aut de multis disputat quae prorsus inutilia sunt supervacanea ridicula, non modo inutilis est, sed neque theologiae nomen meretur. Porro datur utique quaedam theologia quae sic gravissimas versat controversias: quod cl. Melchior Canus lib. 8. de Locis ad coercendum abusum voluit adnotare scribens. *Intelligo fuisse in schola quosdam theologos adscriptitios qui universas quaestiones theologicas frivolis argumentis absolverent ... et cum his sacrorum librorum testimonia rarissima sint, Conciliorum mentio nulla; scholastici tamen*

si superis placet, theologi vocantur; nec scholastici sunt, nedum theologi. Et lib. 9. cap. 7. addit: *Nostri theologi importunis vel locis longa de his* (quaestionibus inutilibus) *oratione disserunt, quae nec juvenes portare possunt, nec senes ferre. Quis enim ferre possit disputationes illas de universalibus, de nominum analogia, de primo cognito, de principio individuationis: sic enim inscribunt de distinctione quantitatis a re quanta, de maximo ac minimo, de infinito, de intentione et remissione, de proportionibus et gradibus, deque aliis hujusmodi sexcentis. Puderet me dicere non intelligere, si ipsi intelligerent qui haec tractaverunt*.

Prob. altera pars. Ea scholastica theologia perniciosa est quae Scripturis, Traditione, Conciliis, aliisque ecclesiasticis relictis definitionibus, sola humana ratione recentiorumque auctoritate in dirimendis gravissimis fidei ac morum controversiis utitur. Sunt autem bene multi theologi qui ita se gerunt; plures equidem quorum nomini parcendum esse christiana charitas exigit, proprio indulgentes ingenio ac humana tantum ratiocinatione freti, adeo purissima fidei principia christianamque deturparunt moralem, ut et scandali mensuram implentes, innumera errorum portenta in eorum libris invenerint et condemnaverint nobilissimae catholici orbis Academiae, variarum provinciarum Episcopi, et Summi Pontifices Alexander VII. Innocentius XI. Benedictus XIV. et Clemens XIII. Quare de temporis sui casuistis ajebat piissimus Contensonius tom. 3. Diss. Preamb. cap. 2. *Vidimus his temporibus casuistarum, quos eruditissimos morum doctores indocti praedicant, fluxam auctoritatem a Religiosis et Sacerdotibus quamplurimis, ab Episcopis sine numero, et a Romano Antistite nedum contemptam, sed damnatam ut exitiosam ... Cum enim non e puris Ecclesiae fontibus conclusiones suas derivent, sed iis neglectis, turbidis se proluant probabilismi fluentis, unde in tam horrida inciderunt portenta* etc. Hactenus de utilitate scholasticae theologiae: nunc pauca de illius auctoritate.

CONCLUSIO III.

Plures veri scholastici in unum dogma consentientes, si alios insignes licet numero pauciores, contradicentes habeant, non majoris sunt auctoritatis quam rationes quibus utuntur.

Prob. Quum veri scholastici argumenta sua ex Scriptura ac Traditione deducere debeant, etiamsi multi in unum conspirent dogma, si alii insignes et graves contradicant, dubium oriri necessario debet num Scripturarum Traditionisque mentem melius illi multi, quam isti pauci, sed graves, fuerint assequuti. Ast in dubiis non his potius quam illis temere adhaerendum est, sed rationes et argumenta quibus utuntur, ad examen sunt diligentissime revocanda. Qua de re major scholasticorum numerus, contradicentibus aliis, non aliam habet auctoritatem quam rationes quibus utitur. Accedit his, quod quantumvis scholastici ad Scri-

plurarum, Traditionisque normam quaestiones expendant, ipsi tamen non sunt a Deo controversiarum judices constituti, sed consultores dumtaxat; atque idcirco pluralitas suffragiorum certam sententiam non parit.

COROLLARIUM.

Hinc sequitur operam perdere theologos, casuistas praesertim, qui ad sententiam quam proponunt tuendam, non rationes, non argumenta perpendunt, sed auctorum qui eam propugnarunt, absque ullo delectu, immanem catervam jurisperitorum more adducunt, nominum locorumque citationibus, quae ut plurimum falsae sunt, paginas onerantes.

CONCLUSIO IV.

Si veri scholastici unanimi assensu in unum dogma nemine contradicente concurrant, theologo suppeditant magni roboris argumentum.

Prob. Ecclesia unanimem omnium scholasticorum consensum nunquam tamquam falsum rejecit. Nec mirum. Nam vera scholastica theologia argumenta sua ex inconcussis sacrae doctrinae principiis desumit, ut saepe monuimus; unde theses quae inde inferuntur, admodum probabiles esse debent.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt nunc adversarii nonnulla quae utilitatem ex aequo ac auctoritatem scholasticae theologiae impetunt hoc modo: theologia scholastica contraria est catholicae fidei. I. quoniam *perfectius est simpliciter credere, quam veritatem inquirere*, inquit Cassianus: theologia autem scholastica veritatem inquirit. II. *Fides*, ut M. Gregorius ait Hom. 26. *amittit meritum, ubi ratio praebet experimentum*: ast theologia scholastica nonne suis ratiocinationibus fidei praebet experimentum? III. scholastici quum nunquam finem contentionibus ponant, fidem ipsam relinquunt incertam. Ubi ergo utilitas, ubi auctoritas?

Resp. ad 1. Adeo falsum est scholasticam theologiam catholicae fidei adversari, quin potius tota principiis fidei innitatur, ejusque scopus sit, fidem statuere, contra heterodoxos illam defendere, atque ex fide ipsa vel ad Fidelium aedificationem, vel ad illustranda dogmata, elicere conclusiones. Cassianus autem bene ait melius esse credere simpliciter quam veritatem inquirere contradicendi libidine, non veritatis amore: de hac enim loquitur inquisitione.

Ad 2. Falsum est scholasticam theologiam fidei praebere experimentum. Scopus siquidem et munus illius est, quae revelata sunt suis ratiocinationibus illustrare, ac demonstrare a Deo revera esse revelata. Neque M. Gregorius aut de scholastica theologia aut de aliquo huic simili loquitur, sed de apostolo Thoma qui in Christi credere noluit resurrectionem nisi prius vulnera proprio digito palpasset.

Ad 3. Aliae sunt in scholis disputationes circa dogmata fidei morumque regulas, aliae vero circa placita scholasticorum. Illa, non ista theologi tamquam certa argumenta ad probandam fidem assumunt; atque utilia esse contendimus. Quamvis illa quoque in quibus magna animi contentione dissentiunt, suam habeant utilitatem, et veluti adminicula sint ad fidei dogmata collustranda.

Obj. 2. Theologia scholastica utitur vel demonstratione vel argumento probabili vel sophismate. Porro neutrum ex his locum habet in fide. Non demonstratio; haec namque praemissas exigit conclusione notiores, proindeque claras ac manifestas. Ast ubinam claritas in rebus fidei? Cum vero fides certa esse debeat et inconcussa, profecto non argumentum probabile, multoque minus sophisma, in illius dogmatibus locum sibi vindicare poterit. Praeterea scholastica theologia in sermone lutulenta est, barbarisque undique vocabulis scatet. Ac denique complures scholastici quaestiones pertractant prorsus inutiles.

Resp. ad 1. Theologia scholastica utitur demonstratione, argumento probabili, atque sophismate, more theologico, non philosophico. Aliud enim sunt tria haec argumentorum genera in ore philosophorum, et aliud in ore theologorum. Penes philosophos demonstratio non datur nisi praemissae assumantur quae conclusione sint notiores, notitia sensu ac experimento manifesta; unde ii qui dicebant, *Pithagoras dixit*, irridebantur. Ast apud theologos ad demonstrationem efficiendam praemissae sufficiunt conclusione notiores, notitia per fidem ac revelationem accepta. Huic quippe tota innititur theologia. Proferunt philosophi probabilia argumenta ad eorum firmanda systemata. Et quoniam multa in philosophia obscura sunt et impervia, proindeque non semper suppetit demonstratio, sufficit illis quandoque ad finem obtinendum argumentum probabile. Non ita tamen theologi, quibus ad fidei statuenda dogmata nunquam demonstrationes ex praemissis revelatis elicitae deesse possunt. Utuntur nihilominus aliquando argumento etiam probabili, vel ad ipsa confirmanda et illustranda dogmata, vel ad scholae placita statuenda. A sophismate autem tam philosophi quam theologi debent abhorrere, eoque ad summum uti dumtaxat ad sophistas ipsos compescendos, non ad fallendos simpliciores.

Ad 2. Etsi in compluribus scholasticorum libris sermonis mundities desideretur quoniam rudioribus scripsere temporibus, multi nihilominus sunt scholastici ac praesertim ex recentioribus in quibus sermonis cultus et elegantia invenitur. Quod si obsoletis et barbaris et apud latinos inauditis vocabulis quandoque utantur, ut sunt, *quidditas*, *entitas* etc. ab adversariorum cachinnis liberat nos M. Augustinus qui disputans adversus Donatistas scribit Enarr. in Ps. 36. serm. 2. *Melius in barbarismo nostro vos intelligitis, quam in nostra desertitudine vos deserti eritis;* et in Ps. 138. *Melius est reprehendant nos grammatici, quam non intelligant populi*. Et de Doct. Chr. lib. 4. cap. 11. *Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba*. Reminiscantur denique adversarii argumentum hoc ex linguae ruditate deductum, objectum

saepe antiquitus fuisse a gentilibus contra sacram Scripturam; unde Lactantius lib. 5. Divin. Inst. inquit: *Nam haec in primis causa est cur apud sapientes et principes hujus saeculi Scriptura sacra fide careat, quod Prophetae communi ac simplici sermone, ut ad populum, sunt locuti. Adeo nihil verum putant nisi quod auditu suave est; nihil credibile nisi quod potest incutere voluptatem. Nemo rem veritate ponderat, sed ornatu.*

Ad 3. Quaestiones prorsus inutiles etiam a nobis rejiciuntur. Videant tamen haeretici ne quaestiones inutiles vocent illas quae plurimum utilitatis ad mysteria atque dogmata fidei explicanda afferunt theologis. De his enim quaestionibus scribit Bernardus Serm. 36. *Non ignoro quantum Ecclesiae profuerunt literati sui, sive ad refellendos eos qui ex adverso sunt, sive ad simplices instruendos*. Cetera quae appoui solent, ex iis quae in positionibus domonstrandis docuimus, facile solvuntur. De hoc argumento fuse pertractant omnes theologi in Proleg. ad Theol.

CAPUT IV.

De philosophia et philosophorum utilitate et auctoritate.

Non de scholastica theologia dumtaxat, sed et de naturali philosophia ita obloquuti sunt recentiores haeretici, ut Lutherus lib. 2. de Abrog. Mis. S. Thomam quod philosophicis argumentis in scholastica theologia tradenda saepe saepius utatur, veritus non sit appellare, *phialam irae Dei*. Et cont. Latomum, eumdem angelicum doctorem diris execratur verbis, quasi regnantis Aristotelis auctor fuerit, piae doctrinae, ut ipse inquit, vastatoris. Hac in re Novatores Julianum Augustum a christiana religione apostatam imitantur, qui quum infensissimo in Christianos omnes esset animo, lege cavit ne Christianorum pueri graecis erudirentur disciplinis aut publicas scholas frequentarent. Nos e contra omnium veterum Ecclesiae Patrum vestigia sectantes, hoc in loco breviter quidem, sed quantum fieri potest, nervose conabimur demonstrare naturales scientias non inventum esse diaboli, ut blaterat putido ore Lutherus, sed suam habere non modo utilitatem, verum et congruam auctoritatem. Sit ergo

CONCLUSIO I.

Naturales omnes scientiae utiles sunt viro theologo.

Prob. 1. Scripturis. Sap. cap. 7. *Et laetatus sum*, inquit Salomon, in *omnibus*, *quoniam antecedebat me ista sapientia*, *et ignorabam*, *quoniam horum omnium mater est*. Et paullo post explicans quid haec sapientia sit, subdit: *Ipse enim dedit mihi horum quae sunt, scientiam veram: ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, initium, et consummationem, et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes ... et stellarum dispositiones, naturas anima-*

lium , et iras bestiarum , vim ventorum etc. Haec accepit Salomon a Deo. Ast Deus inutilia non docet , ait enim*: Ego sum Dominus Deus tuus docens utilia* .

Prob. 2. exemplo . Paulus Apostolus in suis epistolis non raro philosophorum usurpat sententias , atque ad fidei dogmata · et sublimia mysteria explicanda et illustranda comparationibus utitur a rebus naturalibus deductis . Ad Athenienses enim loquens , ut legitur in Act. Apost. ex Arati astronomi phaenomenis recitat illud , *Ipsius enim et genus sumus*. Ex Euripidis poetae tragoediis illud moralis philosophiae principium , *Corrumpunt bonos mores colloquia prava* . Ad Titum ex Epimenide philosopho illud aliud , *Cretenses semper menduces , malae bestiae , ventres pigri* . Et iterum in I. ad Cor. cap. 12. ad demonstrandum non singulis singula gratiarum dona concedi , hanc adhibet comparationem : *Si totum corpus oculus , ubi auditus ? Si totum auditus , ubi odoratus etc. ?*

Prob. 3. ex Patribus .. Clemens alex. lib. 1. Strom. *Alii* , inquit , *philosophiam etiam cum maximo malo et ad hominum perniciem venisse in vitam existimant , ut quae profecta sit a maligno aliquo inventore . Ego autem in his totis ostendam libris aliqua ratione divinae Providentiae opus esse philosophiam* . S. P. Augustinus lib. 2. de Doct. Chr. cap. 40. sic inquit : *Philosophi autem qui vocantur , si qua forte vera et fidei nostrae accommodata dixerunt , maxime Platonici , non solum formidanda non sunt , sed ab eis etiam tamquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda* . Plura habet capita lectu jucunda et utilissima . Beda in Ex. cap. 12. similitudinem ex Augustino derivatam assumit scribens : *Aurea vasa ab Ægyptiis mutuata , sunt doctrinae gentilium non inutiles , quibus uti possumus in obsequium theologiae* . Aliorum Patrum sententias vide apud Canum lib. 10. de Locis . Adde confirmationis loco , quod omnes fere antiqui Patres in illorum operibus naturali philosophia aliisque omnibus scientiis saepissime usi sunt . Et ne tempus in re notissima teram , unicum affero M. Augustini testimonium plura complectens ; sic ille de Doct. Chr. lib. 2. cap. 40. paullo supra citato . *Vestem quoque illorum , id est hominum* (philosophorum) *quidem instituta , sed tamen accommodata humanae societati , qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit in usum convertenda christianum . Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri ? Nonne adspicimus quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suavissimus et martyr beatissimus ? Quanto Lactantius ; quanto Victorinus , Optatus , Hilarius , ut de vivis taceam ; quanto innumerabiles Graeci ? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat , de quo scriptum est , quod eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum* . Itaque ex usu etiam quem naturalis philosophiae aliarumque scientiarum sancti Patres fecerunt , demonstratur illarum utilitas .

Prob. ult. ratione . I. debet theologus claram distinctamque habere notionem *generationis , processionis , hypostasis , naturae , libertatis* , aliorumque similium quae in theologia passim occurrunt : quorum voca-

bulorum nonnisi ex philosophia mutuo accipi potest perspicua notio. II. theologi munus est sacram docere doctrinam etiam philosophos, oratores, jurisperitos etc. ut ipsos ad Christi fidem perducere valeat: ad quod exequendum cognitione indiget philosophiae, aliarumque saecularium scientiarum. III. debet theologus sophistarum artes detegere ut christianam fidem a philosophorum tueatur argutiis. Hoc autem praestare non poterit nisi redarguendi refellendique artem calluerit, quod fit per philosophiam.

CONCLUSIO II.

A principiis philosophiae theologus probabiliter argumentatur.

Prob. ex dictis. Si enim scientiae omnes naturales sunt viro theologo utiles, cum philosophia una sit, ex naturalibus scientiis profecto probabile saltem argumentum elicere ex illa poterit: alioquin ubi illius utilitas erit? Hinc S. P. Augustinus lib. 13. cont. Faust. cap. 15. inquit: *Sibylla porro, vel Sibyllae, et Orpheus, et nescio quis Hermes, et si qui alii vates, vel theologi, vel sapientes, vel philosophi gentium de Filio Dei, aut de Patre Deo vera praedixisse seu dixisse perhibentur, valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem revincendam.* Non valeret autem, nisi ex philosophia probabiliter saltem argumentaretur theologus.

Regulae theologo necessariae ad cavendos abusus, in philosophia naturali adhibendae.

I. debet theologus philosophiam captivare in obsequium fidei, juxta illud Augustini Ep. 20. alias 222. *In quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere valemus, sed aliquando valebimus, fides praecedat rationem.*

II. non juxta philosophiae principia S. Scriptura, Concilia, ac Patres exponi debent, sed ex his potius philosophiae principia, si falsa obscura vel ambigua sint, corrigi et explanari debent. Fides namque revelationi nititur, non naturae: et quidquid revelationi repugnat, falsum esse necesse est.

III. in rebus fidei et morum parum philosophorum auctoritati fidendum est. Institutores quippe nostri fuere Christus et Apostoli, non Plato aut Aristoteles vel Socrates ceterique philosophi.

IV. non multum philosophicis studiis indulgere debet theologus. Scimus enim ex Rufino H. E. lib. 10. cap. 9. Basilium et Gregorium nazianzenum per tredecim annos philosophis omnibus vale dixisse ut Scripturarum studiis incumberent.

V. non sunt in theologiam philosophicae quaestiones et speculationes invehendae: theologia enim de Deo rebusque divinis, non naturalibus agere ex professo debet, et philosophia uti ad divina lucidius explicanda vel confirmanda.

Respondetur nonnullis difficultatibus quas urgent haeretici contra utramque thesim.

Obj. Sacrae literae naturalem philosophiam damnant atque rejiciunt. Ecclesiastes enim cap. 1. de philosophia loquens, *Hanc*, inquit, *occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum*. Apostolus autem pluribus in locis et maxime ad Colos. cap. 2. ait: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam* etc. II. SS. Patres in philosophiam saepissime tamquam in religionis hostem ac matrem haereseon declamant. Tertullianus puta de Anima cap. 1. philosophos vocat, *animalia gloriae*: cap. 3. *patriarchas haereticorum*: cap. 18. *tormentum et fallaciam simplicitatis*: et cap. 23. appellat Platonem *condimentum haereticorum*. Idem tradunt Basilius lib. 1. cont. Eunom. Gregorius nyssenus lib. 2. adv. eumd. haeret. Gregorius nazianzenus Orat. 26. Quid quod? Petavius lib. 1. de Trin. demonstrat omnes veteres haereses e schola platonica velut rivulos e fonte manasse.

Resp. ad 1. Sacrae literae non sanam et mere naturalem, sed captiosam atque fallacem philosophiam damnant et execrantur. Hoc est, monent ne philosophia ullo modo abutamur. Unde Ecclesiastes hortatur homines ne in terrenarum ac caelestium rerum intelligentia ex integro occupentur, in eaque propriam collocent felicitatem, ut facere solebant gentiles, quoniam omnia vana sunt, fluxa, et humani spiritus afflictio. Lege citatum caput. Apostolus autem monet Fideles ne ab haereticis, ac Gnosticis praesertim qui Christianorum animos jam commovere coeperant, se decipi patiantur per sophismata philosophiae, unde e vestigio subdit, *et inanem fallaciam*. Hinc in 1. ad Tim. cap. 6. philosophorum argutias appellat *oppositiones falsi nominis scientiae*. Captiosam igitur, non sanam philosophiam explodit Paulus.

Ad 2. idem fere dicendum. Sancti Patres videlicet non contra rectum ac moderatum, sed contra immoderatum perversumque philosophiae usum declamant; et merito. Nam vix Ecclesia nata erat, quum duplicis generis experiri coepit hostes, gentiles nimirum et haereticos: et utrique philosophia abutebantur. Gentiles ut fidei irriderent mysteria; haeretici ut Platonis, Aristotelis, Stoicorumque placitis christianam religionem accommodarent. Vide Petavium in Prol. cap. 3. Jure ergo SS. Patres immoderatum philosophiae usum execrabantur.

CAPUT POSTREMUM.

De argumentis a ratione petitis; an viro theologo utilia sint, et quamnam habeant auctoritatem.

Duo sunt nostris hisce temporibus hominum genera qui non bene de hoc postremo loco theologico sentiunt; Lutherani scilicet, et Sociniani. Illi nihil omnino, hi nimis quam par est, rationi tribuentes. Lutherus quippe, ut patet ex ejus operibus, disciplinas omnes speculativas errores es-

se autumavit; proindeque inutiles, imo noxias. Hinc in Germania ipso vivente, si qui Evangelia ac Pauli epistolas memoriae mandassent, quamvis sutores essent aut mulierculae, magni et praeclari habebantur theologi, nec provocare timebant ad disputandum omnium academiarum theologos. Sociniani e contra naturalem rationem in rebus fidei tanti faciebant et faciunt, ut totum fidei ipsius stabilimentum in humana doceant constituendum esse ratiocinatione. Quod si aliquod fidei mysterium rationi pervium non sit ac manifestum, etiamsi in S. Scriptura sit luculentissime expressum, non ita tamen admittendum esse affirmant ut ratio non percipit, sed ad metaphoram potius detorquenda esse verba Scripturae. Uno verbo Sociniani fidem christianam judicio submittunt naturalis rationis, atque ita toto caelo distant a Lutheranis. Quamquam et hi qui a ratione velut a malo genio refugere dicunt, tandem ad rationis normam et ipsi omnia definiunt. Nam si dubium circa Scripturae sensum oriatur, non ad ipsius Scripturae terminos juxta Ecclesiae sanctorumque Patrum consensionem acceptos, sed ad quarumdam praeconceptarum opinionum normam confugiunt, ut illud dirimant atque resolvant. Sed de his alibi.

Nos ergo a Lutheranorum Socinianorumque placitis recedentes, fatemur equidem naturalem rationem non esse locum theologiae proprium, sed alienum et quoddam veluti adminiculum sine quo ex aliis theologicis locis doctrina sacra erui potest; contendimus tamen locum hunc utilem esse theologo, suamque habere auctoritatem.

CONCLUSIO I.

Logica summopere utilis est et necessaria theologo.

Prob. Theologi munus est ad fidem adducere extraneos, in fide confortare credentes, et eos qui contradicunt arguere. Petrus enim Ep. 1. cap. 3. vult ut simus *parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quae* in nobis *est spe*; et Auctor Sapientiae cap. 8. hortatur nos scire *versutias sermonum et dissolutiones argumentorum*. Tria autem haec per rationem a logica directam, feliciter exercentur. Et 1. artis logicae ope ad fidem adducuntur extranei; Deus enim hominibus ratione praeditis, nonnisi modo illis attemperato de via ordinaria fidei gratiam largitur. Hinc dum praedicator veritatis motiva assumens credibilitatis infidelibus suadet ut christianam amplectantur religionem, Deus in corde eorum intrinsecus spargere incipit gratiae suae largitatem. Hinc etiam Christus Dominus Ecclesiam suam tot notis characteribusque insignivit, ut qui eam intuetur, si uti ratiocinatione velit, non possit uti veram Ecclesiam illam non agnoscere. 2. Ope rationis a logica directae, in fide confortantur credentes. Nam dum Fideles per ratiocinationem advertunt christianam religionem a tot Prophetarum oraculis jamdiu fuisse praenuntiatam, tot miraculis tantaque fulciri auctoritate, nequeunt cum Psalmista non exclamare: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Hoc sensu Lucas

in Act. Ap. cap. 17. inquit quod Beroenses nobilioresque Thessolonicae ad Pauli ac Silae praedicationem, *Susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent*: ut scilicet prophetica scripta cum verbis illorum conferendo, magis magisque in fide quae per dilectionem operatur confirmarentur, ut Grotius Op. Theol. Tom. 2. observat. 3. Per ratiocinationem rectam et accuratam, qui docent quae non oportet, facillime redarguuntur ac confutantur. Sic caecus de quo Johan. cap. 9. ut contumaces Judaeos Christi divinitatem negantes redargueret ita argumentatur: *In hoc enim mirabile est quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos*. Similiter principes populi et seniores *Videntes Petri constantiam et Johannis, comperto quod homines essent sine literis et idiotae, admirabantur, et cognoscebant eos, quoniam cum Jesu fuerant. Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere*. Act. cap. 4. Hinc Christus ejusque Apostoli crebro exquisitissimis ope logicae ratiocinationibus utebantur, vel ad christianam suadendam religionem, vel ad solandos discipulos, vel ad contumaces revincendos, ut cuique legenti N. Testamentum patet. Hoc ipsum praestitere omnes Ecclesiae Patres, uti legere est in scriptis illorum contra gentiles et haereticos, et in homiliis et concionibus ad fideles. Quare de humana ratione loquens S. P. Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 1. illud huic scientiae tribuit, *quo fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*.

CONCLUSIO II.

Cavendum est viro theologo ne argumenta a ratione petita, tamquam theologiae principia assumat.

Prob. 1. Script. Matth. cap. 16. Christus inquit: *Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est*. Apostolus in 1. ad Thes. cap. 2. *Ideo*, inquit, *et nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis*.

Prob. 2. ex PP. S. P. Augustinus Tract. 40. in Johan. *Credimus*, inquit, *ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus ... Quid est enim fides, nisi credere quod non vides*? Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 3. scribit: *Rationem praeveniat fides*. Gregorius M. in 1. Reg. cap. 4. *Fide, velut fama Deum cognoscimus*. In re tam manifesta haec pauca sufficiant.

Prob. 3. experientia. Ariani, Nestoriani, Eutychiani, Pelagiani, aliique ceteroquin docti viri, non alia de caussa in tot absurdissimos inciderunt errores, nisi quia proprio ingenio indulgentes, argumenta a naturali ratione petita tamquam theologiae principia statuere voluerunt.

CONCLUSIO III.

Argumentum ex primis naturalis rationis principiis deductum, tamquam certum; deductum vero remote, veluti probabile dumtaxat a viro theologo assumi potest.

Prob. 1. pars. Prima naturalis rationis principia etsi certa non essent certitudine fidei, certa nihilominus sunt certitudine metaphysica. Porro argumentum ex principiis certis certitudine metaphysica deductum, nonne a viro theologo tamquam certum assumi potest? Quoniam res demonstratione non indiget, declaratur exemplo. Prima naturalis rationis principia moralia sunt, v. g. *bonum est faciendum: malum vitandum: alteri ne feceris, quod tibi non vis* etc. Jam vero si quis ex allatis principiis immediate inferret proximo non esse nocendum, adulterium esse vitandum, pauperi succurrendum, nonne certa esset illius argumentatio? Certa equidem, quoniam primorum principiorum auctor Deus est, uti auctor est omnis revelatae veritatis; unde Eccli. cap. 1. legitur: *Omnis sapientia a Deo est*. Et Apostolus ad Rom. cap. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit*. Quod si aliqui a veritate aberrant, in caussa est illorum vanitas, socordia, atque corruptio. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex ... a magnitudine enim speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri*, inquit Auctor Sapientiae cap. 13.

Prob. altera thesis pars. Argumentum ex primis naturalis rationis principiis remote deductum, nihil aliud est quam conclusio ex iisdem principiis remote elicita. Ejusmodi porro conclusio nonnisi probabilis esse potest. 1. Quia connexio quae inter prima principia et remotam conclusionem intercedit, non eodem modo ab omnibus cernitur; alioquin nulla esset inter homines disputatio. 2. S. Thomas 1. 2. q. 94. art. 6. inquit: *Ad legem naturalem pertinent primo quaedam principia communissima quae sunt omnibus nota, quaedam autem secundaria praecepta magis propria, quae sunt quasi conclusiones propinquae principiis. Quantum ergo ad illa principia communia, lex naturalis non potest a cordibus hominum deleri in universali, deletur autem in particulari secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. Quantum vero ad alia principia secundaria potest lex naturalis deleri de cordibus hominum vel propter malas persuasiones, eodem modo quo in speculativis contingunt errores circa conclusiones necessarias, vel etiam propter pravas consuetudines et habitus corruptos; sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut Apostolus dicit ad Romanos*. Hisce gravissimis angelici doctoris verbis libros absolvimus de Locis theologicis.

FINIS PRIMI TOMI

INDEX

LIBER I.

In quo de sacrae Scripturae textu, ejusque praecipuis versionibus pertractatur.

LIBER II.

Ubi de divina sacrorum librorum agitur auctoritate.

LIBER III.

De Traditionibus.

LIBER IV.

In quo disseritur de Conciliis.

LIBER V.

De Ecclesia.

CAPUT I.

LIBER VI.

In quo disseritur de Romano Pontifice.

LIBER VII.

In quo de reliquis Quinque locis theologicis pertractatur.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT POSTREMUM.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 21 lin. 37 Testamenti	Testamento
» 22 lin. 1 id est	*id est*
» 25 lin. 4 hebraeum	hebraeus
» 29 lin. 3 Syncronum	synchronum
» 30 lin. 9 Chrysostomum	Chrysostomum
» 73 lin. 44 Dyonisius	Dionysius
» 74 lin. 1 Theophylus	Theophilus
» 74 lin. 29 accomodata	accommodata
» 75 lin. 16 mithys	mythis
» 95 lin. 35 apochryphas	apocryphas
» 104 lin. 19 *ceremoniis*	*caeremoniis*
» 108 lin. 7 lib. 11.	lib. 2.
» 160 lin. 38 *Metrapolitanos*	*Metropolitanos*
» 202 lin. 41 Bithinia	Bithynia
» 208 lin. 34 Petrobutianorum	Petrobruissianorum
» 235 lin. 32 infedelitate	infidelitate
» 257 lin. 23 afferi	afferri
» 272 lin. 24 laqueum	laqueus
» 306 lin. 22 eocumenica	oecumenica
» 344 lin. 11 *Cur*	*Cui*
» 351 lin. 39 *aedificandi*	*aedificandis*

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Rambaldi
Lector, et Vicarius S. Officii Fulginiæ.

IMPRIMATUR

Pro Illmo, ac Revmo D. D. Episcopo Fulginatense
Nicolaus Prim. Rossi Revisor Deputatus.